Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

KW
R 234
K 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

hic jacet

Johannes Kendall Westmorlandiensis

et-

Kendaliae discipli= } { =natus }

Oxoniae alumn= }

Artium magister } orthodoxus

Ecclesiae minister }

obiit Aprilis 3

sepultus

aetatis suae

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

524778.

ANTONII DEUSINGII
Med. ac Philoſ.

De

ANIMA HUMANA DISSERTATIONES PHILOSOPHICÆ.

Quibus adjectæ
EIUSDEM
Familiares & Amicæ

DISQUISITIONES

Epiſtolares,
Habitæ cum Rev. ac Clariſſ. Viro,
D. JOANNE SANTENO L. A. M. &c.
De Origine Formarum Naturalium,
& Animæ Humanæ Subſtantia.

Acceſſit

SPONGIA

Adverſus Cavillationes quaſdam, ſub ſelecta Diſputatione
Philoſophico-Theologica, *in* Animæ Humanæ
Subſtantiam *egeſtas.*



HARDERVICI,
Ex Officina NICOLAI à WIERINGEN
ANNO CIↃIↃC XL V.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ANIMUM

DEO

ANIMAM

PROXIMO

Gregor.

SIc conditi mirabiliter ſumus, ut Ratio (*id eſt Animus, ſeu Mens*) Animam, & Anima, Corpus poſſideat.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, ac Magnifico Viro,

D. D. JOANNI à WYNBERGEN,
Ad ſuprema Conſilia Status Confœderati Belgii Delegato, Hardervici Conſuli, &c.

Illuſtris Scholæ Academicæ Gelro-Velavicæ, quæ eſt Hardervici,

CVRATORI
Conſultiſſimo, ac Vigilantiſſimo.

Domino ſuo, ac Muſarum Promotori & Patrono, ſalutem ac felicitatem

P.

Nobiliſſime, Ampliſſime, ac Magnifice Domine,

VT *Animum* Deo, ita *Animam* Proximo inſcribimus & conſecramus. In eo namque laboramus aſſiduè, ut nos totos, quà mens in facultates corporeas ſe diffundit, & ἐνεργήματα ſua hiſce communicat, nos ipſos Reipublicæ literariæ, ac ſervandæ & reparandæ incolumitati generis humani, pro facultate nobis à Deo conceſſa, vindicemus; à curis verò cæteris, quantum fieri poteſt, longiſſimè nos arceamus: Id quod in nobis reliquum eſt, cum quo nulla animalis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

facultas communicat, ſoli Deo religiosè devovemus. Dum verò *Animam Animo* ſubditam in officia proximi ſtudiosè impendimus, imprimis inclyta hæc veſtra Schola Academica, ejuſdemque florentiſſima Iuventus, nos ſibi dicatos habet: in quorum gratiam hæ *Diſſertationes* noſtræ de *Anima Humana*, quas Nobiliſſ. ac Magnifico veſtro Nomini inſcribo, ſunt prognatæ. Hîc itaque, dum in literario otio nos oblectamus, ad Vos ſingulari obſervantiâ *Animam* reflectimus, quâ magnam partem à Nobiliſſ. Veſtræ Magnificentiæ nutu pendere nos agnoſcimus. Prærogativa quippe Vobis in Animam noſtram dudum facta eſt, ut ſub favore veſtro majori cum alacritate commiſſa nobis munia obeamus. Veſtrum ergo erit porrò, (ne vegetior nunc aſſurgens laboribus Anima, fortaſſe langueſcere incipiat,) id quod agitis agere deinceps, & rectè agentes, atq; à Vobis Animæ parte majori pendentes, benevolentiæ veſtræ aurâ ſuſtinere, eiſdemque ſub umbra amoris veſtri requiem non denegare. Sic ſequiore ſtudio in nos intenti, præ Nobiliſſ. Veſtræ Magnificentiæ ſplendore, hebeteſcent; tandemque otia noſtra literaria negotiis moleſtioribus miſcere procul dubio ceſſabunt; laboreſque noſtros, quos in commune bo-
num

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

num conferimus, nobis ipſis non ingratos eſſe, tandem æquiori animo ſinent. Per Vos autem ipſos haud difficilem in Illuſtrium ac Potentum D. D. Ordinum Deputatorum animos deinceps porrò adytum inveniemus: & favori Optimatium ſubnixi, alacritate novâ Animam refocillabimus. Vale diutiſſimè, Nobiliſſime ac Magnifice D. Curator; ac curâ indefeſsâ porrò bonum publicum Athenæi veſtri promovere perge. Dabam Hardervici. X Cal. Decembr. M DC XLV.

N. N. & M. M. V.

Obſervantiſſ.

ANTONIUS DEUSINGIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

CANDIDO LECTORI

S. P.

ANTONIUS DEUSINGIUS.

Nobiliſſima ac verè Philoſopho digna contemplatio eſt, quæ circa HUMANAM ANIMAM *inſtituitur, in qua meritò omnium Animi ſe exerceant, utpote cùm noſtri inde pendeat pars maxima cognitionis. Cúmque, ut vir ſanctus aït*, tota fere ſapientiæ noſtræ ſumma, quæ vera demum ac ſolida ſapientia cenſeri debeat, duabus partibus conſtat, Dei cognitione & noſtri, (quarum altera alteri nexu neceſſario eſt colligata:) *hanc utiq; ſolidioris ſapientiæ Cultoribus negligere ſat indecorum eſt; at turpe ſanè Chriſtianis. Geminam autem noſtri notitia vera faciem gerit, ſat denſâ caligine involutam: alteram lumine religionis, alteram inſitæ nobis rationis face detegendam. Poſteriori quidem parti impræſentiarum operam intendimus, ac nebulam diſcutere allaboramus: quodque ſolo tranſvolantis animi obtutu alibi notatum eſt à nobis, ac per brevitatem aphoriſticã non niſi digito monſtratum è longinquo, quod verò ſequiùs à quopiam arreptum, ac contra noſtram mentem eſt in publicum traductum, id pleniore tandem expoſitione, pro noſtri inſtituti ratione planum apertumq; reddimus. Nudos hîc animi noſtri ſenſus, primis dudum lineamentis adumbratos, velut in tabella pleniùs exprimimus, evidentiſſimos candoris noſtri teſtes. In quibus certè nihil novum apparebit, niſi forſan iis qui Antiqua neſciunt, ac Vetuſtatem ipſam*

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

non luſtrarunt; nihil antiquatum cenſebitur, niſi quibus ſola philomela quædam annua canit: Et ſi fortaſſe quid non omnium ingeniis & animis ſit æquè planum & acceptum, (cùm nec ipſe Iupiter placere queat omnibus,) nihil utiq; indiſciplinatum, quod ajunt, appellari merebitur, niſi à minùs diſciplinatis diſciplinarum Magiſtris, quibus fortè vel unius aut alterius ſyſtemate omnis diſciplina eſt conſarcinata: qui, dum diſciplinas univerſas in Compendia proſcribunt, arenteſq; rivulos ſectari jubentes ipſos rerum fontes ſupprimunt, antiquæ veritati ac ſolidiori ſapientiæ inæſtimabile diſpendium important, ipſoſq; Reipubl. literariæ nervos ſolidiores rumpunt. Nihil verò hîc humanâ quadam ratione ita adornatum exhibemus, ut non idē unicæ Religionis noſtræ normæ, Scripturæ, inquam, ſacræ, ſe ultro accommodet, & fidei ſe noſtræ dogmatis ſubmittat. Redivivam hîc Antiquitatem reddimus, & inprobatioribus ſententiis, ad normā Religionis Orthodoxæ congruentibus, monumenta quoq; Veterum luſtramus. Platonem Ariſtoteli in noſtri notitia, quam ſuggerit humana ratio, conſentientem exhibemus; utrumq; verò, licet fidei myſteriis non adæquantes rationē, haudquaquam tamen ſacro ſanctæ veritati refragantes. Sic perennem verè tradimus Philoſophiam, quæ ſæpe Religionis Chriſtianæ veritatem probat, quam ſæculorum ipſamet ſucceſſio confirmat. At interim humanæ ſortis haud immemores, hoc è Scaligero adjicimus: Si quod habet animus noſter in cognoſcendo vero difficultates, tot haberet innocentiæ

ſuæ

ſuæ fautores, alacritate illà, quæ nos vel calumniæ vel obtrectationis metu deficit, maxima pars ærumnarum noſtrarum levaretur. At enimverò, tum mihi, tum pleriſq; aliis, contrà evenire manifeſtum eſt. Vnus enim quiſq; ſeipſo fretus, alieni nominis ruinâ, gradum ſibi facit ad gloriã ſuam. *Longè ſanè alia nos ratio impellit, nec vanam vanâ affectatione gloriam intendimus; ſed conſtans ac perpetua voluntas eſt cuiq; ſuum tribuendi. Duriora quoque verba aliorum ac ſententias cum mitioribus conferimus, & dum ex verbis nemini movemus litem, æquitate Chriſtianâ potiùs de aliorum mente judicamus, quàm nimis affectato aliquo rigore. Et, dum ſolius veritatis inquirendæ vel probandæ causâ laboramus, nulli equidem mortalium contradicendi ſtudio contradicimus. Ex amore veritatis, vel ab Amicis quoque noſtris, illæsâ amicitiâ, recedimus. Id nempe quod in Muſica, reverà quoq; locũ obtinet in amicitia: Suavior illa harmonia eſt, ſi ex tono diſſonante harmonia ipſa intendatur. Amici animi ſynceritate ſolâ coaleſcunt; at horrendum inimici nomen & conatus inter Chriſtianos eſt. Vix autem ſui compos eſt, qui liberam in iis, quæ Religioni non officiunt, non ferat veritatis diſquiſitionem. Vale, Candide Lector, ac maturiori judicio, & labore magis à negotiis ſemoto, quàm quo hæc noſtra concinnata ſunt, ſeorſim ſingula expende: Ac errores quoque noſtros, cùm ſimus homines, pro æquitate Chriſtiana corrige.*

Hardervici. pridie Id. Mart. 1645.

ANT-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ANTONII DEUSINGII
Med. & Philoſ.

De

ANIMA HUMANA
DISSERTATIONES
PHILOSOPHICÆ.

DISSERTATIO PRIMA
De
ANIMÆ HUMANÆ
SUBSTANTIA.

SUbſtantiam Animę inveſtigaturo ante omnia ſcire neceſſe eſt, quid ipſum Animæ vocabulum ſignificet. Quo ignorato, neceſſe eſt fluctuare intellectũ, ac inextricabili labyrintho involvi. Multis autem modis *Anima* appellari conſuevit: atque ex pluribus hujus vocabuli ſignificationibus haud exigua Philoſophis difficultas oboritur, ac moleſtus contentionis inſultus, ab iis imprimis, qui vel ſui ingenii ſublimitate Philoſophiam tranſcendunt, vel contentionibus agitandis ſupra modum ſunt idonei. Quorum motus ne concitemus, ineptæ, quæ in verbis exiſtunt, concertationes removendæ priùs erunt. Ac primùm, inter cæteras 2.
ſignificationes, *Anima* plerumque idem denotat, quod ψυχὴ Græcis: cujus vocabuli etymon Chryſippus apud Plutarchum lib. περὶ στωικῶν ἐναντιωμάτων derivat παρὰ τὴν ψῦξιν *à refrigeratione*, quia reſpirando animal ψύχεται ὑπὸ τοῦ ἀέρος *refrigeratur ab aëre*. Hoc ergo ſenſu anima ſolis animalibus tribuitur, ac propriè illam οὐσίαν denotat quæ per ſe reſpirandi facultatem præbet. Atque ita Socrates in Cratylo Platonis ψυχῆς *animæ* nomen conſiderans, quàm accommodatè appellationem eam ſortiatur, *exiſtimo eos*, inquit, *qui* ψυχῆς *nomen indiderunt, hujuſmodi quiddam intellexiſſe, ut illo*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

nomine ſignificare vellent illud, quod cùm corpori adſit, cauſa ſit vitæ, reſpirandi vim tribuendo, quaſi ἀναψῦχον *reſpirando refrigerans.* Hæc ergo propria eſt ſignificatio animæ, quâ animalibus anima propria eſſe, plantis verò non convenire cenſetur: quæ ideo Stoïcis vitam habere negantur, velut & in S. Scriptura eædem non
3. *viventia* ſed *virentia* dicuntur. II°. Quoniam verò ſanguis animalibus proprius eſt, qui eſt quaſi corporalis quædam anima, eſſentialem ac veram animam quaſi repræſentans, ac quodammodò fulciens, hic etiam nomine ψυχῆς antiquitus appellari conſuevit: unde apud Ariſtoph. καὶ τὴν ψυχὴν ἐκπίνουσι *Animam* mihi *exſugunt*. De cujus appellationis ratione pluribus egimus Theatr.
4. Nat. Univ. part. 2. diſp. 5. III°. Sed quandoque latiori ſignificatione accipitur ψυχὴ anima, ut etiam naturæ plantarum conveniat. Hoc ſenſu ab Ariſt. 2. de anima cap. 1. t. 6. definitur ἐντελέχεια *actus primus corporis organici, poteſtate vitam habentis. Enimverò, partes quoque plantarum,* inquit, *inſtrumenta ſine controverſia ſunt.* Hoc ſenſu in homine quoque *anima* vocatur omnis οὐσία à qua functiones quæcunq; proficiſcuntur, exceptâ ratione: Natura nimirum tum vegetativa tum ſenſitiva in homine, ſeu illud omne quo homo ad genus animalium refertur, cui directrix
5. ac gubernatrix præeſt ipſa mens humana. Hinc Triſmegiſtus in Clave *Anima ſine mente,* inquit, *neque quid dicere, neque quid facere poteſt: Sæpe enim evolat mens ex anima, & in illa hora neque cernit anima, neque audit.* Nempe talem mentis ab anima ἀπαλλαγὴν ſeu ſeparationem hîc reſpicit Triſmegiſtus, qualem indigitat Plato lib. 1. de div. ſap. Ægypt. cap. 4. *Ego ſæpius animo contemplans,* inquit, *relicto corpore viſus ſum perfrui ſummo bono, cum voluptate incredibili: quare hæſi quodammodò attonitus, agnoſcens me eſſe partem quandam ſuperioris Mundi, atque adeptum ſentiens vitæ immortalitatem ſub luce maxima, quæ neque oratione exprimi poteſt, neque auribus percipi, neque cogitatione comprehendi. Tandem verò hac contemplatione defeſſus intellectus, recidit in*
6. *phantaſiam,* &c. Hæc nimirum phantaſia ea eſt, quam nonnulli ſupremam materialium formarum vocant, quam nos animam ſenſitivam humanam appellamus, quam nomine animæ in homine, à mente diſtinctæ, indigitavit Triſmegiſtus. Similiterque Ariſtoteles, qui τὴν ψυχὴν *animam in corpus herile imperium obtinere*

tinere aït; *mens verò*, inquit, *in appetitum* (ſeu ipſam animam, vel animæ partem nobiliorem,) *politicum ac regium*. Mentem ergo hominis ita ab anima diſcernunt, quando propriè ſpectant talem animam, qualem ſuâ definitione Ariſtoteles complexus eſt. Quam quidem definitionem Ariſtotelis haud commodè accommodari poſſe menti humanæ, quæ item *rationalis anima* vocatur, 7.
optimè notavit Danæus Iſag. Chriſt. ad loc. comm. part. 3. libr. 1. cap. 10. Ubi Ariſtotelis definitionem periculoſam pronunciat: *Nam*, inquit, *alligat animam corpori, quod de anima hominis verè dici non poteſt.* [Similiter fere Melanthon lib. de Anim. definitionem animę in Eccleſia uſitatam diſcernit à definitione Philoſophica.] Cur autem ea corpori alliget animam, expoſui in Apolog. Reſp. ad Art. 1. Nempe, quia ἐντελέχεια non ſignificat niſi id quod eſt perfectio alterius, & quod non habet aliud eſſe, quàm quòd ſit alterius complementum. Atque ita Calvinus lib. 1. Inſt. cap. 15. §. 6. *Animæ*, inquit, ſeu mentis humanæ, *definitionem à Philoſophis petere, ſtultum eſſet, quorum nemo fere, excepto Platone, ſubſtantiam immortalem ſolidè aſſeruit.* Nec ipſe quidem Ariſt. de- 8.
finitionem animæ latiùs extendit, quàm ad talem animam quæ ſeparabilis non ſit, cùm interim tamen ſeparabilem aliquam partem non ignoraret: hoc nempe manifeſtum eſt ex 2. de anim. t. 11. ubi poſt expoſitam animæ definitionem, ſubjungit. *Animam igitur non eſſe ſeparabilem à corpore, vel partes ipſius nonnullas, ſi partibilis ſit, haud obſcurum eſt: nonnullis enim partium earum convenit quod ἐντελέχεια ſint; at quò minùs quædã ſint ſeparabiles nihil vetat, propterea quod corporis nullius ſint ἐντελέχεια.* Nempe, ut idem aït ibid. t. 21. *de intellectu contemplativaq; potentia nondum quicquam eſt manifeſtum; ſed videtur hoc animæ genus eſſe diverſum: idque ſolum ſeparari poteſt, velut perpetuum ab eo quod occidit.* Atque hinc Joh. Grammaticus in præfat. ad 2. de anima, aït, animam rationalem non eſſe actum corporis ſecundùm ſubſtantiam; ſed ſolùm ſecundùm operationem. Eâ ergo definitione, quâ anima ἐντελέχεια vocatur, mens humana, ſeu intellectus, quem νοῦν Græci nominant, ne quidem anima dicendus eſt; ſed ab anima naturali diſtinguendus IV°. Aliquando autem ſola mens, ut à reliquis facultatibus 9.
diſtincta concipitur, animæ nomine audit, ac ψυχὴ impropriè vocatur: quam tamen nonnulli Latinorum eo ſenſu non animam ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. I. *animum* vertunt. Hi rectè inter *animum* & *animam* diſtinguunt, ut in verſu Attii apud Nonium, *Sapimus animo, fruimur animâ:*
10. *ſine animo anima debilis eſt.* Plurimi verò Latini pro animæ generali definitione humanam ingerunt, ſeu mentem propriè dictam. Ita Seneca, *Anima*, inquit, *eſt ſpiritualis intellectus ad beatitudinem in ſe & in corpore ordinatus.* Similiter Auguſtinus *Animam* alicubi definit *ſpiritum intellectualem, rationalem, ſemper viventem, ſemper in motu, voluntatis capacem.* Tali ſenſu quoq; apud Platonem in Phædone ἡ ψυχὴ occurrit: ubi ἡ τοῦ φιλοσόφου ψυχὴ, inquit, μάλιστα ἀτιμάζει τὸ σῶμα, καὶ φεύγει ἀπ' αὐτοῦ, ζητεῖ δὲ αὐτὴ καθ' αὑτὴν γίγνεσθαι, *Philoſophi animus maximè contemnit corpus, & ab ipſo fugit, ipſe verò quærit apud ſe ipſum eſſe.* Atq; ita Ariſt. 2. de gen. anim. cap. 3. eandem hominis partem indifferenter modo νοῦν *mentem* ſeu *intellectum*, modò ψυχὴν νοητικὴν *rationalem animam* appellat. Hoc item ſenſu Intelligentiæ quævis aſſiſtentes animæ vel animi dicuntur; quin & ipſe Deus: ut apud Catonem, *Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt*, &c. Ubi animum Joſ. Scali-
11. ger. νοῦν *mentem* ſeu *Intellectum* vertit. V°. Quandoque mens unâ cum ſenſitiva quadam anima, aut ſi quid ei analogum, nomine τῆς ψυχῆς *animæ* indigitatur, ſicque anima à natura ſtrictè dicta diſtingui ſolet. Ita rurſum in Platonis Cratylo, *Annon Anaxagoræ credis*, inquit Socrates, *rerum naturam omnium mente quadam & animâ exornari ſimul & contineri? Par eſt igitur eam potentiam nominare φυσέχην, quæ φύσιν naturam ὀχεῖ & ἔχει vehit & continet:*
12. *concinniùs autem ψυχὴ profertur.* Similiter Marſilius Ficin. Orat. 2. in Convivium Platonis, ſeu de Amore cap. 3. *Si qua in animæ cognitione ſtabilitas eſt, mentis conſtat potiùs quàm animæ beneficio: natura enim mobilis eſt circuitus. Cùm animam dicimus*, inquit, *priſcorum more Theologorum vim in ratione & ſenſu poſitam intelligimus; cùm naturam, vim animæ in generando locatam.* Hac ergo ſignificatione facultates hominis nobiliores quævis, tum rationales tum ſenſitivæ, τῆς ψυχῆς *animæ* nomine indigitari ſolent. Quòd ſi verò accuratum loquendi modum ſpectemus, *Vim illam*, (quæ in ratione eſt,) ut idem Marſilius ſubjungit, *hominem propriè vocaverunt*, (ſeu id quod tribuit humanam eſſentiam:) *iſtam*, (quæ in ſenſu,) *hominis idolum & ſimulacrum*, (ſeu formam animalis
13. humani, intelligenti formæ ſubordinatam.) VI°. Simili verò ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tione omnes in homine facultates ſimul , ſeu id à quo facultates promanant, tum rationalis, tum ſenſitiva, tum vegetativa, unius animæ appellatione denotari conſueverunt: quo ſenſu Ariſt. 2. de anim. t. 18. *animam definitam* aït, *vegetativo, ſenſitivo, intellectivo, ac motu:* ubi tamen porrò inquirit, *utrùm horum unumquodque ſit anima, an verò pars animæ?* ac diſertè plures animæ partes conſtituens (velut ex 1. de part. animal. cap. 1.) *intellectum* tandem text. 21. à reliquis ut *diverſum animæ genus* diſcernit: Eodem verò ſenſu una in homine anima paſſim, ex communi & uſitata loquendi ratione, accipi ſolet. VII°. Quandoque autem ſingulæ illæ partes 14.
animæ humanæ, peculiares animæ vocantur. Ita Ariſt. 2. de gen. anim. cap. 3. *Semina vegetalem animam* (ψυχὴν θρεπτικὴν) *habere manifeſtum eſt: ſenſualem etiam,* (ψυχὴν αἰσθητικὴν) *quâ animal eſt, tempore procedente recipi, & rationalem quâ homo.* VIII°. Quan- 15.
doque duo tantùm in homine animarum genera diſtinguuntur, unum ſeparabile, alterum inſeparabile; unum ſempiternum, alterum quod occidit. Ita Ariſt. 2. de anima t. 21. de mente loquens: *Videtur hoc animæ genus eſſe diverſum,* inquit, *idque ſolum ſeparari poteſt, velut ſempiternum ab eo quod occidit.* Sed de hac animarum in uno corpore diſtinctione nunc porrò pleniùs agemus: ut partibus traditis, conſtet, quid de univerſa Animæ Humanæ ſubſtantia ſit ſentiendum.

Plures in uno homine animas eſſe tam vehementi acerbitate 16.
nonnulli inficiantur, ut ejus ſententiæ Autores, quâ duæ homini animæ tribuuntur, *impietatis conditores* appellent, *eoſque cum tota ſecta ſua anathemate damnent, exertâque voce dicant, Quicunque poſt hæc contraria ſenſerit, anathema eſto.* Quanta vis ineſt, ſive rerum ſive terminorum ignorantiæ, etiam ad damnandas conſcientias, ſi qui nimiùm curioſi ſuæ Profeſſionis terminos tranſiliunt, ac rebus alienis ſe immiſcent! Longè moderatiùs hîc ſentit Calvinus Inſt. lib. 1. cap. 15. §. 6. *Qui plures volunt eſſe animas in homine,* 17.
inquit, *hoc eſt, ſenſitivam & rationalem, etſi videntur aliquid afferre probabile, quia tamen in eorum rationibus nihil eſt firmum, repudiandi nobis ſunt, niſi in rebus frivolis & inutilibus nos torquere libeat.* Certè inutile eſt Theologo, ac frivolum in rebus Theologicis, tales Philoſophorum profundiores diſquiſitiones, ac ſubti- 18.
liores ἀκριβείας ſcrutari. Ineptum verò penitus, eaſdem, atque id

genus ſimiles paſſim propinare vulgo, quod talium rerum acumina non capit: ad colum verò uſque talia Naturæ ſacra expandere,
19. omninò perquàm eſt ridiculum. Theologo equidem, quâ tali, ſatis eſſe debet, ſcire ac inculcare *unicam homini ratione intelligentiâque pollenti eſſe animam* rationalem & intelligentem, quæ immortalis ſit ac ſeparabilis, *quæ exuta corpore vivat tamen, habeat eandem ac ſpiritualem naturam, ac ingenium ſuum & indolem vivaciter teneat*, ut loquitur Danæus. Philoſophis autem omnium facultatum, omnium partium, aut ſi quo alio nomine lubet appellare, quæ homini inſunt, quæ ad humanam animam ſpectant, accuratior diſquiſitio eſt relinquenda. [Hæc equidem Calvini cit. loc. eſt ſententia: qui ideò ibidem *Cæterùm*, inquit, *de ipſis facultatibus ſubtiliùs diſſerere Philoſophis permitto; nobis ad ædificandam*
20. *pietatem ſimplex definitio ſufficiet.*] Nudè apertéque tradit S. Pagina id quod ad ſalutem neceſſarium exiſtit, ac ſolâ illius autoritate nitendum eſt Theologo: hæc verò ubi ſilet, ſilere ejus Interpretibus tutiſſimum habetur; periculoſum verò certi quid determinare in utramvis partem, ac reverâ, ut Calvinus ait, temerarium. At Natura rerum multa admiranda interim involvit, abſtruſa, recondita, haud protinus in rerum ſuperficie obvia, ſed profundiore ratione Philoſophicâ eruenda, quæ ut non tangit ipſa S. Scriptura, ita nec iiſdem refragatur, nec ſilentio ſuo eadem evertit, cùm ad
21. particulares ſcientias ipſa non deſcendat. Fundamentum ergo Theologicum de unica ſimplicique hominis anima rationali, ſeparabili, immortali, hîc præſupponentes firmum ac indubitatum, quid de pluribus in homine animabus ſtatui queat, Philoſophicè ſcrutabimur. Dum verò plures in homine animas vocamus, partes intelligimus unius ejuſdemque Animæ, humanæ vulgo dictæ, ad quam nempe non modo intellectus & voluntas, quæ à mente dependent, ſed omnes omnino facultates, tam materiales, quàm immateriales, referuntur. Quo ſenſu Ariſt. 7. Polit. cap. 15. *Ut anima & corpus duo ſunt, ita quoque duas videmus eſſe animæ*
22. *partes, unam irrationalem, alteram quæ habet rationem.* Eas autem animæ partes ſubſtantias reipsâ diverſas ſtatuimus, ac propriâ eſſentiâ diſtinctas: Quippe cùm reverâ pars quædam ſeu facultas animæ humanæ rationis expers ſit, ſecundùm præſtantiſſimos Philoſophos, ac ipsâ teſte experientiâ, *nulla* certè

apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

apud me ratio viget, ut cum Scaligero dicam ex Exercit. 307. ſect. 5. *quæ mihi perſuadeat, animam noſtram*, (mentem dico, ſeu animam rationalem propriè dictam,) *ſubſtantiam immaterialem, Dei quaſi particulam quandam, ullo modo compoſitam eſſe, præſertim ex duobus actu contrariis: Non enim tam eſſe aquæ contrarium ignem arbitror, quàm τὸ λογικὸν τῷ ἀλόγῳ*. Duæ ergo ſaltem ſubſtantiæ in anima humana diſcernendæ ſunt, facultatibus contrariæ: quarum altera mens eſt, quæ reliquis partibus materiæ implicitis ſuperaddita ac unita, humanam eſſentiam conſtituit, ac κατ' ἐξοχὴν hominis anima appellatur, in qua ſola *nullam partem, nullam vim, nihil denique prorſus vel eſſe, vel cogitari poſſe dicimus, quod careat ratione*. Hanc ſolam immortalem in homine agnoſcimus: at corporum interim tuemur ſanctâ fide reſurrectionem. Altera, quæ magis propriè ψυχὴ anima dicitur, materiæ implicita, impreſſiones ſæpenumerò in ipſam mentem efficit, ut hæc fiat talis, qualis illa eſt. Scilicet, *cùm trahit invitam nova vis, aliudque cupido, Mens aliud ſuadet*. Hinc in irregenitis etiam cupiditates carnales multoties multis modis militant adversùs animam, adversùs rationem. Hinc tot errores, peccata, culpę. Nec verò tamen unum hominem dicimus, quaſi cumulum partibus coagmentatis: non trigeminus aliquis Geryon eſt, aut alia chimæra quæcunque; ſed verus homo eſt, unus homo, per ſe unus. Quippe ita ſubordinatæ ſunt illæ ſubſtantiæ, ac inferior per ſe rationis expers, ita cum materia cohæret, ut corpus reſultet determinatum naturaliter, ad ſuſtinendam mentem. Ex quâ unione verum eſt, quod habet Ariſt. ἡ μὲν ψυχὴ τοῦ σώματος ἄρχει δεσποτικὴν ἀρχήν· ὁ δὲ νοῦς τῆς ὀρέξεως πολιτικὴν καὶ βασιλικήν. *Anima*, ſtrictè dicta, *in corpus herile imperium obtinet; mens in appetitum*, (ſeu in ipſam animam,) *politicum ac regium*. Hanc verò duplicem humanæ animæ ſubſtantiam reſpicit Ariſt. lib. 1. Ethic. ad Nicom. propè finem, ubi, *Rationi quodammodò parere*, inquit, *id quod rationis expers eſt, tum præceptio & admonitio, tum omnis reprehenſio atque exhortatio indicat. Quòd ſi verò fatendum ſit, etiam hoc ipſum rationem habere, duplex erit id, quod rationis particeps eſt: alterum quidem principaliter, ac rationem habens in ſe ipſo; alterum veluti quod Patris dicto audiens eſt*. [Ac manifeſtè Melanchon, non minùs ſolidus Philoſophus, quàm Theologus Ortho-

DISSERT. I.
23.
24.
25.
26.

DISSERT. I. doxus, lib. de Anima, mihi pag: 22. *Non abſurdam eſſe judico opi-*
nionem ſupra recitatam, eorum qui dicunt, animam ſentientem &
vegetatricem eſſe vel κρᾶσιν, *vel* ἐνδελέχειαν, *vel animas diſtinctas ab*
27. *ipſo ſpiraculo, in quo eſt intelligentia & electio*] Nec alienus ab
eadem ſententia fuiſſe videtur Calvinus, vel certè Philoſophis
hîc movere litem noluiſſe, aut damnare eorundem conſcientias,
quando lib. 1. Inſtit. cap. 15 §.6. poſt traditam diviſionem ani-
mæ humanæ in varias facultates, ſubjungit, *Si cui libet alio modo*
animæ potentias diſtribuere, ut altera vocetur appetitiva, quæ ta-
metſi rationis expers, rationi tamen obtemperat, ſi aliunde diriga-
tur; altera dicatur intellectiva, quæ ſit per ſe ipſam rationis parti-
28. *ceps: non valde reclamo.* Quâ verò ratione hæc utraque potentia,
(quæ vel eſt ipſa animæ eſſentia, vel ab eſſentia emanativè proce-
dit,) in unam eandemque ſubſtantiam ſimplicem, mentem ſc.
propriè dictam, queat cadere, quâ ratione eadem ſubſtantia ſim-
plex, & rationis per ſe particeps, & rationis expers dici queat, quâ
ratione eadẽ ſimul & imperare & parere, nemo cogitatione facilè
comprehendet. [Idem argumentum ex Occamo pro ſententia ſua
munienda citat Melanthon, cit. lib. pag. 12. *Contrarii*, inquit, *ſunt*
appetitus rationalis & ſenſualis. Videntur igitur & ſubſtantiæ di-
ſtinctæ eſſe: quia in una & eadem, ac indiviſibili natura, pugnantes
29. *appetitiones collocare, videtur abſurdũ.*] Quin & mens ipſa, quam
vocamus rationalem animam, haudquaquam cum ſemine tradu-
citur, ut in ſeq. exponimus, ſed corpori poſt convenientem ap-
paratum ſupervenit, idque, ut celebriores quique volunt, circa
quadrageſimum diem circiter: Unde & Ariſt. 2. de gen. anim.
cap. 3. τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι *ſolam mentem extrinſecus ad-*
venire pronunciat, cùm jam ipſa ſenſitiva anima è potentia in a-
ctum ſuſcitata eſt. Namque, ut Galenus aït, *oportet profecto idone-*
um eſſe id corpus, quod animam (rationalem) *eſt recepturum, & ſi*
ſui temperamenti magnam mutationem ſubeat, ex eo ſtatim ani-
30. *mam emigrare.* At quænam cauſa cogitari poteſt, quæ ante acceſ-
ſum rationalis animæ organa diſponat, quæ corpus conformet,
quæ interea temporis nutritionem & accretionem præſtet? An
ſolus quidem calor id efficiet? At certè calor cùm ſit accidens, non
agit niſi in virtute agentis alicujus principalis. An verò δύναμιν ali-
quam πλαστικὴν *facultatem formatricem* ſemini ineſſe ſtatuemus?

At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

At illa facultas vel eſt ipſa animæ eſſentia, vel certè accidens ejuſdem eſt inſeparabile: λόγον ergo πλαστικὸν in ſemine ineſſe non negamus; at τοῦ λόγου nomine ſubſtantialem formam indigitamus, ac ipſam naturam, quâ homo ad genus animalium refertur. Sed quid ſi fætus ab anima matris vel utero formari ſtatuatur? Certè magnis urgeri poſſet hæc ſententia difficultatibus, quas ne in longum protrahamus, pro noſtra ſententia firmanda id opponimus ſolummodò, formationem fætus eſſe propriam naturæ operationem, quare eam ab interno principio fieri eſt neceſſe. Natura enim non eſt principium tranſmutationis in alio, ſed in eo in quo ineſt. Ac fieri quidem conformationem ab interno principio, antequam accedat rationalis anima, vel inde ſatis liquet, quod per omnes ſeminis partes intus & extra æquabiliter procedat conformatio: ſimiliter nutritio & augmentatio. Quòd ſi verò quiſquam credat animam matris etiam in ſemine ineſſe, ac eſſe fætum quaſi partem matris ſuæ, quæram, an ergo anima matris recedat antequam accedat anima infantis propria? an verò eo momento, quo infantis anima accedit? vel an in genito infante etiam ſuperſit? Si dicatur primum, jam ſemel fætus moritur in utero. Si ſecundum, cur migrabit, quæſo, matris anima, quàm diu fætus in utero ineſt, cùm ſubſtantia ſubſtantiæ non ſit contraria? cur munus nutritionis, augmentationis, quo fungebatur antè, alteri committet? quâ verò ratione nova illa anima adventãs conformati ipſius corporis organici, ac ſingularum partium, quas ipſamet non conformavit, accuratam obtinebit protinus cognitionem, ut minutiſſimorum quorumcunque mox adminiſtrationem tueatur? Ne jam dicam novâ adventante animâ, ac interim priore recedente, non eſſe numero eundem embryonem. Quòd ſi dicatur tertium, quâ, quæſo, ratione fiet, ut hîc duæ rationales animæ, non ſubordinatæ, matris & infantis, in eodem ſimul individuo exiſtant? eſſetne verò ita ex corpore & duplici anima verus homo, an verus potiùs Geryon veraque Chimæra? aut ſi quid aliud trinum triplexve ab Auſonio animadverſum eſt. Cælitus certè aliqua demiſſa machina expetenda eſt, quæ hanc tam tetram tollat belluam, aut duplicem potiùs hominem, duplici inſtructum rationali animâ, transformet, ac in ſimplicem tranſmutet, ne fortè ſupra parentes ſuâ dignitate, ſupra humanam ſortem ſe evectum credat. Sed quæro

DISSERT. II.

31. 32. 33. 34. 35.

DISSERT. I.

interim quamdiu gemina in uno fætu anima ineſſe ſtatuenda ſit?
An ad partum uſque, an verò quoque cùm jam infans eſt à matre
ſeparatus? Si poſterius quidem dicas, jam matris anima quoque
extra maternum corpus erit: ac plures erunt interim in genito in-
fante animæ: Niſi fortè hæreſin ſectetur quis Themiſtii & Aver-
roïs, qui unam numero intellectualem animam ineſſe omnibus
hominibus volebant: at illi interim formam informantem aliam
36. materialem admiſerunt. Si dicas prius, jam pulchra ratio in
promptu eſt, cur puerpera quandoque moriatur in partu, cur
quandoque maneat in vivis: nempe dubia matris anima, utri parti
adhæreſcat, corporine materno, an corpori infantis, hunc caſu a-
liquando comitatur, deſerto corpore matris, at in partu tandem
emigrare cogitur etiam ex infante: Sed à qua cauſa, quæſo, an for-
taſsis à frigidiore aëre? At quid ſi ita anima infantis emigraret, re-
manente matris anima in fætu? Et, nunquid tandem eâ ratione
ſemper ſemimortui naſcuntur homines, dum ante partum duplex
adeſt anima, in partu verò una animarum perit? Ne jam dicam
matrem eâ ratione ſtatui præcipuam, quin imò unicam genera-
37. tionis cauſam, adeòque generare poſſe ſine viro. Sed cùm planta-
rum quoque ſemina, à matribus ſeu ſtirpibus avulſa, conforma-
tionis, nutritionis, accretionis cauſam in ſe habeant, cùm item
ova avium ac piſcium à matribus ſecreta, quid ni & reliquorum
animalium ſeminibus internum ejuſmodi principium ineſſe ſta-
38. tuendum eſt? Cur verò minùs ſemini humano? Equidem gene-
ratio naturaliſsimum naturæ opus eſt. Ac homini æquè atque re-
liquis animantium ſpeciebus conceſſum eſt ex ſe ſimile procreare:
nec enim brutorum animantium conditionem potiorem eſſe
conveniebat conditione ejus animalis, quod vocamus hominem.
Cùm verò generatio ad formam tendat, docente Ariſt. 2. phyſ.
t. 73. quæ in animali ipſa ſenſitiva anima exiſtit: Utiq; ab homi-
ne generari corpus ſenſitivâ animâ inſtructum, ſeu animal huma-
num, eſt neceſſe. [Rectè, meo quidem judicio Melanthon, Theo-
logus extra controverſiam orthodoxus, lib. de anim. mihi. pag.
12. *Ut in plantis propagatur anima, ſeu vis ſeminalis, cum ſemine, &
bovis anima oritur ex vi ſeminis, ſic de anima vegetativa & ſenſiti-
va in homine dici poteſt. Homo enim non generat imperfectius quàm
planta & boves.* Additque: *Movetur hoc argumento & Occam*

(N.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

(N. particulam & interponit, ut ſibi conſentientem Autorem innuat,) *ſcriptor Anglicus, ut dicat in homine eſſe duas diſtinctas animas rationalem & ſentientem: quia manifeſtum eſt, animæ ſentientis nullas eſſe actiones, niſi organicas. Quare conſentaneum eſt, oriri eam à ſemine, & eſſe vel temperamentum, vel δύναμιν in corpore.*]
Sed regerit non nemo: Si ex traduce rationalem animam derivare 39.
haud ſatis tutum ſit, (quod à nobis erat demonſtratum. diſp. 6. part. 2. Theat. Nat. univ. §. 34 & ſeq.) *ſe ipſam refellit argumentatio iſta. Quia ex hypotheſi neque homo generabit hominem; ſed tantùm corpus animatum iſthac formâ materiali quæ reipsâ diverſa ſit ab anima rationali.* Sed ut confundat ſemetipſam iſthæc cavillatio. 40.
Quæro, *ſiquidem ex animæ rationalis traduce conciliari nequeat natura ejus immortalis,* quod ipſi etiam placet Adverſario, annon unâ nobiſcum ſtatuat, rationalem animam creando infundi & infundendo creari, adeóque ab homine, utpote naturali agente, non poſſe proficiſci, ſed à Patre ſpirituum Deo Opt. Max. conferri? Annuit hîc proculdubio. Quæro ergo porrò, an interim 41.
non ſtatuat ab homine generari idem ſpecie? Nec hoc inficiabitur. Si ergo pergas quærere, quâ ratione homo generet ſibi ſimile, ſi non producat rationalem animam? Hærebit certè aqua Adverſario, miſcenti *Philoſophica Theologicis,* nec ſatis Philoſophicè, nec ſatis Theologicè. Nec enim ſatis eſt, ſi dicat generari homi- 42.
nem ab homine, quod materiam homo generans ſuppeditet ac diſponat, ipſamque rationalem animam extrinſecus advenientem materiæ diſpoſitæ uniat. Haud enim, qui materiam ſuppeditat, generare dici poteſt, cùm hæc præcedat generationem, ejuſque ſit ſubjectum. Cùmque generatio non nuda alteratio dicenda ſit, 43.
haud poteſt dici generare is, qui ſubjectum generationis qualitatibus diſponit. Qui verò unit formam materiæ, is quidem generare dicitur, at non quod uniat ſimpliciter, ſed quod eductam è potentia materiæ uniat, ac eâdem quidem actione uniat, quâ eam è potentia materiæ educit. [Hinc generatio fieri dicitur Scalig. Exerc. 6. §. 10. quando ſemen prolificum producitur.] Sed nec ipſa 44.
unio rationalis animæ cum corpore, humanæ actioni adſcribenda eſt: ſolius enim Dei eſt, eam creando infundentis in diſpoſitam materiam, & infundendo creantis. Cùm enim illa unio contingat ſæpenumerò poſtquam parens modò obiit primarius, quis illam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. I. unionem tribuet parenti? niſi fortè ſoli matri univerſum generationis actum cenſeat attribuendum. Quòd enim ſeminalem aliquam virtutem fingant, quæ primarii fungatur vice generantis, nihil eſt: cùm illa abſque forma eſſe nequeat, ut antè expoſuimus. Huc verò cùm Theologia non deſcendat, in ſublimiori
45. culmine conſtituta, expediamus nodum iſtum philoſophicè. Cuilibet ſpeciei animantium nobiliori conceſſa eſt facultas producendi ſimile in ſua ſpecie. At certè generandi talis vis haud ultra naturam propriè dictam 2. phyſ. t. 3. extendenda eſt: cùm finis generationis ſit natura ipſa. ibid. t. 14. Anima verò rationalis ut generatione non producitur, ita & natura non eſt, 1. de part. anim. cap. 1. nec eſt generandi vim ſortita magis quàm In-
46. telligentiæ. Non ergo homo generat, ut homo eſt per rationalem animam; ſed homo generat, ut animal humanum eſt per animam ſenſitivam. In animalis ergo determinati genere producit homo ſibi ſimile: cùm in gradu ſui eminentiore, quo ad divina propiùs accedit, quo Intelligentiis aſſimilatur, generandi facultatem non obtineat. Quòd ſi ergo animal humanum generatione hominis
47. producatur, hoc eſt, quod determinatum ſit ad gradum eminentiorem, ſeu ad rationalem animam recipiendam, utique in embryone ineſt ſenſitiva anima, nimirum id quod ἄλογον in anima humana appellamus, quod quaſi patris dicto audiens exiſtit, quod à parte rationali rationem obtinere dicitur communicatio-
48. ne. Hanc ergo ſenſitivam animam in embryone præſupponit rationalis anima, cùm corpori conjungitur: ab illa conformatio dependet organorum; ab illa corpus aptum redditur ad rationalem animam recipiendam; ab eadem, interim abſente rationali, dependet functionum naturalium, quæ inſunt, executio. Ingratus verò hoſpes adventaret rationalis animus, qui protinus adventu ſuo domicilii pulcherrimi artificem expelleret: quin imperitus admodùm in artificioſa machina director, qui artifice ejecto or-
49. ganorum uſum ipſe ignoraret. Quippe, ut Galenus aït, *ea ſolùm vis organorum uſum novit, quæ & ea fabrefecit. Hinc videmus*, ut loquitur idem, *puellos ſonantes quicquid jubentur ſonare, cùm nec intelligant à quibus muſculis lingua ſic moveatur, ut eam vocem convenienter ſonare poſſit*. Nempe rationalis anima, quæ ipſa organorum uſum non intelligit, miniſterio utitur partis inferioris, & quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

& quorum modum ipſamet ignorat, eadem exequitur per ſibi ſubditas ac miniſtrantes facultates. Haud ſine ratione ergo Mocenicus, Univerſ. Inſtit. ad hom. perf. Contempl. 3. p. 1. cap. 19. 50.
Qui ad id deveniunt, ut opinentur intelligendi virtute accedente ſentiendi virtutes ac reliquas imperfectiores deſtrui, mentem autem ipſam harum munia ſuſtinere. Naturæ ordinem turbare videntur. Nam corruptio omnis eſt à contrario: intelligendi autem virtus ſentiendi virtuti non eſt contraria; ſed illi quàm maximè conſona. Quod ex eo præcipuè patere poteſt, quoniam ſentiendi virtus intelligendi virtuti aditum præbet. Nam, ut paulò antè dixerat, *humanum corpus, cujus rationalis anima eſt vera forma, non conſtituitur abſque uſu virtutis viventis ac ſentientis.* Ac verè quidem Ariſt. *Corrumpi id quod effecit, vel ſecundùm omnes, vel ſecundùm aliquas partes, abſurdum eſt.* [Abſurdum ergo eſt ex parte id quod habet Scal. Exerc. 6. ſ. 11. *Anima quoque ea*, inquit, *quâ primum vivit fœtus hominis, etiam à noſtris Theologis habita eſt pro vegetativa tantùm: Deinde ſubit ſenſitiva*: Rectè quidem hactenus, ſi ad operationes referatur anima; At perperam ſubjungit: *Tum his abolitis anima noſtra infunditur.* Quid enim cauſæ fingi poteſt, à qua ſubſtantia animarum præcedentium aboleatur.] Quin imò, 51.
ſola mens, quæ planè immaterialis eſt, quâ ratione materiales operationes ederet, niſi materialem formam ſibi ſubditam haberet? Unde, quæſo, mens humana facultatem nutriendi, augmentandi, &c. ſibi conſciviſſe eſt credenda? An fortè vi eripuit hæc ipſa emigranti ſenſitivæ animæ? vel an ab ea commodato poſſidet? vel an ex pacto ſibi tales facultates comparavit? aut hæreditario fortè jure acquiſivit, ſuccedens in poſſeſſionem, cùm ſenſitiva tenues evaneſceret in auras? Sic verò Solis occidentis lumen quis in capſula reſervet. An verò mens humana eas facultates ſe- 52.
cum ipſa apportaſſe ſtatuenda eſt? At *non eſſe abſque neceſſitate multiplicanda entia* Tyronibus eſt notum, *maximè ſi per multiplicationem non ſolvantur nodi ἄλυτοι ſeu inſolubiles, ſed cumulantur & in Philoſophia & in Theologia, contra receptam ſententiam.* Cur 53.
nempe emigrare eſt neceſſe id quod rectè conſtitutum eſt, cur aboleri id quod minimè adverſatur rationali animæ? cur eas facultates deſtrui, quas certum eſt fuiſſe antequam mens ipſa adveniret; & cum adventu hujus novas oboriri? Cur & τῷ λόγῳ πλα-

ςικῷ, & ipſi denuò rationali animæ eædem facultates adſcribendæ
ſunt? Cur ſuâ exui virtute corpus, quam antè obtinebat, quâ
conformatum eſt, & novâ facultate indui. Cur non ſimplicior
mens hominum accedit, quàm ut materiales facultates involutas
habeat facultati prorſus immateriali? Ne dicam infra mentis
54. dignitatem eſſe, viliſſimas in corpore obire functiones quaſvis, ut
penè fæcibus ſe inquinare ſit credenda, abſque aliorum miniſte-
rio. Hoc ſanè omittendum non eſt, eâ ratione mentem hominis
ligari nexibus corporeis, ac penitus immergi materiæ, *ubi aperi-*
55. *tur ſanè hæreſi non uni latibulum, contra receptam ſententiam.* An
verò ſervat quoque rationalis anima facultates illas materiales,
quas ſuſcepit pereunte λόγῳ πλαςικῷ, quando ea jam à corpore
ſeparata eſt? Quâ verò ratione ſimplicis ſubſtantiæ hîc perit ali-
qua facultas? aut cur hîc denuò multiplicatur entium interitus?
vel quâ neceſſitate facultates tales fruſtra adeſſe ſeparatæ menti
credam? [Fortaſſis ut probetur eâ ratione μετεμψύχωσις, dum
hiſce facultatibus inſtructa rationalis anima ad invadendum no-
vum corpus prona eſt. Nempe ut habet Marſil. Ficin. com. in
cap. 3. lib. 8. Ennead. 4. Plot. ex ſententia aliorum: *Animæ noſtræ
præter intellectum in Mundo intelligibili ſemper agentem, habent
rationem, imaginationem, ſenſum, vim vegetalem, quas ſanè vires
officiis propriis quandoque oportet uti. His autem utuntur in cor-
pore: itaque conſentaneum eſt eas in corpora quandoque deſcendere.*
Egregia ſanè ratio, ſi Deo placet, ac digna Chriſtiano ingenio.]
56. Nec eſt quod credat aliquis infundi rationalem animam mox
tempore eodem quo fœcundum ſemen utero committitur, ut a-
deò præter rationalem animam haud aliâ facultate opus ſit, nec
adventante mente quippiam in corpore perire ſit neceſſe, aut
menti ſeparatæ fruſtra quid adeſſe, vel è ſimplici ſubſtantia ſine
ratione quid diſſolvi. Errorem nempe illum jam antè refutavi-
mus, cùm ipſa etiam ſemina quorumvis animantium potentiâ
continere animam oſtendimus, (quod ipſum paſsim nobiliſsimi
Philoſophorum quivis unâ cum Ariſt. confirmant:) Ante-
quam ergo rationalis infundatur anima, in ſemine jam eſſe
quandam animam neceſſe eſt, quæ nempe ipſum corpus confor-
57. met. Quâ verò tandem ratione una eademque ſimplex anima ra-
tionalis operationes edet longè diſsimillimas, ac velut è diametro
pugnantes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

pugnantes? dum nempe intellectus & voluntas operationes habent immateriales, & ab organis corporeis haud dependentes, adeòq; facultates ipſę immateriales ſunt; at reliquę operationes ſunt corporeæ & organicæ, adeóque à corporea facultate, & quæ materiæ ſit implicita, oriuntur. Equidem vel facultates animæ non differunt ab ipſa animæ eſſentia, vel qualitates ſunt emanativè ab eſſentia ejuſdem dependentes. Si fatearis prius, una certè eademque ſimpliciſſima ſubſtantia & implicita materiæ dicetur, & implicita negabitur. Quæ enim materialiter operari dicitur ut forma, omnino cum materia permiſcetur, & à corpore dependenter operatur; quę immaterialiter, quamvis ut forma quidem hominis, à materia tamen independenter operabitur. Si dicas ab eſſentia ipſius animæ manare facultates, quâ, quæſo, ratione fiet, ut à ſubſtantia, quæ ratione ſuæ exiſtentiæ à materia non dependeat, promanent facultates materiales, ſiquidem emanativæ cauſæ ſolam exiſtentiam effectus conſequatur neceſſariò, immediatè, ac ſimpliciter? Certè nutrix & auctrix facultas, itemque ſenſus & motus, haud minùs arcto nexu cum materia cohærent, quàm cum naſo ſimitas: Quòd ſi ergo facultates illæ ab animæ eſſentia promanent, ſupponunt ejus exiſtentiam materiæ implicitam. Nec quicquã eſt quòd dicat aliquis, materiales illas facultates non eſſe rationalis animę ſolius, ſed ſuppoſiti. Nam, licet facultates illæ non niſi in compoſito producant functiones, vis tamen illa ipſi procul dubio ineſt animæ, quâ hæc, dum corpori unita eſt, materiales edit operationes, non quidem partim ab ipſa anima, partim à corpore promanantes, ſed à ſola anima per organa corporea procedentes. Omnes nempe facultates atque operationes animæ humanæ, ab ipſa anima humana promanare ac perfici certum eſt, idque vel à corpore dependenter, vel independenter: quod ſi ergo facultates dum ab anima hominem informante manant, dependeant à corpore, animam quoque ipſam corpori implicitam exiſtere neceſſe eſt, nec ab eo poſſe ſeparari; quòd ſi verò facultates dum ab anima, hominem informante, manant, à corpore non dependeant, anima quoque ipſa quoad exiſtentiam à corpore non pendebit. Quid verò tandem rationis fingi poteſt, quo uni menti, eique planè ſimplici, ita diverſiſsimæ aſsignari queant facultates, quarum aliæ ad ſolam animam pertineant, aliæ ad inte-

grum

DISSERT. I.

58.

59.

60.

61.

62.

grum compoſitum? An, quæſo, fieri poteſt, ut una eademque
63. ſimpliciſsima ſubſtantia partim ſit materiæ implicita, partim ſit à
nexibus corporeis ſoluta? Quin &, cùm operari præſupponat eſſe,
adeóque ipſa exiſtentia animæ eâdem neceſſitate à materia de-
pendeat, quâ operationes materiales, utique rationalis anima, quâ
facultate edit materiales operationes, non erit independens à ma-
64. teria: quare nec per conſequens per ſe ſubſiſtit eâ parte, nec eſt
ſeparabilis, nec adeò immortalis dici poteſt. At eadem rationalis
anima, quâ facultate immateriales operationes edit, ſine organo
corporeo ac penitus independenter à materia operatur, quare &
eâdem facultate independenter à materia exiſtit: adeóque &
per ſe ſubſiſtit, ac eſt ſeparabilis & immortalis. Una ergo eadem-
65. que rationalis anima ſimpliciſsima, & ſeparabilis dicenda eſt &
inſeparabilis, mortalis ſimul atque immortalis. Quod cùm abſur-
dum, Alia certè anima, vel (ſi hoc nominis offendat, alia aliqua
ſubſtantia, à rationali anima diverſa, quæ tamen ſit ſubordinata
66. ei, in homine omnino concedenda eſt, ad quam materiales facul-
tates referantur. Sic verò per ſe liberam ab omni materiali opera-
tione rationalem animam agnovit Ariſt. 2. de gen. anim. cap. 3.
qui poſtquam vegetativam ac ſenſitivam animam ineſſe oſtendiſ-
ſet, ſubjungit tandem: *Reſtat igitur ut mens ſola extrinſecus acce-*
67. *dat, eaque ſola divina ſit: nihil enim cum ejus operatione communi-*
cat actio corporalis. Hoc nempe eſt quod inquiunt Theol. Baſi-
leenſ. in Reſp. ad Sennert. de nat. & orig. anim. in brutis, p. 46.
Anima rationalis, quà talis, vel ipſo Ariſtotele teſte, ἐνεργείας *nul-*
68. *las habet* σωματικὰς *cùm operationes quidem ejus edantur in corpo-*
re, ſed non per corpus aut organa corporea. Atque ita pluribus in lo-
cis humanam mentem ſeu rationalem animam diſcernit Ariſt. à
facultatibus corporeis, ut 1. de anim. cap. 4. t. 65. 66. 2. de anim.
text. 11. 21. 3. de anim. cap. 5. &c. Cúmque materiales φύσεις præ-
cedant rationalem animam, veriſſimum exiſtit quod dicitur ab
Ariſt. 2. de gen. anim. cap. 3. *Non ſimul fieri animal & hominem.*
Quòd ſi verò alia non concedatur homini eſſentia, præter ſolam
69. rationalem animam, certè ne ad genus quidem animalium referri
poterit, nec inter corpora naturalia cenſeri. Namque, ut Triſme-
giſt. lib. de anim. *Vocatur animal, ob vitam,* inquit, *rationale autem*
ob intellectualem naturam. Et mox: *Quo enim modo poteſt dici*
animal,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

animal, non exiſtente eſſentiâ quæ vitam præbeat? Sed neque rationale poteſt dici, niſi ſit intellectualis eſſentia, quæ præbeat intellectualem vitam. Et cùm per naturam corpora naturalia conſtituantur, 70.
natura autem, quæ forma eſt, non ſeparabilis ſit à materia, niſi ratione tantùm, docente Ariſt. 2. phyſ. text. 12. at rationalis anima reipsâ ſeparabilis exiſtat, lib. 3. de anima, utique natura dicta Phyſicis hæc appellari nequit, quare nec per ſe corpus naturale aliquod, nec animal per conſequens conſtituit, ex mente quoque Ariſtotelis. Hinc idem 1. de part. anim. cap. 1. mentem phyſicæ 71.
conſiderationis eſſe negat, eò quod natura non ſit, quæ ſit principium motus naturalis. Cúmque generans cum genito ejuſdem ſpeciei ſit, 2. phyſ. t. 70. quæ identitas ſpecifica à forma dependet; homo autem ab homine generetur, ibid. & t. 13. cùm interim rationalis anima extrinſecus accedat 2. de gen. anim. cap. 3. neceſſe eſt adeſſe aliam eſſentiam, quâ genitum cum generante ad genus animalium referri queat. Et, cùm Phyſica verſetur circa eas for- 72.
mas, quæ ſeparari non poſſunt, 2. phyſ. t. 26. rationalis verò anima ſit ſeparabilis, ut ex ipſo quoque Ariſt. libris de anima pluribus in locis conſtat. Utique neceſſe eſt aliam adeſſe formam homini, cujus merito ad phyſicam conſiderationem homo referatur. Veriſſimè autem ex natura rerum loquitur Triſmegiſtus in 73.
Clave: *Impoſſibile eſt mentem in terreno corpore nudam ipſam ſe ſtabilire. Neque enim terrenum corpus poſſibile eſt tantam immortalitatem ferre; neque talem virtutem ſuſtinere conflatum ſibi poſſibile corpus: quare ſumpſit mens veluti ſeptum, animam,* &c. Huc 74.
quadrat illud Libavii: *Anima* ſc. rationalis, *diverſiſſima à corpore, citra vinculum, quod utrinſque naturam participet, nec ineſſe illa nec aſſiſtere poteſt.* Tale vinculum non ignoravit quoque Scaliger Exerc. 307. ſ. 13. *Anima nobilitas cœleſtis atque divina,* inquit, *haud poterat cum re bruta, id eſt corpore, conjungi, niſi media intereſſet natura quædam, de quo ex Ariſtotele ſatis diximus ſupra*: quamvis fortè Scaliger naturam illam mediam haud ſatis commodè verbis expreſſerit. Nimirum, animæ rationali 75.
ſeu parti humanæ animæ ſeparabili, à materia non dependenti, quæ mens vocatur, ſubſternitur pars alia, à priori diſtincta, inſeparabilis, à materia dependens, quam Themiſtius ac cum eo Scaliger Exerc. 6. ſect. 9. domicilii ſui architectam pronunciat.

DISSERT. I.

Hanc partem animam ſenſitivam humanam appellare conſueve-
runt Philoſophi, quàm è potentia materiæ educi aſſerunt, quâ
ipſa ſemina animata eſſe ajunt, antequam mens tandem infunda-
tur. Sic Verulamius de dign. & augm. ſcient. lib. 4. c. 3. doctrinam
76. de humana anima dividit, ut pars altera tractet *de anima ratio-
nali, quæ divina eſt*, altera *de irrationali, quæ communis eſt cum
brutis*: quas, licet homini non niſi unica ſit anima humana, vo-
cat tamen, *duas differentes animarum emanationes, quæ in pri-
ma utriuſque creatione ſe dederint conſpiciendas: Nimirum, quòd
altera ortum habuerit à Spiraculo Dei; altera à matricibus ele-
mentorum*, nempe è potentia materiæ ſit educta. *Eſt autem hæc
anima in brutis*, inquit, ibid. pag. 238. *anima principalis, cu-
jus corpus brutorum organum; in homine autem, organum tan-
tùm & ipſa animæ rationalis, & Spiritus potiùs appellatione,
quàm animæ indigitari poſſit. Neque tamen*, inquit, *cùm hactenus
Philoſophiam ſolam tractemus, partitionem iſtam à Theologia mu-
tuaremus, niſi etiam cum principiis Philoſophiæ conveniret.* Atque
ita Mocenicus univ. Inſtit. ad hom. perfect. Contempl. 3. part. 1.
77. cap. 19. *Intelligendi virtus*, inquit, *adhæret ſenſibilium formæ
perfectiſſimæ, non tanquam propria illius forma, ſed tanquam for-
ma totius compoſiti, quod ex formæ ſenſibilis perfectiſſimæ adeptione
ad intelligendi virtutem admittendam diſponitur*, hoc eſt, ut nos
alicubi pronunciavimus, tanquam forma animalis humani: Et
paulò pòſt: *Hæc verò intelligendi virtus non deſtruit ſenſibilem vir-
tutem cui adjungitur; ſed illam potiùs perficit, unâ cum cæteris omni-
bus, quæ recipienti inſunt, atque ad longè præſtantiorem ordinem
perducit, ut intelligendi vim aſſociet.* Similiter Themiſtius, citante
78. Fort. Liceto de ort. animæ hum. lib. 2. cap. 1. *ſenſuali animæ
tanquam materiæ, intellectum copulari*, ſcribit: *quippe ordo pro-
ceſſuſq; naturæ hîc eſt, ut reſpectu inferiorum ſuperioribus vice for-
marum utatur; & reſpectu ſuperiorum inferioribus vice materiæ.
Summam verò & ſupremam formarum intellectum conſtituit, quo
ſimul atque progreſſa eſt, receptui canit, in eoque finem quaſi ex-
tremam manum imponit: utpote quæ nullam formam ſuperiorem aut
nobiliorem haberet, cui loco materiæ ſubjiceret intellectum.* Eodem
79. ſenſu Plotinus, Philoponus, Ammonius, Averroës, Zabarella,
aliique complures Philoſophi Principes, unâ cum Ariſtotele ac
Platone,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Platone; diverſas in uno homine animas ſeu partes animæ diſtinctas agnoſcunt, alii quidem duas, rationalem ac ſenſitivam; alii verò præter rationalem materiales duas, ut nempe vegetativa à ſenſitiva ſit diſtincta: Quos non ſine ratione ſecutus eſt in Academia Lugd. Bat. haud pridem, cùm in vivis eſſet, Clariſsimus Profeſſor Burgerſdicius. Ac multis in eandem ſententiam diſſerit fortunius Licetus, lib. de ort. Animæ Humanæ, ubi plurimorum autoritates adducit. Hoc verò ambiguitati locum dedit, quòd, ut 80.
Bodinus loquitur lib. 4. Theatr. Nat. *Pauci Latinorum Philoſophicam* hac parte *ſeriò tractârint: nam pro animæ generali definitione humanam ingerunt*, in qua re plerique Auguſtinum ſequuntur, præter Henricum, Thomam, & Scotum, qui, ut idem Bodinus aït, *Philoſophiæ decreta ſubtiliùs quàm cæteri Latini conquiſierunt, nec tamen à Philoponi ſententia longè diſceſſerunt*: qui *Philoponus, mentes humanas à Deo creari, ac formatis corporibus infundi* ſtatuit, *poſtquam vegetalem ac ſenſualem animam acceperint: ac tres animas totâ ſubſtantiâ diſtinctas eſſe, duas quidem priores cum homine aboleri, ſuperſtite intellectuali.* Atque hæc quidem ipſius 81.
Ariſtotelis ſententia fuit, qui libr. 1. Eth. ad Nicom. cum duas animæ partes tradidiſſet, alteram per ſe rationis participem, alteram, quæ veluti filius dicto parentis audiens ſit, at quodammodò rationis particeps fiat, ſubjungit, *partem quoque rationis expertem eſſe duplicem. Nam vegetativa*, inquit, *nullo modo rationis eſt particeps; quod autem ad concupiſcendum, & omnino ad appetendum impellit, aliqua ex parte ratione præditum eſt, nempe, quâ ei paret atq; obtemperat.* Ac ita 1. de part. anim. cap. 1. partes animæ varias 82.
indigitans, eaſdem animæ nomine ſingulas appellat, quando quærens *Utrùm de anima omni diſſerere naturalis ſcientiæ interſit, an de aliqua una?* Concludit tandem, *Conſtare igitur non de anima omni diſſerendum, quandoquidem non anima omnis natura eſt, ſed aliqua ejus pars una, aut etiam plures.* Partes autem haſce animæ, 83.
ſeu particulares animas, quæ eſſentiali ſubordinatione aliæ alias reſpiciunt, pulchrè diſtinguit 2. de gen. anim. cap. 3. ubi, *Cùm non minùs ſemina animalium vivant*, inquit, *quàm ſtirpium, & aliquandiu prolifica ſint, utique animam vegetalem* (ψυχὴν θρεπτικὴν) *habere palam eſt*, &c. *Senſualem etiam* (quam ψυχὴν αἰσθητικὴν appellat,) *quâ animal eſt, tempore procedente recipi.* Utram- 84.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

que tamen è potentia materiæ educi ſtatuit, & cùm potentiâ priùs inſint, in actum evocari, priùs quidem vegetativam, deinde ſenſitivam, *Mentem verò ſolam*, (quam ibidem ψυχὴν νοητικὴν *rationalem animam* nominat,) *extrinſecus advenire* aït, *eamque*
85. *ſolam divinam eſſe.* Alibi tamen ſolam mentem animam genere diverſam ſtatuit; reliquas verò naturas, quando in uno ſuppoſito inſunt, unius animæ partes vocat, ratione diverſas: quippe ita 2. de anim. text. 18. cùm animam quidem definitam dixiſſet vegetativo, ſenſitivo, intellectivo, & motu, quærendum aït, utrùm horum unumquodque ſit anima, an pars animæ? &c. ac ſubjungit tandem t. 21. *de intellectu contemplativaque potentia nondum quicquam eſt manifeſtum*, (ſc. nondum naturam ac conditionem ejus expoſuerat, quam nec ſub ipſa quidem animæ definitione complexus fuerat, ut patet ex 2. de anima, t. 11.) *ſed videtur hoc animæ genus diverſum, idque ſolùm ſeparari poteſt, veluti ſempiter-*
86. *num ab eo quod occidit.* Nempe animarum materialium, vegetativæ & ſenſitivæ, tam arcta unio eſt, & cum materia permixtio, ut altera alteram quodammodò abſorbeat, ac inferiori quidem materiam diſponente, ſuperior ſenſitiva actum unicum inſeparabilem, at ſubordinatum menti, conſtituat: unde & *ratione tantùm differre* eæ animæ partes dicuntur, ibid. t. 22. At rationalis anima à nexibus corporeis ſoluta eſt, etiam tunc cùm in corpore exiſtit, & hominis eſſentiam conſtituit: Unde nec vocabulum ἐντελεχεί-
87. ας illi poteſt aſſignari, quòd nimis arctè eam corpori alliget. Hæc enim, ſecus atque aliæ partes animæ peculiares etiam in corpore habet operationes, ab organis corporeis haud dependentes, (quod & notavit Ariſt. 2. de gen. anim. cap. 3.) hæc ſeparabilis exiſtit, hæc à corpore ſoluta vivit tamen in ſe, ac ingenium ſuum atque indolem vivaciter tenet. Hanc ergo animam in homine diſcernimus, ab ea quæ materiæ eſt implicita, quam ſenſitivam appellamus, quæ nempe vegetabiles facultates ſub ſe comprehendit.
88. Atque hoc ſenſu duas in uno per ſe homine dari animas, quid ni altâ exertâque voce, abſque omni piaculo in religione, quis pronunciaret? Cæterùm, ſi quis ea, quæ ad controverſiam de anima humana decidendam, aut minuendam ſaltem, à nobis ſunt allata, animo ac cogitatione perpenderit, facilè ex omni ſalebra contentionis ſe expediet, nec admodùm mirabitur, aut veluti abſurdum

reſpuet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

reſpuet, id quod Platonis atque Ariſtotelis opinioni impedimentum accidiſſe ex Themiſtio refert Fernelius lib. 5. Phyſiol. cap. 15. in fine, dum uterque *non ſimplicem, ſed concretam ex partibus animam* dicit: Nec ipſi refragabitur Fernelio, qui ibid. cap. 18. 89.
cenſet, *animam qua in nobis eſt rationis & intelligentia particeps, non ex aliis tanquam ex partibus componi; ſed ſimplicem eſſe, & tanquam reginam (cùm acceſſerit) aliarum principatus obſcurare, ut una praſtantiſſima dominetur, qua omnium vires atque facultates, haud ſecus atque pentagonum, ſimplex illa comprehenſas teneat.* &c. Ut enim ſoluta mens & libera cogitat, ratiocinatur, ſic talia efficit in nobis nullius corporis adjuta concretione mortali, &c. *Eadem natura utens facultatibus, corpus univerſum alit; utens vitalibus, hominis vitam ſuſtinet.* &c. Nempe, ut paulò antè eodem 90.
cap. expoſuerat: Dum fœtus utero conformatur primum naturalis anima emergit, deinde anima ſentiens comparet & elucet: Quæ quidem, licet ſimplex ſit, comitem tamen retinet vim illam naturalem, quæ tum manens propriè anima dici non poteſt; ſupereſt tamen, tanquam præparatio & miniſtra formæ ſuccedentis. Po- 91.
ſtremò autem, cùm mens conſilii rationiſque particeps immigrat, quæ ſentiens fuerat anima, jam non reapſe, ſeu quâ anima erat, commoratur; ſed ut facultas quædam & ſuperioris illius quaſi præparatio, quoad ſubſtantiam materiæ permixta manet. [*Minimè* ergo *putes*, (ut cum eodem Fernelio dicamus ex Phyſiol. lib. 7. cap. 13.) *ſentiendi animâ appellente altricem perire, & cum ſumma illa rationis particeps acceſſerit, quam omnium vim habere exiſtimant, cateras intercidere: illi enim ha ſemper aſſident, eſſentiâ* (ſedibuſque addit ex ſuo ſenſu,) *diſtincta.*] Cùm verò animæ illæ 92.
inferiores ſpecificam hominis eſſentiam non determinent, hinc cum Varrone quidam non incommodè unius animæ gradus varios diſtinguunt. Is namque apud Auguſtinum de civitate Dei, *primum anima gradum* eſſe aït, qui omnes partes corporis, quæ vivunt, tranſit; & eum non habere ſenſum, ſed tantùm ad vivendum valetudinem ſeu potentiam: hanc verò vim in noſtro corpore dicit permanare ad oſſa, ungues, & capillos; ſicuti in Mundo arbores ſine ſenſu aluntur & creſcunt, & modo quodam ſuo vivunt. *Se-* 93.
cundum gradum appellat, in quo ſenſus eſt: hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum. *Tertium gradum* animæ eſſe ſum-

mum, qui vocatur, animus, in quo intelligentia præeminet: hoc, præter hominem, omnes carere aït mortales, & in eo quoniam homines Deo videntur ſimiles, hanc partem animæ in corpore Mundi ille perperam *Deum*, in nobis autem *genium* inquit appel-
94. lari. Ut tandem uno verbo abſolvam: Plures in uno homine eſſe animas materialiter, ſeu quoad ſubſtantiam, omnino ſtatuendum eſt, quoad formalem verò rationem animæ, ſeu ratione principatus, non niſi unicam ineſſe in uno individuo, largiri non grava-
95. mur. Prædictam verò animæ humanæ conſtitutionem quicunq; non diſcernunt, vel agnoſcunt, ii utique graviſſimis paſſim & indiſſolubilibus vexati implicatique difficultatibus, in ſalebra hærere neceſſe habent, nec rationem, quâ ſe commodè expediant, inveniunt.

Ad hanc de Anima Humana Subſtantia Diſſertationem referantur Coroll. adjecta ad Diſſert. 4. & 6.

DISSERTATIO SECUNDA
Quæ eſt
De
ANIMÆ HVMANÆ ORIGINE.

PRIMA.

SUbſtantiam animæ humanæ talem antehac luſtravimus, quæ non ſit ſimplex; ſed ex partibus compoſita: mortali & immortali; ſeu evaneſcente, & ſubſiſtentiam in ſe ac per ſe ſervante, adeóque verè per ſe vivente; materiæ immerſa, & nexibus cor-
2. poreis ſoluta; naturali, ac divina. Quarum quidem partium hic concentus eſt, ut unam quaſi ἐντελέχειαν ſeu actum perfectum & abſolutum ſimul junctæ conſtituant. Veluti enim partis inferioris ea eſt conditio, ut non habeat aliud eſſe, niſi quo ſit perfectio alterius; omnem tamen perfectionem ſubjecti ipſa non abſolvit: ita viciſſim partis ſuperioris ea conditio eſt, ut ultimam perfecti-

onem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

onem tribuat ſubjecto, (quæ eſt altera τῆς ἐντελεχείας conditio,) DISSERT. III.
ac eſſentiam humanam conſtituat; at proprium tamen hæc in ſe eſſe habet, quo per ſe ſubſiſtat, quodque non penitus in eo poſitum eſt, ut ſit perfectio alterius, (quod tamen proprium ἐντελεχείας attributum eſt,) ſed in ſe quoque ac per ſe perfectionem quandam obtineat, quâ ad proprias operationes, à materia non dependentes, exercendas ſit idonea. Subſtantiæ verò hujus per 3.
partes à nobis expoſitæ, (cujus quidem propriam οὐσίαν, ſeu eſſentiam haud poſſibile eſt cuiquam cogitatione aſſequi, nedum verbis exprimere,) hujus, inquam, ortus & origo nobis porrò nunc inveſtiganda eſt. Ac inferioris quidem partis, quam mortalem, 4.
quam materiæ immerſam, ac ſenſitivam animam, vocamus, haud alia ortus ratio eſt, quàm reliquarum formarum naturalium. Cùm enim eâ parte homo ad genus animalium referatur, ac ejuſdem cum reliquis animalibus naturæ & conditionis ſit, nulla ratio eſt, cur hîc aliam originem concipiamus, quàm quæ in brutis quoque animantibus obtinet. Adeóque quid de origine hujus partis ſtatuendum ſentiamus, notum eſſe poteſt ex Theatr. Nat. Univerſ. part. 1. diſp. 7. ubi pleniùs, quid ſit educi è potentia materiæ à nobis eſt expoſitum. De ſuperioris ergo partis, quà verè 5.
homines ſumus, origine hâc diſſertatione inquirendum eſt. Hîc autem variæ Philoſophorum ſunt opiniones. Ac plato quidem animas ab origine Mundi omnes à Deo conditas aſſeruit in Timæo: ubi Deus, cùm Univerſum conſtituiſſet, aſtris parem numerum animarum diſtribuiſſe dicitur, ſingulis ſingulas adhibens; eiſque tanquam vehiculo impoſitis monſtrâſſe Univerſi naturam, legeſque fatales explicuiſſe: oſtendens primam generationem unam fore cunctis æquè ordinatam, ne quis ab eo queratur ſe indignè affectum. Satis autem & quaſi ſparſis animabus per ſingula 6.
ſingulis convenientia temporum inſtrumenta, (ſeu ſidera, ſingula ſingulis appropriata,) futurum monſtravit ut animal naſceretur, quòd omnium animalium maximè eſſet divino cultui deditum; voluptate interim ac dolore cæteriſque affectibus animi contemperatum: Quibus ſi quis imperet, fore ut juſtè vivat; ſi vincatur, fore ut vivat injuſtè. Ac eum qui bene curriculum vivendi à natura datum exegiſſet, ad illud aſtrũ, cui accommodatus eſſet, reverſurum, beatamque vitam acturum: Qui verò affectibus ſe ſuperari

permiſiſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

permiſiſſet, mutandum in ſecunda generatione in naturam mu-
liebrem. Et qui ne tum quidem finem peccandi feciſſet, mutatum
iri in brutorum naturam ſuis moribus ſimilem: ac tam diu in hac
mutatione tranſituque futurum, dum abſterſiſſet expiâſſetque per
rationem ſordes ab elementis contractas, affectuſque turbulen-
7. tos ſibi ſubjeciſſet. Sic ergo animas à prima Mundi origine crea-
tas, aſtriſque ut vehiculo impoſitas, multiplici notitiâ, habitibus,
virtutibuſque à Deo inſtructas, cælitus in corpora delabi, & tan-
quam in ſordidum contagioſumque carcerem immitti, Plato ſta-
tuit: ob cujus affinitatem pravis affectibus, tanquam ſordibus, in-
quinentur ac veluti hauſto oblivionis poculo, obliviſcantur planè
cæleſtium donorum atque virtutum, donec denuò doctrinâ ex-
colantur, & per reminiſcentiam antiqua recolligant. De qua
re multis apud Macrobium, Virgilium, alioſque Platonicos:
quos hac quidem parte, quæ eſt de animæ origine, (rejectâ in-
terim fabulâ quæ eſt de tranſmigratione, de qua poſtea dice-
mus,) Origines 1. περὶ ἀρχῶν, aliiq; nonnulli ex Grecis Theolo-
gis ſecuti: qui omnes animas unâ cùm Angelis factas voluêre,
eaſq; veluti in apotheca ſeu theſauro Dei tam diu aſſervari, donec
8. corporibus ſuis aſſocientur. Ex ea autem opinione unius in ex-
ordio Mundi creationis animarum, concludit Plato libr. 10. de
Republ. *Eaſdem ſemper animas fore: Neque pauciores*, inquit, *e-
runt unquam animæ, cùm nulla intereat; neque plures. Si enim im-
mortalium quicquam plus efficiatur, ex mortali efficietur: eruntque
9. demum immortalia omnia.* Sed hanc quidem ſuam ſententiam i-
pſe Plato deſtruere videtur, quando Mundum nunquam interi-
turum innuit in Timæo: ubi mali eſſe, inquit, id quod pulchrè
compoſitum eſt, ſeque bene habet, velle diſſolvere. Nam, ſi per
infinita in futurum ſæcula animæ in terram decaſuræ ſint, ad ani-
manda corpora, (fiet autem illud ſi quidem Mundus ſuum πλήρω-
μα ſit habiturus,) ubi ergo beatitudo erit animorum, quam to-
ties ipſe Plato decantavit? ubi præmia juſtitiæ poſt hanc vitam, de
10. quibus etiam ſuperiùs ex Platone fuit facta mentio? Etenim, ſi
redeunt ſemper animæ, (redire autem neceſſe erit, ſi quidem nec
plures nec pauciores ſunt futuræ unquam,) & ſi certus ille nu-
merus diſcedet aliquando à corporibus, tot innumerabilibus ſæ-
culis pòſt futuris, quomodo corpora quæ ſubſequentur animata
erunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

erunt, niſi redeuntibus animabus, ſemperque in hoc ludibrio verſantibus, ac è cælo relabentibus. Si hoc, ubi ergo beatitudo bonorum? ubi gloria, ubi honores juſtorum poſt mortem? Sed nec convenire poteſt rationali animæ, ſolutam à corpore ſubſiſtere, antequam eidem conjungatur. Quippe, ſi melius ſit menti à corpore ſolutam eſſe, ex Ariſt. 1. de anim. t. 49. utique in peccatorum gurgitem ſe nollet ultrò inſinuare: ac præter Dei juſtitiam ac bonitatem foret, puram ac intaminatam inquinare ſordibus, ac in abyſſum vitiorum cogere nolentem. Denique, quid cauſæ reddi poteſt, cur ſociata corpori humana mens eorum nihil recordetur, quæ dudum antè noverat? cur multa ſe noviſſe antè, non intelligat? quod argumentum movet alicubi Platoni Ariſtoteles. Similiter Lucretius libr. 3.

DISSSERT. II.

11.

12.

——*Si immortalis* (ab origine Mundi genita) *naturæ animaï*
Conſtat, & in corpus naſcentibus inſinuatur.
Cur ſuper anteactam ætatem meminiſſe nequimus?

Hac ergo opinione rejectâ, videamus aliam, ex ultima quoque Antiquitate prognatam, quâ ab Univerſi quadam anima particulares animæ quævis originem habere creduntur. Sic namque Triſmegiſtus in Clave: *Non audiviſti*, inquit, *quòd ab una anima Univerſi omnes animæ ſunt, eæ quæ in univerſo Mundo volutantur, quaſi illinc diviſæ & diſtributæ?* Haud tamen haſce divinæ eſſentiæ particulas credidit Hermes, velut Epict. apud Arrian. lib. 1. diſſert. 14. ψυχὰς θεȣ̃ μόρια καὶ ἀποσπάσματα vocat. Nec enim ille Deum creatorem cum Mundi anima vel ſpiritu confundit: Quippe qui in Dialogo Aſclepio, *Spiritu miniſtrantur omnia*, inquit, *& vegetantur in mundo; & quaſi organum vel machina ſummi Dei voluntati ſubjectus eſt.* Huncque ſimiliter poſtea imitatus Plato, Mundi animam à Deo creatore ſecrevit. Quod dogma poſtmodùm à Stoïcis peſſimè corruptum eſt: qui Deum Mundi animam conſtituentes, ab ipſo Deo decerpi omnes in Univerſo animas finxerunt. Quò ſpectat illud Virgilii.

13.

14.

15.

——*Deum namque ire per omnes*
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

 Hinc fortè Cicero Animum humanum ex divina mente decerptum, hauſtum, tractum, ſæpius pronunciat. Quem Horatius
16. libr. 2. Sat. 2. divinæ particulam auræ vocat. Alii verò animas particulares unius Mundi animæ, vel ipſius Dei, quaſi radios ac ſcintillas dixerunt, poſt diſceſſum è corpore in eandem redeuntes: in quem ſenſum Simplicius, primo Phyſicorum; καὶ γάρ ἡ ψυχὴ ὑπὸ θεοῦ ἐλλάμπεσθαι λέγεται, *Etenim dicitur anima à Deo radiare.* Atque ita Philo Judæus, *Omnis homo,* inquit, *ſecundùm intellectum habet cùm verbo divino ſocietatem, factus naturæ beatæ ſimulachrum, aut abſciſſio, aut refulgentia,* (ἐκμαγεῖον, ἢ ἀπό-
17. σπασμα, ἢ ἀπαύγασμα:) Huc ſpectat illud Ciceronis, *Humanus animus decerptus ex mente divina, cum alio nullo, niſi cum ipſo Deo, ſi hoc eſt fas dictu, comparari poteſt.* Quod hic dixit *decerptum,* alibi *hauſtum,* vel *tractum,* idipſum Philo & Epictetus ἀπόσπασμα, ἀπαύγασμα vocant. Ipſe Moſes *divinum afflatum* appellaret.
18. Ut adeò ſæpius cogitationem meam ſubeat ſuſpicio, hanc priſcam nobiliſſimorum Philoſophorum de ſubſiſtentia mentis noſtræ opinionem meliori ſenſu ab Antiquis ipſis eſſe redditam; at à novitiis quibuſdam Philoſophis, ob phraſin ſermonis ſublimia myſteria non ſatis exactè adæquantem, pravè detortam ac vitiatam, vel perversè intellectam; quod ipſum quoque viſum fuit Auguſt. Steucho Eugubino de peren. Philoſoph. lib. 9. cap. 30.
19. Certè ipſum etiam Pythagoram, qui, autore quidem Cicerone ac Plutarcho, dixit Deum eſſe per omnes Mundi partes intentum & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur, locutum eſſe de ortu noſtrorum à Deo animorum, certum eſt: quos non aliâ ratione ad Deum reverti credidit, quàm quâ ſacra item pagina teſtatur, Spiritum reverti ad Dominum, qui dedit illum: Namque teſte eodem Plutarcho, Pythagoras ac Plato ſenſêre, animam opus æterni Dei eſſe: non ergo à Deo tanquam à Sole radios inſe-
20. parabiles niteſcere. Quin &, ſat manifeſtè Pythagoræi omnes ac Platonici, velut ipſe quoq; Triſmegiſtus, animabus extra Deum in ſe ac per ſe ſubſtentiam attribuerunt; quibus varias mutationes, ut in progreſſu dicemus, ac præmia poſt diſceſſum à corpore bonis,
21, pœnas malis decreverunt. Sentiebant ergo ac profitebantur priſci illi Philoſophi, ut ex Plutarcho docet idem Eugubinus, animas à Deo, veluti à creatore ſpirituũ & afflatore, mitti; non verò è Deo,

veluti ſcintillas propriè decerpi, aut velut radios vibrari ac luce- DISSERT. II.
re: ſimiliter reverti eaſdem ad ſuum genitorem, at non ita reverti, ut ad ſuam ſubſiſtentiam conjungendos, & quaſi avulſos copulandos, quemadmodum dicuntur Averroës ac nonnulli alii ſenſiſſe; ſed ut ad creatorem regemque ſuum, à quo creationem ſimilitudinemque ipſius naturæ acceperint, & cujus non ſunt de ſubſtantia, poſſunt ab eo procul eſſe, ad regna conſpectumque ejus nunquam venire, ſi ſeſe malè factis coïnquinaverint. Hoc ſen- 22.
ſit Plato, inquit, totaque Antiquitas. Sed ex ignorantia tamen horum Antiquiſſimæ Philoſophiæ dogmatum, niſi potiùs ex animi perverſitate propria, peſſima ac deteſtanda plurimorum Hæreticorum opinio irrepſit, quâ Deum ipſum cum ſubſtantia humanæ animæ confuderunt. Hinc diducta illa novorum ex Socini Schola Thnetopſychitarum execranda opinio, quâ Spiritus ille noſter, qui ad Deum redit, ita divinæ particula auræ traditur, ut nullam habeat extra Deum in ſe ac per ſe ſubſiſtentiam: apud Volkelium de vera Rel. lib. 3. cap. 11. Cujus Autorem primum Irenæus lib. 1. contr. hæreſ. c. 24. refert Carpocratem: Auguſtinus verò Gnoſticos & Manichæos illius Patronos facit lib. de Hæreſ. cap. 46 & 70. Sic itidem recentiores Enthuſiaſtæ eſſentiam divinam cum humana anima confundunt ineptiſſimè, crepando paſſim illud Poëtæ:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.

Sed hæc ſententia quàm plurima abſurda implicat. 1°. Deum eſſe diviſibilem in partes, pro multitudine individuorum generis humani: adeóque non eſſe ſimpliciſſimum. 2°. Deum non eſſe purum actum; ſed multis modis è potentia in actum tranſire: è vitiis ad virtutem componi; ex ignorantia ad ſcientiam, & vice verſâ, fædâ mutabilitate circumagi. 3°. Deum in bonis bonum eſſe, in malis malum: ac non boni tantùm, ſed & mali cauſam & autorem. 4°. Deum ſubjici pœnis infernalibus: Adeóque eſſe aliquid quod ipſo Deo ſit ſuperius. 5°. Anima hominis ſi ſit ipſe Deus, non erit Deus unus; aut una ſtatuetur omnium, qui ſunt in Univerſo, qui erunt, qui fuerunt, anima. 6°. Anima immenſa erit, æterna, omnipotens, ubique præſens; adeóque totum Univerſum continebit; totius Univerſi erit conditor, ac gubernatur. Hæc autem omnia ſunt longè abſurdiſſima. Pleniùs hæc ſententia confu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. II. tata eſt ab Auguſt. lib. de orig. anim. c. 2. & Epiſt. 25. ad Hieron. Leone primo Epiſt. 19. ad Toribium Epiſc. Aſturicenſem. Thom. 2. contra Gentes, cap. 85. videantur & Connimbr. lib. 2. de anim.
23. cap. 1. q. 1. art. 6. Hanc verò impiam ſententiã non video quomodo evitare queant, vel tueri immortalitatem animæ, qui negant animam humanam eſſe ſubſtantiam in ſuo genere, (in ſuo genere, dico,) perfectam & completam, & ratione propriæ ſubſiſtentiæ abſolutam, cùm interim determinata ſit ad corpoream ſubſtantiam, & ad unam cum eadem ſubſiſtentiam: Hæretica, ni fallor, perſuaſio habenda eſt, quâ ii, qui propriam in ſuo genere humanæ menti ſubſiſtentiam decernunt, in hæreſeos ſuſpicionem adducuntur.
24. Ex prædicta origine fictitia humanæ mentis promanavit item ille Averroïs ac Themiſtii pernicioſus error, quo omnium hominum una tantùm eademque mens ſeu rationalis anima ſtatuitur, quæ omnia ac ſingula individua humani generis informet, ſeu ſimul omnibus hominibus informando aſſiſtat; quamvis ea cre-
25. datur ex opinione horum à ſummo Deo diſtincta. Error autem ille hinc prognatus eſt, quòd cùm lumini comparetur intellectus agens ab Ariſtotele, illi intellectum unicum conſtituerint, veluti unum Univerſi lumen eſt: Hinc quemadmodum luminis in ſpeculo recepta imago in ſe non habet ſubſiſtentiam, quâ ſit à lumine communi diverſa, ita nec ſingulorum individuorum mentes à communi mente; ſed omnes in unum fontem redire, à quo ex poteſtate in actum deducantur: ut adeò quemadmodum nihil facit ad unumquodque ſpeculorum, luminis incorruptibilitas; ita nec proſit nobis ſingulis intellectus agentis æternitas. Nec enim fieri poſſe exiſtimârunt, ut numero diſtinguantur mentes humanæ, dum ſpecie convenire ſtatuuntur: quippe diſtinctiones in iis quæ ſpecie conveniunt per materiam fieri perſuaſum ha-
26. buerunt. Hiſce verò graviſſimis ac turpiſſimis erroribus, (quos mox pleniùs redarguemus,) ſeſe involverunt, qui perverſam illam ac detortam ex Antiquitate ſententiam, de origine
27. animæ rationalis è mundana anima, amplexi ſunt. Et ſanè, tali origine ſuppoſitâ ejuſmodi errores haud potuerunt evitari. Quippe I°. Non poteſt anima Mundi, ſi quæ ſtatuenda ſit, ſui aliquam particulam ſuppeditare, quæ divulſa propriam per ſe ſubſiſtentiam obtineat: ſubſtantia enim ſpiritualis non habet partes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tes extra partes. II°. Nec verò de ſe generare poteſt animas: nam DISSERT. II. 28.
1°. creaturæ in corporeæ generatio non competit, quæ viventibus corporibus eſt propria. 2°. generatio ſubjectum præſupponit, quod à generante ſit diverſum: at hoc in Mundi anima non datur. 3°. per generationem humanæ mentes ejuſdem ſpeciei cum mundana anima producerentur; adeóque ad ſimilia organa corporea ordinata: at longè alia humani corporis eſt fabrica, alia mundana. III°. Nec creatione ab anima Mundi humanæ mentes 29.
producuntur: cùm ſoli Deo propria ſit creatio. Reſtaret ergo, ſi à Mundi anima humanæ mentis origo deducenda foret, unam eandemque ſingulis & omnibus ineſſe animam ſpecificam, quæ eadem ſit anima totius Univerſi. Sed hoc Scripturæ S. adverſatur 30.
multis modis: quæ, ut ſingulis hominibus ſuam animam attribuit, ita & pro numero hominum, animarum numerum conſtituit. Idemque refragatur rectæ rationi: Nam, I°. Cùm rationalis anima eſſentialis forma ſit hominis, quâ homo eſt, una certè forma non niſi unum individuum conſtituet: adeóque omnes homines non erunt niſi unus homo. II°. Unus erit intellectus omni- 31.
um, una eademque voluntas: & quicunque intellectuales habitus ab uno comparati ſunt, iidem omnibus communes erunt. Quippe intellectus & voluntas vel ſunt ipſa rationalis animæ eſſentia; vel promanativè ab eadem pendent: ubi ergo illa una eſt, intellectum voluntatemque multiplicari erit impoſſibile: cùmque omnibus hominibus virtutum intellectualium ſubjectum idem tribuatur ex hypotheſi, nempe una eademque rationalis anima, neceſſe eſt ejuſdem accidentia ſeu qualitates omnibus communes fore. Quòd autem hîc reſpondeat Averroës, multi- 32.
plicari homines, & intellectus atque voluntatis operationes & effectiones, per phantaſiam ſeu cogitativam, hoc eſt, per ſenſitivam animam, quam ſinguli peculiarem habeant, id certè nihil eſt. Non enim homo verè homo eſt per ſenſitivam animam: nec in hac ipſa intellectus & voluntas radicatur; ſed in rationali anima hæc rationem præſupponit, ut ipſa rationis particeps evadat. Et ſanè cùm quis mentem abſtrahit à ſenſualibus, & ratiocina- 33.
tione ea comprehendit, ad quæ materiales facultates non aſſurgunt, tunc utique omnino, ſi ſit una mens communis omnium, eandem operationem omnes exercebunt, idemque omnes percipient.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. II. pient. Sed hiſce omnibus experientia reclamat. Adeóque III°. Ex
34. unica communi mente omnium conſequitur oppoſita eidem ſimul, ſecundùm idem, poſſe aſſignari, v.g. ſcire & neſcire, velle & nolle: Namque, non omnium eadem de eodem eſt ſententia: hinc quod unus aït, alter negat, cùm interim in indiviſibili conſiſtat veritas: ſic quod unus bonum judicat, id alter cenſet malum. Abſurdum autem hæc in unam mentem ſimul poſſe cadere. IV°.
35. Cùm veræ beatitudinis ſubjectum ſit mens hominis, ſequetur, ſuppoſitâ unicâ mente omnium, eandem mentem ſimul verè beatam eſſe, ſimulq; miſeram: beatam in probis ac bonis; miſeram in improbis: quod ſanè abſurdiſſimum. Rejicienda ergo eſt ſententia, quâ à mundana anima, humanæ animæ origo deriva-
36. tur. Sed expendenda tamen pleniùs doctiſſimi cujuſdam Viri, circa hanc humanæ mentis ex mundana anima originem, opinio peculiaris, quam in *Synopſi Phyſica ad lumen divinum reformatæ*, ut inſcribit, pag. 170. his verbis exponit: *Quemadmodum corpus ex præexiſtente materia formatum eſt; ita anima ex præexiſtente ſpiritu Mundi. Et per conſequens, quemadmodum terra, aqua, aër, æther, eadem mundi materia ſunt, denſitatis ſolùm gradu differentes: ita ſpiritus naturalis, vitalis, animalis, & hic mentalis, idem ille ſpiritus mundi ſunt, puritatis ſolùm & perfectionis gradu differentes. Inſpiratio igitur divina nihil aliud homini contuliſſe credenda eſt, quam quòd 1°. depuravit Spiritus ejus partem intimam, ut actionum ſubtilitate poſt omnes viſibiles creaturas propiùs Deo accederet. 2°. fixit, ut tam in corpore, quàm extra corpus ſubſiſtere poſſet.* Et mox: *Radix animæ, ſpiritus vitalis & animalis, utique ex traduce eſt: formationem autem ejus, (ut intimæ ejus partes fiant Spiritus mentalis, ſeu mens,) ſibi tribuit Deus, Zach. 12. 1. non extraordinariè tamen, aut miraculosè concurrens; ſed quia, ut ſic fieret in natura humana, ordinavit.* Et quamvis *mentem hominis immediatè à Deo eſſe* profiteatur p. 169. *Non tamen putandum*, inquit, *animam ex nihilo, tanquam novum ens, creari; ſed indi ſolummodò novam Spiritui animali in homine perfectionem, ut uno gradu animâ brutorum ſit ſuperior.* Atque ita comparationem noſtri cum brutis inſtituens, p. 164. *Corpus*, inquit, *habemus ex elementis conflatum, æquè ut bruta; Spiritum habemus è Spiritu mundi, æquè ut illa; ſed anima ſeu mens ex Deo eſt. Illud circumfe-*

cumfe-

cumferimus mortale; illum diſſipabilem: hanc vero perſiſtentem etjam extra corpus. Certè multa ſunt, quæ in hac ſententia deſideramus. Nam 1°. Non apparet quomodo diſcrimen eſſentiale ſit 37.
inter mentem humanam, & animalem reliquoſque in homine ſpiritus; quin imò, inter illam, & brutorum animantium ſpiritus: cùm omnes omnino ſpiritus tum in homine, tum in brutis variis, ex uno eodemque Mundi ſpiritu hauriri ſtatuantur, non niſi gradu, ſeu perfectione & imperfectione, differentes. 2°. Quâ 38.
ratione Mundi ille ſpiritus parte unâ purificari dicitur, parte alterâ manente impurâ, cùm non habeat partes extra partes? Aut 39.
quo pacto tot decerptis myriadibus animarum ex mundano ſpiritu, per ſeſe ſubſiſtentibus ac permanentibus, non fiet ille minor, aut peribit ejus vigor. 4°. Vel an fortè, ſeparatâ à materia 40.
poſt hominis interitum humanâ animâ pars aliqua materiæ ſpiritu Univerſi vacua deſeretur? 5°. Gradus ille, quo mens noſtra 41.
differt à ſpiritu animali, ſeu ſenſitiva anima, vel eſt ſubſtantia vel accidens. Si accidens credatur, quomodo diſſipatur animalis ſpiritus, perſiſtente mente etiam extra corpus? ſi ſubſtantia, jam ergo novam Deus ſpiritui animali ſubſtantiam addit, ac verè novum ens, à ſpiritu animali, adeóque Mundi ſpiritu, toto genere diſtinctum: at cur ſubſtantiam hanc ex nihilo productam diffitebimur? aut ex quo ſubjecto potiùs exiſtimabimus productam? 6°. Sed ſi fortè unus idemque Mundi ſpiritus, decerptâ ſimul 42.
materiæ particulâ, in partes varias diſcerpi queat divinâ ordinatione, (veluti ſi arbor in partes varias diviſa, in ſingulis ſervet animam quaſi ex communi totius arboris anima decerptam, cùm ſit quodammodò materialis,) quâ, quæſo, ratione fieri poſſet, ut tot diverſa genera animantium ex uno eodemque Mundi ſpiritu decerptos ſpiritus totâ ſpecie diverſos habeant? An etiam, ut mens hominis immediatè à Deo eſſe dicitur, quamvis ex communi Mundi ſpiritu hauriri ſtatuatur; ita & in reliquis animantium ſpeciebus Deus ipſe peculiarem quandam operationem confert, quâ ſpecificum diſcrimen ſtatuat? Id verò, quod diſcrimen fortè quis exiſtimet, an accidens, an nova aliqua ſubſtantia dicendum eſt? Sicque idem labyrinthus denuò hîc oritur qui antè. 7°. Sed quò tandem, unâ cum particula materiæ decer- 43.
ptus ſpiritus, poſt ſui ſeparationem ac emigrationem, materiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

 remittet? vel an fortaſſis eam novo ſpiritu donabit aliquo, à ſe
prognato, quo minùs plurimis decerptis myriadibus ſpirituum,
quot ſunt humana individua, iiſq; ſeparatis à materia, antiquum
tandem revertatur Tohu vaBohu, hoc eſt, rudis ac informis a-
byſſus? Vel ex quanam ſubſtantia incrementum ſumet potiùs in
reliqua materia ſuperſtes Mundi ſpiritus, ut decerptas multoties
44. & à ſuo ſpiritu deſertas materiæ particulas ſibi rurſum uniat? Erit
certè longè alia hîc ratio, quàm in plantarum atque animalium
incremento, ubi forma ſe extendere videtur ad materiæ auctæ
molem: in accretione enim naturali non ſe diffundit minor ali-
qua forma, ut ipſa per ſe fiat major; ſed materiæ acceſſione, for-
mam poteſtate continentis, augmentum quaſi formæ etiam è po-
tentia materiæ elicitur: at materiæ particula, quæ poſt migratio-
nem rationalis animæ relinquitur, omni planè ſpiritu orbata eſt;
adeóque non eſt in potentia, ſed meram obtinet negationem: ut
adeò neceſſe foret ipſum Mundi ſpiritum continuè in ſe augere
ſemetipſum, (innumerabilibus propemodùm hinc inde demi-
grantibus humanis animabus,) ſiquidem univerſam materi-
45. am continere atque vegetare ſit neceſſe. 8°. Cùm autem quoad
exiſtendi modum à materia dependeat illa Mundi ſpiritus parti-
cula, quam quis fortè unâ cum materia decerptam credat, quæ
mens hominis vocetur, quâ, quæſo, ratione tandem illa ita figi
ſtatuetur, ut tam in corpore quàm extra corpus ſuam ſubſiſten-
tiam obtineat: hoc eſt, ut in ſe ac per ſe ſubſiſtat, ac adeò neque
quoad eſſe, neque quoad operari à materia dependeat, ac poſt
interitum hominis non diſſipetur, ſeu cum reliquis ſpiritibus ad
communem Mundi ſpiritum non revertatur: niſi extraordina-
riè ac miraculosè concurrat ipſe Deus in quacunque generatio-
46. ne hominis? Aut quænam hîc ſecundæ cauſæ conſtitutæ ſunt,
vel fingi poſſunt, per quas in natura humana ita fieri Deus ordi-
naverit? Certè veriſimile non eſt ab ulla creatura tantam Univerſi
Spiritus ſecundùm partes fieri poſſe potiùs mutationem, quàm
ipſam etiam creationem. Quâ enim actione, creaturæ cujuſcun-
que, tanta Spiritus Univerſi quoad partes orietur purificatio,
tantaque immutatio, ut totum rei genus varietur eſſentialiter,
reipsâ quidem interim quoad ſubſtantiam eâdem permanente,
47. ac non niſi accidentali quodam modo depuratâ? Quin &, cùm
animalis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

animalis ſpiritus, ſeu ſenſitiva anima, non minùs à materia dependeat ſecundùm proprium ſubſiſtere & ſecundùm operari, quàm dependet ſimitas à naſo; haud magis poteſt concipi eundem ſpiritum ſic depurari atque perfici, ut extra materiam ſubſiſtat atque operetur, quàm à naſo ſimitatem ſeparari. Quòd ſi ergo extraordinariè ac miraculosè ipſe Deus hîc concurrere credendus ſit, omnino & ex nihilo creare potiùs dicendus erit, quàm tot ex uno eodemque Mundi ſpiritu, circa rationalis animæ originem, tot in Natura rerum ἄτοπα, ut jam oſtendimus, involvi. Non ergo mens humana à quodam Mundi ſpiritu arceſſenda eſt. 48.

Sed videamus μετεμψύχωσιν, ſeu animarum è corporibus in nova corpora tranſmigrationem: quæ quidem de origine humanæ animæ ſententia, antiquam illam comitatur ex Mundana anima originem. Hanc olim amplexi perhibentur Empedocles, Pythagoras, Plato, Apollonius Thyanæus, aliique ex Antiquioribus complures: quem item Manichæis errorem tribuit Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 46. & lib. 5. Fauſtum cap. 10. Hinc Pythagoras tempore belli Trojani ſe Euphorbum fuiſſe aït apud Ovid. 49.

Morte carent animæ, ſemperque priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ:
Ipſe ego, nam memini, Trojani tempore belli
Panthoïdes Euphorbus eram, &c.

Ita Julianus Apoſtata, referente Hiſtoriâ Tripartitâ, animam Alexandri Magni ſibi attribuit. Empedocles ſe olim piſcem fuiſſe carmine cecinit. Eadem de traſmigratione animarum opinio non in una tandem ſecta ſubſiſtit; ſed tranſiit in totas ferè gentes. In Germanos, ut refert Appianus in Celticis; Getas, teſte Juliano in Cæſaribus, Gallos, referente Cæſare lib. 6. B. Gall. & Diodor. Sic. lib. 5. Biblioth. alioſque. Hac eadem opinione imbutos fuiſſe tempore Salvatoris noſtri Judæos, manifeſtè colligitur ex Matth. cap. 16. verſ. 13. 14. quam hodie etiamnum Talmudiſtæ & Judæorum Phyſici defendunt, teſte Druſio in Obſervat.

De hac autem pleniùs Socrates in Platonis Phædone. Nimirum, 50.
ut bonorum anima, (ea nempe, quæ pura diſceſſerit, corporeum nihil ſecum trahens, utpote quæ nihil cum corpore in vita lubens communicaverit, ſed fugerit illud, ſeque in ſe collegerit, tanquam ſemper id meditata,) ad ſibi ſimile divinum abit, quò

Dissert. II. cùm pervenerit evadit felix, ab errore, ignorantia, timoribus, feriſque amoribus, cæteriſque humanis liberata malis, reverà reliquum tempus cum Diis agens; ita malorum anima polluta impuraque à corpore diſcedens, ac contagione corporeâ involuta, quam conſuetudo congreſſuſque cum corpore, propter continuam familiaritatem, plurimumque ejus cultum, effecit quaſi congenitam, ponderoſum quid, grave, terrenumque, & viſibile ſecum trahere traditur, à quo gravetur, rurſumque ad viſibilem trahatur locũ: Hinc circa monumenta ſepulchraq; verſari fertur:
51. pœnas luens vitæ improbè actæ. Tales verò animæ dicuntur tam diu circumvagari, donec cupiditate naturæ corporeæ comitante rurſum induant corpus: *Induunt autem*, inquit Socrates, *ut decens eſt, ejuſmodi mores, quales in vita exercuerunt.* Nimirum, *qui ventri, petulantiæ, gulæ dediti, vitam egerunt, neque quicquam penſi pudoriſque habuerunt, decens eſt aſinorum formas & ejuſmodi brutorum ſubire: Qui verò injurias, tyrannides, rapinas, præ cæteris ſecuti ſunt, in luporum, accipitrum, milvorum genera, par eſt pertranſire. Similiter & in cæteris, abeunt enim in genera qualibus in vita mores ſimiles contraxerunt. Feliciſſimi horum ſunt, & optimum proficiſcuntur in locum, quicunque popularem civilemque virtutem, quam temperantiam & juſtitiam nominant, exercuêre, abſque philoſophia quidem atque mente, ſed ex conſuetudine exercitatione que acquiſitam: quoniam decens eſt, hos in tale quoddam genus iterum civile miteque demigrare, ut apum, aut veſparum, aut formicarum, aut etiam in idem rurſum genus humanum, modeſtoſque ex illis homines fieri. In Deorum verò genus nulli*, inquit, *fas eſt pervenire, præterquam iis, qui diſcendi cupiditate flagrantes, &*
52. *philoſophati ſunt, & puri penitus diſceſſerunt.* Triſmegiſtus in Clave: *Harum animarum*, inquit, (quas omnes ab una Univerſi anima diviſas & diſtributas dicebat,) *multæ mutationes ſunt: Harum quidem in fortunatiorem, illarum verò in contrarium ſtatum. Nam quæ reptiles ſunt in aquatilia mutantur: aquatiles verò in terreſtria: terreſtres autem in volatilia: aëreæ verò in homines. Humanæ verò, immortalitatis participes, in Dæmones* (id eſt, Intelli-
53. gentias,) *mutantur.* Atque hæc quidem ab Antiquis de tranſmigratione animarum opinio eſt tradita: abſurda certè penitus; & ſi religionis noſtræ dogmata ſpectemus, impia: Cujus falſita-

tem & ab ſurditatem, ſi Philoſophiam ipſam conſulamus, non eſt arduum oſtendere. Etenim, cùm proprias habeat anima rationalis operationes, ab organis corporeis non dependentes, præter eas quas adminiculo corporis exercet; ſitque ipſa purus intellectus, ſemper in ſe luce notionis radians, ut Philoſophi loquuntur, cujus quidem vita ipſum intelligere dicatur, utique intelligeret ea poſt migrationem, quæ in priori corpore per ſe cognovit; cùmque per reflexionem agat intellectus, utique ſe illa pridem cognoviſſe intelligeret, hoc eſt, eorum meminiſſet. At talia contingere nunquam deprehendimus. Quin &, ſi una eadem- 54.
que numero forma eſſentialis unum idemque individuum conſtituit: eſt autem rationalis anima forma hominis, quâ homo eſt: unus idemque poſt migrationem animæ homo erit, qui erat dudum antè. Nec dabitur differentia ſpecifica diverſorum animalium: v. g. hominis, equi, canis, &c. Et qui olim fuit Agamemnon vel Hercules, nunc vel taurus erit fortè, vel accipiter: Qui olim Ovidius, nunc fortè erit gallus gallinaceus. Atque ita ſæpe- 55.
numerò eveniet fortaſſis, ut quis impellens aſinum, percutiat vel proprium parentem, vel alium quemcunque ex majoribus; vel, ut quis ſuem mactans, occidat matrem, cujus olim ſit uberibus lactatus. Hinc dogma illud Pythagoræorum: magnum ſcelus eſſe in eſu carnis pecorum, ne bubulam de aliquo proavo quiſpiam obſonaret, ut habet Tertullianus in Apol. contra Gentes, cap. 48. Quæ cùm omnia ſint abſurdiſſima, ac ineptiſſima, abſurda certè ac inepta erit illa μετεμψύχωσις. Sed nec abſurdos adeò in- 56.
eptoſque crediderim ſummos illos principes Philoſophiæ, Socratem, Pythagoram, Platonem, alioſque, ut ſeriò migrationem talem rationalis animæ tradiderint. Certè Triſmegiſtus, quamvis antè varias mutationes animarum tradidiſſet, ac migrationes in reptilia, aquatilia, terreſtria, volatilia, ac humana corpora; mox tamen eodem libro abſurditatem rei partim profitetur, ac antè traditam opinionem corrigit eatenus, ut ex homine non niſi in hominem mutationem fieri poſſe credat. *Impia*, inquit, *anima manet in propria eſſentia, ſe ipſam crucians: & terrenum corpus quærens, in quod ingrediatur. Aliud enim corpus non capit humanam animam. Neque enim fas eſt, in bruti animalis corpus animam humanam cadere. Dei enim lex hæc eſt, ſervare animam humanam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

57. *à tanta contumelia.* Videtur certè illud omne, quod μετεμψυχώσει ac palingeneſiâ tali traditum eſt ab Antiquis, ſenſum myſticum & allegoricũ involvere, & ad mores atque affectiones, habituſque animæ ſubinde mutabiles ac variabiles, pertinere: ut nõ malè colligit Velcurio lib. 4. phyſ. cap. 8. poſt Jamblichum, Proclum, Porphyrium, Albertum, & alios: (quamvis contra ſentiat Plutarchus lib. 5. de Plac. cap. 20.) ut eâ ratione homo verè idem & alter dici queat; ac ita ex leone ovis ſæpenumerò, ex vulture columba, vel contra, fiat; ſicque vetus homo moriatur novus reſurgat; vel contra: Prout enim homo affectus ac moratus eſt, ita vel lupũ, vel urſum, vel leonem, vel bovem, vel canem, vel aquilam, vel vulturem, vel formicam, vel apem, vel virum, vel fæminam, agit. Quò etiam reſpicit illa Ovidii Metamorphoſis, ſeu corporum in alienas for-
58. mas tranſmutatio. Atque ita certè propriis moribus corruptæ vitæ pœnas luere, quaſi poſt obitum, (verè enim vitam obit, qui humanam vitam vivere deſinit, velut & qui vitam impiam exuit, ut humanam vitam verè vivat,) haud abſonè improbi homines cenſentur: donec tandem, niſi reſipiſcant, & ad meliorem frugem revertantur, maximam graviſſimamque pœnam ſuſtineant, quam mox deſcribit Triſmegiſtus: ubi filium ad pietatem inſtituens, *Qualiſnam*, inquit, *ignis tantam habet flammam, quantam impietas? Aut qualiſnam mordens fera ita lædit corpus, quantum ipſam animam impietas? Vel, non cernis quanta mala patiatur anima impia? Vociferans & clamans, uror, comburor: quid dicam, quid faciam, neſcio. Edor infelix à malis circundata: neque video miſera, neque audio. Hæ voces, ô fili, cruciatæ ſunt animæ: Non ut tu & vulgus opinamini, quòd anima exiens è corpore in brutum tran-*
59. *ſeat.* Veram autem illius commenti, de animarum Tranſmigratione, rationem exponit Timæus Locrus, libro de Anima Mundi, unde ſuum Plato Timæum adornavit: nempe, piæ fraudis inſtar, ut vocant, ab hominibus id confictum eſſe, ad injiciendam animis ſcelerum deteſtationem. Ita enim ipſe Timæus, poſtquam infelices improborum manes implacabilia ſupplicia manere expoſuiſſet, *& alia*, addit, *quæ Jonicus Poëta ſcripſit ex vetere memoria repetita, ex quorum auditu animos hominum voluit ad religionem puritatemque informare: quo ſanè nomine*, inquit, *ipſius conſilium probo. Quemadmodum enim corpora remediis quibuſdam morboſis*

morboſis ſanamus, niſi cedant ſaluberrimis ; ita & animos falſis ſermonibus coërcemus , niſi ducantur veris. Hac igitur de cauſa hoc concedatur , quòd neceſſariò commemorentur peregrina ſupplicia, quaſi animæ commigrent ultro citroque: ignavorum quidem in corpora muliebria, corporibus tributis ad ignominiam : homicidarum, in ferarum corpora , ad pœnam & ſupplicium; libidinoſorum, in ſpecies volantium animantium, quæ in aëre ſolent verſari: ſegnium denique, otioſorum , imperitorum, ſtolidorum, in aquatilium ſpecies. 60.
Simili ratione & alia quædam rectè tradita à majoribus & antiquiſſimis Philoſophis ſub fabularum involucro poſteritati relicta eſſe, tradit Ariſt. 12.Met.cap.8.Id verò factum ad multitudinis perſuaſionem, ac legum obſervandarum utilitatiſque opportunitatem, idem teſtatur. De quibus ſi quis meliora ſeparet, rejectis fabularum involucris, divinè eos locutos arbitretur , inquit: Ac veriſimile eſſe , Philoſophiam , dudum perfectè repertam, rurſum corruptam eſſe & deletam ; & has opiniones placitaque Veterum uſque ad hæc tempora tanquam reliquias perveniſſe. Talia Pythagoræ ejuſque ſectatorum involucra fabularum, circa hanc materiam, notat etiam Plotinus Ennead.4.lib.8.cap.1.Prædictis autem ſuppliciorum generibus comparari poteſt purgatorium Pontificiorum ; & id genus alia commenta, ex eodem fonte hauſta: quibus Orthodoxi veritatem biblicam præferimus. Commentitia ergo prædicta animæ humanæ origo eſt , vel ipſis ejuſdem autoribus ac patronis idipſum confitentibus. Verior ergo aliqua inveſtiganda etiamnum reſtat: de qua porrò Diſſertatione proxima diſquiremus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERTATIO TERTIA
Quæ eſt
De
ANIMÆ HUMANÆ
ORIGINE,
SECUNDA.

CUm nondum ſit inventa in præmiſſis origo humanæ mentis, aliæ nunc porrò latebræ excutiendæ ſunt. Ac primùm ſuccurrit ſententia eorum qui Intelligentias ejuſdem conditores ſtatuunt. In quorum numero referuntur Avicenna; itemque Seleucus & Hermias ex Hiſt. Tripart. l. 7. c. 11. ſimiliter Galitæ, unde hæreſis Meſſalianorum originem detraxit. Futile argumentum unum atque alterum, quibus niti videatur illa opinio, referunt Connimbr. lib. 2. de anim. cap. 1.
2. quæſt. 3. art. 1. Sed ipſi dogmata Autorum expendamus. Equidem, quod Avicennam attinet, is, teſte Fortunio Liceto lib. 1. de ort. anim. hum. cap. 4. per animam humanam non ſimplicem intellectum intelligit; ſed illud omne, à quo facultates quæcunque in homine promanant: adeóque vegetativam & ſenſitivam animam in homine à rationali diſtinguens, illas quidem fætui à parentibus inditas tradit: quamvis cæleſtem quandam mentem decimam, ſeu ſupremam, quam Cholcodeam vocat, opinetur uti ipſo ſemine, tanquam inſtrumento, ad producendam animam vegetalem ac ſentientem fætus: ut eâ ratione ab illa ſuprema Intelligentia, mediantibus cauſis ſecundis, ſemine ac parentibus, dependeant vegetativa ac ſenſitiva anima, velut & aliæ formæ à materia dependentes non abſimilem, ſecundùm eundem, agnoſcunt ortus rationem. At rationalem animam, ſeu mentem humanam, ab eadem Intelligentia decima immediatè proficiſci voluit.
3. Sed ne magno Viro temerè quid præter mentem propriam adſperga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ſpergatur: quod quidem attinet originem ejus animæ humanæ partis, quæ materiæ eſt implicita, nimirum vegetativæ & ſenſitivæ animæ vulgò dictæ, quâ ratione illa queat dexteriùs pro mente Avicennæ exponi, facilè liquet ex *diſp.* noſtra *de Eſſentia & Origine formarum naturalium*, quæ eſt in Theatr. Nat. univ. part. 1. diſp. 7. Similiter vero de origine ipſius mentis humanæ, non ita abſurdam, ut perſuaſum eſt, ſententiam eſt tuitus. Quippe in eo 4.
deceptus cum Ariſtotele, quòd ſupremam Mundi Intelligentiam, (quæ nempe primo mobili aſſiſtat, ac ſimul motum Sphæris inferioribus communicet,) abſolutè motorem primum ac Rectorem Univerſi, nempe Deum Opt. Max. crediderit, hanc quidem immediatam mentis humanæ cauſam deſignans, ſtatuit ab ipſo Deo proximè & immediatè, nullius cauſæ ſecundæ interventu, rationalem animam procreari. Quod autem alios Autores attinet, 5.
qui Intelligentias vel Angelos humanæ mentis conditores tradiderunt, eos ex Platonis Timæo, non tamen ex Platonis mente, ſed propriis conceptibus, vel non ſatis æquâ verborum Interpretatione, deceptos crediderim. Quippe illic, cum Diis minoribus, h. e. Aſtrorum Intelligentiis, ſeu potiùs ſecundùm Platonem, ipſis Aſtris Intelligentiâ præditis, Deus Opt. Max. animalium generationem in Mundi origine committeret, ita eadem affatus fertur. 6.
Vos, (Dii geniti,) *accedite ſecundùm naturam ad animalium generationem, ita ut vim imitemini meam, quâ in ortu veſtro ſum uſus, Atque ejus quidem animalis, quod in ipſis tale futurum eſt, ut cum immortalibus appellatione conveniat, divinumque vocetur, principatumque teneat, & juſtitiam ſimul ac vos ultrò colat, ego vobis ſemen & initium tradam. Vos cætera exequi par eſt: Et immortali naturæ mortalitatem attexentes, faciatis generetisque animalia, ſubminiſtrantesque alimenta augeatis, & conſumpta rurſum reficiatis.* Ubi manifeſtè Plato ſupremum Deum, ac Creatorem Angelorum, (qui & in Sacris Deorum nomine appellari ſolent, ut Pſal. 7.
8. verſ. 6. & alibi,) eundem, inquam, immortalis etiam naturæ in homine, hoc eſt, rationalis animæ genitorem deſignat, cui mortalitas à Diis minoribus, ut vocat, ſeu aſtris ſit attexenda. In quem 8.
ſenſum Alcinous lib. de doctr. Plat. cap. 23. *Animam hominis,* inquit, *immortalem à primo Deo ſuſcipientes Dii mortalium generum conditores, partes illi duas mortales adjunxerunt.* &c. Similiter

mentem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

mentem Platonis declarat Themiſtius: nimirum, *Deos juniores cùm animam immortali origine præditam accepiſſent à Deo ſummo Mundi Opifice, obduxiſſe ei corpus mortale, quod uti fieri poſſet, utque immortalis forma in mortali corpore clauderetur, texuiſſe genus animæ alterum fragile ac mortale*, &c. Quem eundem ſenſum
9. reddit Marſil. Ficinus Argum. in lib. Platonis de Sanctitate: ſc. *corpus quidem*, inquit, *ut Plato in libro de Natura diſputat, ab elementis quatuor; naturalem ſpeciei complexionem à cæleſtibus ſphæris; partes animæ, quæ trahuntur affectibus, à Dæmonibus*, (id eſt, Intelligentiis) *& animis ſiderum ſphærarumque ſuſcepimus; rationem verò ac mentem noſtri parentis imaginem ab ipſo Mundi to-
10. tius Opifice, ſine ullo cœlicolarum, aut Dæmonum miniſterio*. Sed de hac geneſi rationalis animæ ex mente Platonis, deque officio, non creationis, ſed ſecundùm naturam operationis, minoribus Diis, ſeu aſtris, ſecundùm eundem attributo, pluribus à nobis actum eſt in Hexaëmero, ad diem ſextum, Theatr. Nat. univ. part. 2.
11. diſp. 6. à §. 14. uſque ad §. 28. Qui verò eò dementiæ pervenerunt, ut ab Angelis verè produci, ſeu ex nihilo creari putarent rationales animas, ii vel hoc unico argumento nimiæ abſurditatis convincuntur, quòd rebus finitis, quales ſunt Intelligentiæ, infinita virtus agendi nequeat attribui: At creatio infinitæ virtutis actio eſt, cùm nihil ab ente intervallo infinito diſtet, ſeu inter finitam virtutem ipſumque nihil indefinita ratio interſit. Quò enim longiùs potentia ab actu remota eſt, eò major requiritur virtus, quæ actum compareț: ubi ergo indefinita ratio eſt, quæ inter potentiam, (nullam omnino in creatione exiſtentem,) & actum intercedit, ibidem indefinito modo virtutis activæ rationem extolli neceſſe eſt: quæ ſi interim certa & abſoluta præſup-
12. ponatur, infinita utique non eſſe nequit. His ergo refutatis ſuperſunt tandem duæ magis tritæ ſententiæ de animæ humanæ ortu, quarum altera illam per parentes in ſobolem traduci urget, quod *ex Traduce* oriri appellant; altera eandem à Deo immediatè ſeu abſque ſecundarum cauſarum concurſu creari. Sed utraque hæc denuò tot tantiſque urgeri videtur difficultatibus, ut multi magni Viri hîc ἐπέχειν, nihilque certi definire, maluerint, quàm profundo & inextricabili difficultatum labyrintho ſe involvere. Inter quos ipſe Auguſtinus lib. 5. adverſus Julianum,

cap. 3.

cap. 3. Quem imitatur Muſculus in locis C. & Piſcator in Diſp. de Peccato th. 101. ubi inquit, *Cùm ab utraque parte argumenta penè indiſſolubilia videamus, ſuum cuique liberum relinquimus judicium: præſertim cùm etiam Auguſtinus hanc quæſtionem in medio reliquerit.* Similiter nihil certi determinare hîc audet Melanthon, qui lib. de anima hanc quæſtionem attingens, *fateamur*, inquit, *nos admirandum opus ſapientiæ & potentiæ Dei in creatione Mundi non penitus percipere*: Et mox, propoſito uno atque altero ab utraque parte argumento, abrumpens tandem illam diſputationem, monet, *ut diſcernantur ea, quæ utcunque mentis humanæ acie penetrari poſſunt, ab aliis quæ perveſtigari non poſſunt.* Nec multum ab hiſce abfuiſſe videretur Lutherus, quando quidem profitetur, ſe nihil publicè de illa quæſtione affirmare velle; privatim tamen apud ſe tenere ſententiam de Traduce non obſcurè innuit. Eam verò *animarum traductionem ſibi & incredibilem & abſurdiſſimam videri* Vitacherus lib. 1. de peccato orig. cap. 8. cùm pleriſq; Orthodoxis, teſtatur: Velut item Bellarminus, cùm Scholaſticis ac Pontificiis omnibus ſentiens, opinionem de Traduce *exploratum errorem* vocat, quin imò *hæreſin* cùm Thoma: adeóque non ampliùs tutam Auguſtini ſententiam arbitratur, de origine animæ dubitantis nihilque certi aſſerentis; ſed ſentiendum potiùs exiſtimat, hominibus ſingulis ſingulas ex nihilo tum primum creari atque infundi animas, cùm in uteris matrum fætus concepti atque ad animationem præparati ſunt. Nos in re admodùm controverſa Theologis rationes ex Scriptura S. petitas relinquentes, per argumenta philoſophica, principiis ex natura notis nitentia, utrinque ſententias examinabimus, & pro vera noſtri origine, quæ ſaniori religioni ſit conformis, inveſtiganda, intimos opinionum receſſus, abſque tamen aliorum præjudicio, pro tenuitate noſtra excutiemus. Quod ergo Traducem attinet: quamvis illa modernis Philoſophis, ac ſanioribus Theologis ferè omnibus, ſaltem potiori parti ac præcipuis, diſpliceat; nec pro ea ullum reperiatur argumentum tanti ponderis, quod vel mediocriter in hac controverſia verſatum à contraria ſententia abducat: haud tamen caret ea ſuis Patronis. Et olim, teſte Lipſio Phyſiol. Stoïc. lib. 3. cap. 7. inter ipſos Theologos disſidium, *innata anima, an ingreſſa? Innatam Tertulianus* contendit, (lib. de anima,)

(margin: 13. beside "reliquerit… Melan-"; 14. beside "innuit."; 15. beside "pti atque ad animationem"; 16. beside "tate noſtra")

 & in

DISS. III. *& in ipſo, & ex ipſo fieri homine, & vivum eſſe à primordio ſemen.*
17. Similiter ex Græcis Georg. Nyſſenus: *Poſteriorem eſſe*, inquit, *originem animarum, ipſaſque recentiores eſſe corporum conſtitutione, nemo ſanâ mente præditus in animum induxerit; cùm manifeſtum ſit, quod nihil ex inanimis vim in ſe habeat movendi, itemque creſſendi. At eorum, quæ in utero aluntur, neque augmentum & incrementum, neque de loco in locum motus controverſus eſt. Relinquitur ergo ut cenſeamus, unum & idem animæ & corporis conſtitutionis principium eſſe. Ac quemadmodum terra, ſi ſurculum à radice avulſum acceperit, arborem inde efficit, non ipſa vim augendi injiciens, ſed incrementi duntaxat materiam atque ſubſidium impartiens; ita dicimus etiam id quod ab homine avellitur* (ſemen,) *ad hominis ſationem, ipſum quoque aliquo modo animal*
18. *eſſe, ex animato animatum.* Invicta ſanè ratio eſt adverſus eos, qui nihil in homine præter rationalem animam agnoſcunt, quod animæ nomine indigitare liceat; nec aliâ parte hominem, aliâ verò animal ac vivens, conſtitui contendunt. Eâ motus ipſe Lipſius, *Sententia erat*, inquit, *quam tueri poſſes, niſi Eccleſia & puriores Theologi jam aliter credi ſenſiſſent.* At certè, nulla hæc movet difficultas eos, qui ſemina quidem animata cenſent, non tamen rationali animâ. Nec quidem ullus Eccleſiæ conſenſus hîc neceſſi-
19. tatem infert, cùm ne illa quidem in Eccleſia ſit univerſalis: adeóque ipſius Eccleſiæ reverà non ſit; utut reverà ſit dicendus plurimorum in Eccleſia & quidem præſtantiſsimorum Virorum. At interim nec Martyr in locis C. pronunciare veretur, *ſententiam de Traduce non poſſe expugnari & everti ex ſacris literis*: quæ tamen unica Eccleſiæ ac puriorum Theologorum norma eſſe debent; cùm vel ipſo Calvino Judice, ex Auguſtino, temeritas cenſenda in Theologia ſit, (ſeu in iis quæ aſtringunt conſcientiam,) ſi de re obſcura in utramvis partem quid definiatur, ſine claris & ſat evidentibus Scripturæ teſtimoniis: quæ an ſatis clara, pro certa origine animæ conſtituenda in Scriptura extent, judiciis Theo-
20. logorum hîc relinquimus. Quod ſi hoc controverſum maneat, ad rationes Philoſophicas confugiendum erit, ut his evadat manifeſtum, per concluſiones neceſſariò illatas, quid tandem veritati congruat in hac materia, quid verò ſit adverſum. Non una autem
21. omnium, qui Traducem tuentur, eſt ſententia. Sunt enim I°. qui conten-

contendunt animam rationalem è potentia ſeminis educi, hoc eſt, ſemen ipſum, quando emittitur, potentiâ animatum eſſe, non actu: progreſſu autem temporis, cùm jam ex parte elaborari cœpit, & membrorum corporis delineatio facta eſt, per δύναμιν πλαστικὴν in ſemine hærentem, ipſam quoque rationalem animam è potentia ſeminis educi, ut actu exurgat, ac corpus ſuum informare incipiat. Verùm ſententia hæc omnino abſona, ac verè abſur- 22.
diſſima habenda eſt. Quod enim dependet à materia quoad fieri, idem dependet à materia quoad eſſe; & per conſequens quoad operari: Quare nullæ erunt animæ tationalis operationes à materia non dependentes, nec ipſa anima per ſe ſubſiſtet, nec à materia poterit ſeparari. Si enim materiæ, certo modo ab agente conformatæ ac diſpoſitæ, ſuum debeat ortum rationalis anima, haud dubiè interibit, quando illa diſpoſitio ac conformatio diſſolvitur. Non ergo immortalis eſt; ſed planè eadem conditio illius credenda eſt, quæ eſt formarum materialium. Quæ omnia falſa eſſe religione tenemus; & in progreſſu ratione demonſtrabimus. Nec eſt, quod hîc ogganiunt nonnulli, rationalem animam ex ſeſe eſſe corruptibilem, quod quidem prædicto argumento pro- 23.
bari concedunt, non tamen perituram in æternum, quia Deus ſtatuit eam conſervare. (Hinc fortè pullulavit illa hæreſis, aut certè patrocinium hinc invenit, quâ damnatorum animæ di- 24.
cuntur interire.) Ita autem ajunt ex ſe eſſe corruptibilem, ut, ſi ceſſaret Deus ab actu quo conſervat eam, protinus in nihilum reverteretur. Sed frigida & abſona reſponſio reverà eſt, quâ ſuæ cauſæ patrocinium pollicentur. Haud enim ſubſtantiæ æternæ vel corruptibiles dicuntur, quòd illæ à conſervativo Dei influxu non dependeant, adeóque ſecus atque hæ ſeipſas queant conſervare ac tueri ab interitu; ſed quod per actionem phyſicam non queant deſtrui, nec ab ulla cauſa diſſolvi, (ut Plato in Timæo loquitur de Diis genitis,) niſi à qua fuerant colligatæ. Quippe omne 25.
id quod ortum habet, immortale quidem & indiſſolubile per ſe non eſſe profitetur ethnicus Philoſophus; at eſſe tamen aliqua quę nunquam diſſolventur aut peribunt: ideo quod voluntas Dei, (quæ ſemper actu ſibi ſimilis & eadem, quæ ipſamet conſervativus Dei eſt influxus,) majus talibus ſit vinculum ad vitæ cuſtodiam, quam nexus illi diſſolubiles: reſpectu quorum in ſe

DISS. III. ſpectatorum, ſine Dei conſervante actu, haud magis Angeli
26. ſunt immortales, quàm ipſa rationalis anima. Hoc ergo nobis impræſentiarum ſatis eſt, eam eſſe rationalis animæ conditionem, quòd à nulla cauſa naturali queat deſtrui. Quod autem tale eſt, à nulla certè naturali cauſa poteſt gigni: quippe cùm intereundi modus ſimilis exiſtat modo oriendi. Ac veluti repugnat, ſubſtantiam independentem à materia, actione phyſicâ ac materiali deſtrui; ſimiliter repugnat eandem phyſicâ & materiali actione, ſeu
27. per generationem, gigni. Difficultatem hanc habere pondus procul dubio agnovit Balthaſar Meiſnerus, qui licet ſtrenuè propugnet Traducem, prædictam tamen rejicit opinionem ſect. 3. Philoſ. ſuæ, cap. 6. quæſt. 1. hiſce argumentis. 1°. Quòd vis plaſtica, quæ eſt accidens, non queat longè nobiliſſimam ſubſtantiam producere. 2°. Quod dicta illa virtus πλαστικὴ ſit omnino animæ facultas aliqua: adeóque non præcedat ipſam animam in ſemine. Quæ certè argumenta perquam urgent eos, qui præter rationalem animam in ſemine haud aliam conceduntullam; Nec minùs tamen interim obſcurum eſt, quâ ratione, ſi vel ſenſitiva anima in ſemine adeſſe concedatur, hæc ipſa è potentia ejuſdem in actum queat evocare rationalem animam, quam ſemen non
28. obtineat antè. 3°, Prædictam opinionem hoc quoque argumento idem impetit; quod formarum materialium, ſeu à materia dependentium, ſit proprium è potentia materiæ educi; anima autem rationalis forma ſpiritualis ſit, quæ nempe propriam in ſe ac per ſeſe ſubſiſtendi rationem habeat: ſeu, ut exponamus cum Calvino, quæ eſſentiale quiddam ſit per ſe, à corpore ſeu materia ſeparatum, cui ſuæ partes ſint, ſecretæ à corporeo commercio: quæ ipſamet, ut alii probati in religione Theologi loquuntur, nullas, quà talis eſt, ἐνέργειας obtinet σωματικὰς, cùm operationes quidem ejus edantur in corpore, ſed non per corpus aut
29. organa corporea. Hac ergo rejectâ de Traduce ſententia, aliam alii finguntrationem. Namq; II. Sunt qui ſtatuunt, rationalem animam non quidem ſimpliciter è potentia materiæ educi, ſed ſimul verè traduci ac propagari ab anima parentis, atque cum ſemine, cui inſit, tanquam vehiculo, in ipſo conceptus momento communicari ſoboli: ac proinde hac ratione ſemen eo ipſo momento protinus, quo emittitur, actu eſſe animatum rationali animâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

nimâ, contendunt. De modo tamen interim talis propagationis DISS. II
nondum inter omnes convenit. Nonnulli volunt, animam eſſe I.
ab anima parentis, per ejus diviſionem, & quaſi imminutionem: 30.
quem quidem modum tuendi animarum traducem haud ſatis
tutum judicat ipſe Meiſnerus; nec verò ſine ratione: Quippe
præſupponitur, animam eſſe diviſibilem, ex quo conſequitur,
eandem eſſe materialem, adeóque corruptibilem. Et ſanè cùm
ſecundùm hanc ſententiam tota anima filii fuerit in corpore pa-
rentis, illudque informârit, ſaltem ex parte, ſequitur formam
migrare de materia in materiam, ſeu potiùs de ſuppoſito in ſup-
poſitum. Quin &, eſſentiam ipſam diminui neceſſe eſt, ſi forma 31.
diminuatur, ac ſecundùm partem transfundatur: habebitque fi-
lius partem unius ejuſdemque eſſentiæ, quæ fuerat parentis. Ne
jam dicam, hâc ratione animam filii omnino ream eſſe omnium
peccatorum, quæ parens perpetravit, ante illius emiſſionem &
transfuſionem. Alii ergo pro hoc modo declarando conſultiùs 32.
rem agere videntur: dum eum non eſſe, inquiunt, per animæ pa-
rentis vel partitionem, vel fruſtulationem, vel transfuſionem, vel
abolitionem, &c: ſed talem, qualem *aliqua ex parte* per ſui pro-
motionem explicet Scal. Exerc. 6. ſ. 11. Verùm enim verò, quæ
vel qualis illa ſit promotio, æquè obſcurum eſt, quam & ipſe
Scaliger Exerc. 307. ſ. 29. fatetur nos latere: cujus certè nos ab-
ſurda multa oſtendimus in Theat. Nat. univ. part. 1. diſp. 7. q.
3. § 17. 18. 19. 20. & ſeq. Et, ſi vel ratio aliqua conſtaret, quâ ſe 33.
formæ naturales (de quibus cit. loc. agit Scaliger,) finguntur
promovere, per hanc tamen non niſi *aliqua ex parte*, ut ipſi ajunt,
explicari modum propagationis animæ rationalis poſſet. Quin i-
mò, ſi vel formis naturalibus reverà ratio illa conveniret, haud-
quaquam tamen eadem in rationalem animam quadraret. Haud
enim illa à materia dependet quoad eſſe, aut cum materia ita u-
num efficit, ut non ſervet ſibi ſuas partes, à materia ſeparatas: ut
adeò non queat ullo modo diffuſio quædam ac propagatio mate-
riæ ipſam quoque rationalis animæ diffuſionem ſeu promotio-
nem quandam implicare: ſecus atque forſan fieri poſſe quis exi-
ſtimet in formis materialibus, quarum non ſit aliud eſſe, niſi quo
materiam reſpiciant neceſſitate dependendi. Cùm ergo difficul- 34.
tates paſſim tales urgeant, ne ſubire eas ſit neceſſe, in latebras

DISS. III. abſtruſiores alii confugiunt. Quippe III. ſunt nonnulli, è quibus Jac. Martinus lib. 3. Miſcell. quæſt. d. 7. qui quidem animam filii ab anima parentis per traducem derivant; at verò modum imperſcrutabilem & nobis incognitum aſſerunt. Expedita ſanè ratio, ſi nemo rationem exigat. At nec hæ latebræ ſat tutæ erunt, cùm
35. mox pleniùs collato lumine excutientur. Hoc ergo unâ operâ adjiciamus: quod nempe IV. modum propagationis alii declarent ſimilitudine à lumine deſumptâ. Velut enim corpus ex corpore per ſemen genitale naſcitur, ita animam quoque ex anima naſci, ajunt; & per traducem propagari, ſicut una lucerna incen-
36. ditur ab alia. Hanc ſententiam Tertulliano, nec non Avicennæ, (cujus aliam mentem antè declaravimus) tribuit Velcurio lib. 4. Phyſ. cap. 38. quam pleniùs declarat Meiſnerus p. 924. inquiens: *Quàm primùm parens ſemen transfundit in uterum genetricis, tunc unà cum ſemine tranſmittit animam, non quidem ſuam, aut ſuæ partem, ſed ſuæ ſimilem.* Et paulò poſt: *Sicut lumen ſe multiplicat, hoc eſt, aliud lumen immediatè producit in materia idonea, idque non per ſui partitionem, non per localem ſui in alteram facem traſmiſſionem, ſed per novi luminis accenſionem; ita etiam animæ noſtræ in ſemine, ad generationem hominis diſpoſito, ſeſe multiplicant, hoc eſt, aliam ſibi in ſpecie ſimilem animam immediatè, non*
37. *interveniente aliquo inſtrumento corporeo, producunt.* Sed nec illa propagandi animarum ratio ſat tuta eſt: ut nec ulla alia, quæ fortè fingi vel excogitari poſſet. Nam 1°. cùm ab utroque parentum ſemen emittatur, & utrumque ad genituram concurrat, (quod dudum magis certum eſt, & variis argumentis ab experientia anatomica deſumptis evictum, quàm ut indigeat hoc loco pleniori probatione,) quæro primùm, an ſemen utriuſque parentis animatum ſit animâ rationali, an alterutrum, v. g. patris, tantùm. Quòd ſi utrumque, vel duæ erunt in uno homine rationales animæ; vel partem animæ à parte, partem à matre, conferri eſt neceſſe; vel alterutram in conceptu interire. Poſtremum quidem nimis eſt abſurdum: Si primum dicas, homo unus erit geminus, ipſo etiam concedente Meiſnero: Si dicatur reliquum, anima e-
38. rit diviſibilis, adeóque materialis & compoſita. Nec eſt quod quis eandem rationem cogitet humani ſeminis, ſi rationali animâ credatur præditum, quæ ſeminis eſt reliquorum animan-
tium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tium. Quo enim modo ex utroque ſemine, tum maris tum DISS. III.
fœminæ, quod utrumque ſenſitivâ animâ inſtructum ſit, non niſi unum animal, unâ ſenſitivâ pollens animâ, exſurgat, rationem promptam dedimus Theatr. Nat. univ. part. 1. diſp 7. quæſt. 3. §. 67. 68. quæ ſanè neutiquam accommodari poteſt rationali animæ, niſi propriam hujus ſubſiſtentiam quis neget, adeóque immortalitatem. 39.
Quòd ſi quis fortè ſemen matris inanimatum credat, tum ex hypotheſi eorum, qui rationalem animam in generatione hominis ex traduce requirunt, non erit mater parens hominis, ſed tantùm corporis humani; nec ergo (vel per conſequentiam illatam à Meiſnero p. 908.) ipſa mater eſt totius filii. 40.
Sed unde, quæſo, hac hypotheſi ſuppoſitâ, in Salvatore noſtro Chriſto ortum habet rationalis anima, qui ſine patre natus eſt ſecundùm carnem, per omnia nobis ſimilis excepto peccato? Hîc fortè hæretica Apollinaris ſententia patrocinium inveniet, quâ 41.
is pro anima rationali Chriſto Deitatis Spiritum attribuit. 2°. Si cum ſemine à parente tranſmittatur anima, quid, quæſo, fiet, emiſſo quidem ſemine, at interim non ſuccedente genitura? An perit rationalis anima? vel an hoc caſu ſemen rationali animâ non eſt inſtructum? Poſterius aſſerere videtur magis tutum. Si verò cauſam quæras, cur non adſit tali caſu anima? Id fieri, reſpondetur à Meiſnero, vel quòd ſemen non ſat aptè ſit diſpoſitum ad generationem; vel quòd ſingularis fuerit inflicta à Deo 42.
pœna, naturæ curſum ordinarium miraculosè inhibente. Sed ſupponamus ſemen optimè elaboratum, quale ſæpe per libidinem effunditur, utique reverà miraculosè tunc contingeret naturæ curſum inhiberi: quippe veluti miraculum foret, ſi candela, rectè quoad materiã diſpoſita, ardenti candelæ convenienter admoveretur, ac ea flammam tamen non conciperet; ita per miraculum continget procul dubio, ſi quidem ſententia prędicta vera 43.
eſt, à parente ſemen ſat diſpoſitum emitti ſine anima. Sed quonam tandem emigrabit illa anima, quæ erat procul dubio in ſemine legitimè diſpoſito, paulò ante ſeminis emiſſionem? an à Deo fortè, miraculosè eam inhibente, ne ad genituram accedat, annihilabitur? Vel an fortaſsè nulla in ſemine ineſſe anima dicenda eſt, antequam idipſum emittatur, ac in uterum condatur, ut hoc momento demum, ſi modò non miraculosè obſtet Deus, no-

vâ animâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISS. III. vâ animâ, veluti viatico, inſtructum reddat ipſum ſemen animâ parentis: Arbitraria ergo & quidem ſatis circumſpecta actio hæc generantis animæ, adeóque ipſi cognita; nec ergo patri cuivis in-
44. explorata ratio, quâ animam infundat ſemini, at de qua tamen multis modis litigant Philoſophi. Et, ſi quidem, quotieſcunque non ſuccedit generatio, in uterum traſmiſſo ſemine, ordinarius naturæ curſus inhibetur, ita ut non propagetur anima, ſemper utique hoc caſu defectus aliquis ſeu vitium in maſculino ſemine ſpectandum eſt: quod nempe ex præſcripto naturæ rationali animâ inſtructum eſſe oportebat, ex hypotheſi; at non erat, nullâ ſuccedente generatione: At quis ſemper auſit generationis irritæ
45. culpam imputare viro? quis nunquam ſolam fœminam in culpa eſſe aſſerat? Sed &, abſurdum equidem omnino ſtatuendum eſt, Deum multoties, cùm non ſuccedit generatio, naturæ curſum ordinarium miraculosè inhibere; ac non econtrà multò potiùs creatione novæ animæ, cùm jam conceptus factus eſt, eundem curſum promovere. An etiam ex cujuſvis hominis arbitrio & libidine miraculoſa Dei operatio pendebit, quâ ordinarius naturæ
46. curſus à ipſo Deo inſtitutus, quem ipſe ratum eſſe voluit, vel evertatur, vel ſiſtatur? 3°. Et, Cùm non uno impetu univerſum emittatur ſemen, ſed per partes: aut in ſingulis partibus ſeminis, eodem modo quoad diſpoſitionem ſe habentibus, ineſſe rationalem animam cenſendum; aut ſecundùm partes hanc ineſſe partibus, adeóque eſſe diviſibilem; vel nulla certè ratio excogitari po-
47. teſt, cur ſit in una parte potiùs quàm alia, & in qua parte inſit potiùs, quàm in cæteris omnibus? 4°. Porrò, quicquid rationalem habet animam, id actu homo eſt: ubi enim illa adeſt, ibi ſemper actu eſt; nec è potentia educenda dici poteſt, niſi quatenus potentia non actui, ſed operationi eſt oppoſita: quippe propriam ipſa habet ſubſiſtentiam, quâ quoad eſſe non dependet à materia. Si ergo ſemen rationalem habet animam, actu ſanè homo eſt. Adeóque parens in uterum maternum non ſemen tantùm, ſed univerſum hominem transfundit: nec ergo inter ſemen hominis ipſumque hominem ſpecifica intercedit differentia: Ac in uno parente ante ſeminis tranſmiſſionem plures exiſtent actu homines, quippe plures rationales animæ conjunctæ ſemini: Cùmque anima quæ actu eſt, non niſi cum organico jungatur corpore,

corpore, ſemen utique organicum dicendum eſt. Non ergo ſemen ullo modo interit, cùm hominis fit generatio: quippe manet ipſa forma ſeminis; ac adeſt modò ipſa diſpoſitio organica per generationem producenda. Homo ergo ſemen eſt, & ſemen homo eſt. 5°. Quod autem ſimilitudinem à lumine vel face deſumptam attinet: illa certè unica refellit ſatis talem propagationis rationem. Quippe flamma facis accendendæ non ex flamma facis accenſæ generatur, ſed hujus beneficio & activitate è potentia materiæ propriæ educitur: quippe à qua neceſſariò tum quoad fieri tum quoad eſſe dependet: nec ipſa verò ſemper manet eadem, ſed continuè nova naſcitur, continuè interit. Si ergo tali ratione producatur anima filii ab anima parentis, quo candelæ lumen à lumine, utique è potentia materiæ educetur. Quod tamen ipſimet propoſitæ ſententiæ patroni non admittunt, ob graviſſimas, quas antè commonſtravimus difficultates. 6°. Sed nullo modo naturaliter ab anima parentis poſſe prolis animam oriri, colligemus per inductionem. Quicquid ex alio fit naturaliter, ſeu non per creationem, fit ex eodem vel *terminativè*, ut ex non annulo annulus; vel *ſubjectivè*, ut quod ex alterius potentia educitur; vel *deciſivè*, ut quod ex avulſa rei parte; vel *conſtitutivè*, ſi quid ingrediatur eſſentiæ ipſius conſtitutionem. At nullo horum modorum anima filii ab anima parentis oritur. Vel enim, (ut in univerſum denuò dicamus,) anima parentis animam filii ex ſe produceret, vel ex ſemine. Sed ex neutro quidem *terminativè*; ſeu neutrum terminus à quo eſt illius mutationis, quâ filii anima producitur: quia terminus à quo perit, proveniente termino ad quem: At non perit anima patris, productâ animâ filii; nec perit ipſum ſemen, utpote quod rationalem animam jam productam continere dicitur. Similiter ex neutro *ſubjectivè* oritur anima filii: Non ex parentis anima, ſic enim unà ſimul cum hac unum conſtitueret, ac in hac ipſa quaſi in ſubjecto hæreret, quod abſurdum; nec è ſemine tali modo oritur, ita enim eſſet forma materialis, tum ſecundùm eſſe, tum ſecundùm operari dependens à materia. Nec *deciſivè* ab alterutro dictorum oritur: quippe anima parentis non dividitur, ut antè demonſtratũ, quod & à primariis Propugnatoribus ipſius Traducis conceditur: quòd ſi autem deciſivè à ſemine oriretur, eſſet pars materiæ, quòd

DISS. III.

48.

49.

50.

51.

52.

53.

 admodùm

DISS. III. admodùm abſurdum eſt. Sed nec *conſtitutivè* ad animæ eſſentiam alterutrum quid confert. Haud enim anima patris eſt pars conſtitutiva animæ filii; nec verò ſemen tale eſſe poteſt, ſic enim ex ſubſtantia corporea componeretur anima: adeóque vel corporea eſſet univerſa, vel ex corporea & incorporea ſubſtantia coagmentata: quòd utrumque eſt abſurdum; & ſi poſterius dicatur, manet quæſtio eadem, unde nempe & quâ ratione altera pars il-
54. lius ſpiritualis ſit producta. Non ergo naturaliter produci poteſt anima filii ab anima parentis. At interim creatione, quæ ſolius Dei eſt, cùm infinitam exigat potentiam, ab eadem ortum obti-
55. nere nequit. Haudquaquam ergo oritur ab anima parentis. 7°. Quod idem denuò hoc ſolo argumento ſatis luculenter conſtat, expoſito à nobis olim Theatr. Nat. Univ. part. 2. d. 6. §. 38. & ſeq. Vel anima animam producet ex nihilo, vel ex aliquo quocunque. Non ex nihilo, hæc enim eſt creatio, quæ ſoli Deo propria. Si ergo ex aliquo, vel ex ſubjecto materiali, quod abſurdum; vel immateriali, ceu ſpirituali quodam ſemine, ut nonnulli volunt: at ita immateriale ſuæ eſſentiæ mutationem recipit, quare non erit ſimplex, quod itidem eſt abſonum: quin imò, quæri poſſet denuò, unde illud immateriale ortum habeat? aut quâ ratione ab anima oriatur potiùs ſemen aliquod ſpirituale animæ, quàm
56. ipſa rationalis anima? Vel enim à parentis anima creatur, quod abſurdum; vel ab eadem emittitur ſeu excluditur: Hoc verò ſi dicatur, fuit ergo antè in parentis anima: adeóque vel ut pars in toto; vel ut accidens in ſubjecto; vel ut in loco, aut in vaſe: At partes nullæ ſunt indiviſibilis ſubſtantiæ; ac ſubſtantiæ repugnat eſſe in ſubjecto; ſed nec in loco vel in vaſe ſubſtantiæ immateriales inſunt, nec tali modo continere ſubſtantiæ immateriales aptæ ſunt: Et à qua cauſa tandem primùm inditum eſt animæ parentis tale ſemen? vel unde genitum? Quin & ſpirituale illud,
57. quod ab anima parentis, inſtar ſeminis, prognatum præſupponitur, vel eſt partialis atque incompleta anima: At qua ratione vel partes vel gradus eſſentiæ habet immaterialis ſubſtantia? Vel eſt ſubſtantia ſpecie & eſſentialiter ab anima diverſa: Totum ergo ſpecie immutari eſt neceſſe, ut fiat rationalis anima: At quod eſt omnino ſimplex, ut ſubſtantia ſpiritualis, id immutatâ ſpecie ac
58. regenitâ ipſum quoque aboleri & de novo procreari eſt neceſſe.

Porrò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Porrò ſpirituale illud ſemen animæ vel eſt incorruptibile, ac DISS. III.
poſt animæ ortum etiamnum ſupereſt; vel corruptibile exiſtit. Non quidem prius, quippe præſupponitur ex eo fieri anima: ſed nec poſterius, virtute enim creata ſpiritualis ſubſtantia nequit deſtrui. Nullum ergo datur ſpirituale ſemen, ex quo anima rationalis procreetur. 8°. Vel fingatur tandem modus qualiſcunque 59.
propagationis animæ ab anima parentis. Anima ergo animam producet vel ex neceſſitate naturæ, vel liberè. Sed illud dici nequit: Cùm enim anima ſit ſpiritualis atque ſimplex ſubſtantia, atque adeò quoad eſſentiam ac neceſsitatem naturalem ſemper uno eodemque modo ſeſe habeat, in productione autem ſui ſimilis agat, ex hypotheſi, independenter à materia, adeóque motum phyſicum non ſubeat, nec temporis indigeat extenſione, utique ſingulis momentis multiplicabuntur animę, ac promanabunt animæ ab anima non ſecus ac à Sole lumen: quare vel tantillo temporis ſpatiolo infinitæ producentur, nullum habituræ unquam ad corpora reſpectum: quod omnino eſt abſurdum. Si verò 60.
liberè ſe ipſam anima diffundat in progeniem, jam novit ſe id facere, & ſe id noſſe novit; quod tamen nunquam deprehenſum eſt in rationali anima. Ac ita quidem abſurdiſsimarum abſurditatum plena demonſtrata eſt ſententia de Traduce humanæ animæ. Origo ergo ejus altiùs ab ipſo Deo derivanda eſt: quam veram tandem mox, juvante Deo, Diſſertatione proximâ videbimus.

COROLLARIUM.

Aliam eſſe Angelorum eſſentiam; aliam verò rationalis animæ: Quippe eſſe hujus naturalem quandam ad ipſum corpus propenſionem: non tamem inde, quòd cum corpore à parentibus ſit propagata.

QUamvis rationalis anima, ſi ſecundùm propriam ſubſtantiam ſpectetur, quæ omnino ſpiritualis eſt, nec in eſſendo, nec in operando dependens à materia, rectiſſimè Angelicis mentibus aſſimilari quodammodò dicatur, omnique naturâ propriè dictâ eſſentiæ ſuæ dignitate reverà longè ſit ſuperior: haud tamen penitus ejuſdem cum Intelligentiis eſſentiæ eſt, ut credidit Ori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISS. III. genes libr. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 5. & 8. niſi fortè, ſi cum Scaligero Exerc. 359. ſ. 1. duplex Intelligentiarum genus ſtatuendum ſit: ut nempe aliæ cæleſtibus corporibus aſſiſtant, quæ per intellectum moveant; aliæ aſſiſtant primæ cauſæ, cujus juſſu munia peragant, ac cujus mandata exequantur, propriè dicti Angeli, quòd mittat eos Deus. Sub priori quidem genere rationalem animam univocè conſtituerunt Antiqui Philoſophi, qui hanc formam aſſiſtentem appellârunt; at ſpecie tamen interim præ reliquis (quas nec unius ejuſdemque ſpeciei omnes crediderunt,) ignobiliori. Nec verò alium iidem aſſiſtendi rationem aſsignârunt Intelligentiis cæleſtibus, quàm quâ rationalem animam aſsiſtere ſenſitivo corpori dixerunt, cùm eam interim formam hominis reverà informantem, quæ hominem per ſe unum faciat, non dubitarent. Ab altero autem ordine Intelligentiarum, ſeu Angelis propriè dictis, toto genere rationalis anima diverſa eſt. Quippe naturalem habet hæc ipſa ad ſenſitivum corpus propenſionem, etiam eo ipſo tempore, cùm eſt à corpore ſeparata; qualis propenſio in Angelos non cadit, cùm hi ſecundùm propriam eſſentiam ſint penitus abſtracti. Illa autem rationalis animæ propenſio ad corpus exinde ortum habet, quòd non ſit condita ſeorſim, ſeu non priùs procreata vel genita, (à quacunque tandem cauſa, quam mox diſſ. ſeq. dabimus,) ac poſtmodùm infuſa corpori; ſed ipſo procreationis momento ſimul corpori ſit unita perſonaliter, in unam ſimplicemque humanam naturam. Reſpectu ergo hominis reverà *incompleta* ſubſtantia eſt, ac naturalem habet propenſionem ad reliquum ſui complementum, cum quo abſoluta ac completa perſona oriatur: utut interim ipſa *in ſuo genere ſubſtantia completa* ſit, ſubſiſtentiam propriam in ſe ac per ſe habens, ac proprias per ſe ipſam exercens operationes. Ut adeò de hac ſubſtantia, ſi metaphyſicè, ſeu nullo habito reſpectu naturalis corporis, in ſe ſpectetur, haud abſonè, vel certè citra omnem hæreſeos ſuſpicionem, dictum ſit à Clariſſ. Viro D. Doct. Freitagio, (haud ita pridem in Academia Groningo-Omlandica Medicinæ Profeſſore,) diſp. 3. de Paradox. ſect. Sen. th. 44. quod *impropriè* dicatur *ſubſtantia incompleta*. *Animæ humanæ*, inquit, (nempe rationalis) *duplex poteſt eſſe reſpectus: alius quo quodammodo, ſed impropriè, dici queat, idque ratione ſubſtantiæ compoſitæ, ſubſtantia incompleta:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ta: quatenus enim forma eſt, quæ cum materia propria, quod eſt corpus organicum, conſtituit hominem, talis ita vulgo nominatur. Verùm quia eſt ſubſtantia ſpiritualis, ſimilis in hoc angelicis illis actibus puris, omnino eſt ſubſtantia completa, & non ita dependens à materia, ut ab ea ſeparata exiſtere nequeat. Convenit, inquit, *cum actibus materiatis reliquis, quòd & materiæ immergi, in eaque formæ officium perficere poſſit: diſcrepat ab iiſdem, quòd ſit ſubſtantia ſpiritualis, quæ à materia quam informat, ſeparata per ſe & ex ſe exſiſtere poſſit.* DISS. III.

DISSERTATIO QUARTA
Quæ eſt
De
ANIMÆ HVMANÆ ORIGINE,
TERTIA.

CUm jam antehac ſat ſolidè oſtenſum ſit, nullâ ratione poſſe à parentibus cum ſemine transfundi rationalem animam, quam nec ab ulla creatura conferri poſſe demonſtravimus: reſtabit tandem ultimò, divinitus originem habere, ac à ſolo Deo hanc creari: in qua ſententia Philoſophorum veſtuſſimi conſentiunt. Nominatim in Antiquitate hanc fuiſſe Stoïcorum & Platonis ſententiam, refert Tertullianus cap. 25. de anima. *Sunt*, inquit, *qui præſumunt non in utero concipi animam*, (nempe unà cum ſemine, quando fit conceptus,) *nec cum carnis figulatione compingi atque produci; ſed effuſo jam partu* (ſemine potiùs ad genituram) *nondum vivo infanti*, (ſeu nondum ſenſu motuque actu prædito) *extrinſecus imprimi. Cæterùm ſemen ex concubitu muliebribus locis ſequeſtratum compingueſcere in ſolam ſubſtantiam carnis*, &c. (in animal humanum, quod ſubordinetur menti.) *Hoc Stoïci*, inquit, *cum Æneſidemo, & ipſe interdum Plato.* Haud equidem ſat rectè horum mentem percepit vel

expreſſit

DISS. III. expreſſit Tertullianus, quaſi nihil in ſemine agnoviſſent, quod inſtar animæ vegetaret, & ad ſenſum motumque præpararet ipſum ſemen, ac organa diſponeret, ante rationalis animæ adventum. Hinc ille, abſurdam ſententiam reſpuens, *innatam animam*, aſſeruit, *& in ipſo & ex ipſo fieri homine, & vivum eſſe à primordio*
4. *ſemen:* ut diſſert. præced. ex eodem citavimus. Lactantius eandem Pythagoræorum quoque de ortu animæ ſententiam adjicit: *Pythagorici*, inquit, *& Stoïci, cùm timerent argumentum illud, quo colligitur neceſſe eſſe ut occidant animæ cum corporibus, quia cum corporibus naſcuntur: dixerunt non naſci animas, ſed inſinuari po-*
5. *tiùs in corpora.* Plato certè in Timæo rationalis animæ originem Deo aſcribit, atque, (ut Themiſtius obſervat,) *Deos juniores*, (ſeu aſtra, intelligentiis ex mente ejus inſtructa,) *cùm animam immortali origine præditam* (nimirum rationalem) *accepiſſent à Deo ſummo Mundi Opifice, obduxiſſe ei corpus mortale: quod uti fieri poſſet, utque immortalis forma à mortali corpore clauderetur, texuiſſe genus animæ alterum fragile, ac mortale* (nimirum ſenſiti-
6. vam animam, &c.) Ac clariùs ſententiam Platonis exponit Marſ. Ficin. Arg. in lib. Platon. de Sanctit. *Corpus quidem*, inquiens, *ut Plato libro de Natura diſputat, ab elementis quatuor*, &c. *ſuſcepimus, rationem verò ac mentem noſtri parentis imaginem ab ipſo Mundi totius Opifice, ſine ullo cœlicolarum & dæmonum* (hoc eſt, Intelligentiarum,) *miniſterio. Hæc itaque Dei ſunt, hæc Deo reddenda: atque hæc retributio ſanctitas nuncupatur.* Similia habet idem, pro mente Platonis declaranda, comm. in Timæum cap. 37.
7. In hunc ſenſum Empedocles, referente Plutarcho libr. de od. & invid. *animam noſtram*, inquit, *non habere principium à ſanguine, & contemperato ſpiritu; ſed hujuſcemodi ortum corporis eſſe: namque animus huc*, inquit, *tanquam peregrinus & exul profectus eſt*
8. *aliunde, nempe à ſuperis.* Nec alio ſenſu Ciceronem crediderim *animas ex mente divina hauſtas ac decerptas*, impropriâ ſc. ac oratoriâ locutione, aſſerere: veluti Orthodoxis etiam Theologis familiare eſt, meliori ſenſu, quàm ut verba ſonant, animam *divinæ particulam auræ* appellare. Hinc idem Cicero, cùm ſibi conſolationem quæreret, *originem animorum*, inquit, *in terris inveniri non poſſe: Neque inveniendum unquam, unde ad hominem perve-*
9. *nire poſſint, niſi à Deo:* ut ex eodem refert. Auguſt. Steuch. Eugub.

de

de peren. philoſ. libr. 9. cap. 25. Similiter in ultima antiquitate Triſmegiſtus, libr. de anima, prope finem, *à primo Deo intellectualem animam* derivat. Et Ariſtoteles animam *divinam* appellat, quam θύραθεν ἐπεισιέναι *forinſecus immigrare* ait, 2. de gen. anim. c. 3. Pro hac item ſententia ſtat inter Chriſtianos maxima Philoſo- 10.
phorum nobiliſſimorum cohors. Hanc tuentur Connimbr. 2. de anim. cap. 1. quæſt. 3. Tolet. lib. 3. de anim. cap. 19. quæſt. 17. Pererius lib. 1. de Philoſ. cap. 9. Timplerus lib. 3. Empſych. cap. 1. quæſt. 30. & lib. 4. Metaphyſ. cap. 5. quæſt. 7. Fracaſtor. in Dialog. de anima ad Rhamnuſium quæſt. 5. Ludovicus Vives libr. 2. de anim. Scalig. Exerc. 6. ſect. 11. & 290. ſ. 2. item 307. ſ. 10. Fernelius libr. 7. Phyſiol. cap. 13. Heurnius lib. 3. Inſtit. Med. cap. 2. Similiter Goclenius, Seidelius, Bodinus, (qui omnes omnino formas à Deo creari contendit,) aliiq; propemodùm innumerabiles. Inter Theologos Calvinus, Zanchius, Beza, Junius, Trelcatius, Martyr, Witacherus, Lombardus, Thomas, Bellarminus, ac plerique omnes ex Scholaſticis, Pontificiis, nec non Orthodoxis. Pro hac item faciunt varia Scripturæ loca, & hinc petitæ rationes, quas Theologis relinquimus. Ex Philoſophia autem chriſtiana quæ- 11.
dam argumenta hîc movebimus. I. Niſi immediatè à Deo oriretur rationalis anima, poſteri Adami, (ſi vel in ſtatu innocentiæ manſiſſet,) deterioris fuiſſent conditionis ſuo genitore Adamo. Probatur conſequentia: quia longiùs à Deo efficiente abfuiſſent ratione ſuæ originis, concurrentibus & intercedentibus, pro generatione ſui univoca, ſecundis cauſis, quarum cooperatione multum dignitati animæ decederet. Ac meritò ſanè nobilior 12.
imago conſetur, quæ â Magiſtro & artifice excellentiſſimo, quàm quæ à diſcipulis, perfectione infinitis modis ab artifice deficientibus, ſit conficta. II. Quin imò, ſolus Adam ad imaginem Dei 13.
eſſet conditus; poſteri verò omnes ad imaginem Adami ac ejus poſterorum geniti: Solus Adam geſtâſſet imaginem Archetypi; reliqui verò omnes imaginem Antitypi. III. Eadem foret ratio 14.
ortus poſterorum Adam, quæ & brutorum animantium: quæ ergo hominis prærogativa ratione exiſtentiæ? quâ eſſentiæ nobilitate brutis præferendus? IV. Certè, cùm eadem ſit ratio interitus, quæ ortus eſt, ſi animæ à creata virtute gignerentur, à creata 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISS. III. virtute poſſent deſtrui. Ea quippe quæ à Deo fiunt ſolo, ſola Diis adæquantur, hoc eſt, immortalia exiſtunt, divinâ voluntate: Ut eleganter Plato in Timæo diſſerit. V. Quin &, Omnino certum
16. eſt, Deum Opt. Max. in ipſo creationis rerum omnium exordio talem gignendarum ac producendarum rerum ordinis rationem inſtituiſſe, quem valere voluit in poſterum: At tunc reliqua quidem animantia è terra & aquis, velut è potentia materiæ, prodire juſſit, ſecundariâ ſolummodò creatione concurrens. In producenda autem rationali anima, primariâ & immediatâ creatione, abſque ſecundarum cauſarum interventu & cooperatione, uſus eſt: Hanc ergo rationem utique, immediatè ſc. creandi animarum rationalium, ſimiliter haud dubiè in duratione rerum ratam eſſe voluit. Quod & imprimis eò magis certum eſt, quod
17. Dei conſervatio ſit continua creatio. VI. Dùm rationalis anima natura propriè dicta non ſit, (vel eo ſolo argumento, quòd, quâ talis, non dependeat in operando à materia,) ſed eſſentiis angelicis aſſimiletur, nec generandi ſanè aut ſe ipſam propagandi facultatem obtinebit potiùs quàm ipſi Angeli, nec hiſce magis ab
18. alio quàm ſolo Deo poteſt generari. VII. Sed tandem, ne in longum argumenta extendamus: Hoc quidem ipſo ſatis ſolidè demonſtravimus, à Deo proximè & immediatè eſſe rationalis animæ originem, quòd jam antè reliquas opiniones omnes, quæ aliquem quemcunque ortum fingunt, abſurdas & erroribus pericu-
19. loſis involutas oſtenderimus. Sed interim nec ſuis noſtra hæc ſententia carere videtur difficultatibus. Ac primùm quidem, haud leviter exercuit hæc ipſa Auguſtinum, pro peccato originali diſputantem contra Pelagium: Hic namque, concedente Auguſtino, animas non propagari à Parentibus, ſed ab ipſo Deo inſpirari proximè, mox inferebat puras à Deo, vel impuras, oriri. Quod ſi dicatur prius, abſurdum fore utique à juſto Deo puras animulas in impura corpora detrudi, ut in iiſdem peccato obnoxiis, vitiorum ſordibus contra omne ſuum meritum & voluntatem, neceſſitate quadam, conſpurcentur; quòd ſi impuræ autem crearentur, Deum ipſum peccati originalis autorem fore ſtatuendum.
20. Hac equidem difficultate motus Auguſtinus, cùm in contrariam ſententiam de Traduce tranſire non auderet, maluit deinceps eâ parte ἐπέχειν, nihilque certi definire. Fateri tamen interim ſubſtinuit

ſtinuit Epiſt. 28. ad Hieronymum, & 157. ad Optatum, *ſe neque legendo, neque orando, neque ratiocinando, invenire potuiſſe, quomodo cum animarum creatione peccatum originis defendatur.* Equidem, ſi fortè nos lateret ratio, quâ propagetur à parentibus peccatum, non tamen ob hunc modum minùs cognitum, creatio ipſa animarum, quæ non modò ſacris paginis eſt conſentanea, ſed invictis argumentis paſſim confirmatur ac probatur, eſt neganda, vel in dubium vocanda. *Eleganter dictum* narrat Auguſtinus Epiſt. 29. *quod huic rei aptè convenit. Cùm quidam ruiſſet in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet ne moreretur, quàm ſuffocaret ne loqueretur: Acceſſit alius, & eo viſo, admirans, ait: Quomodo huc cecidiſti? Ait ille, Obſecro cogita quomodo hinc liberes; non quomodo huc ciciderim quæras: ita, quoniam fatemur, & fide catholicâ tenemus, de reatu peccati, tanquam de puteo, etiam parvuli infantis animam, Chriſti gratiâ, liberandam; ſatis eſt ei, quod modum, quomodo ſalva fiat, novimus, etiamſi nunquam, quomodo in malum illud devenerit, noverimus.* At interim haud penitus deſperant Theologi noſtri ac Philoſophi in reddenda originis peccati ratione: haudquaquam interim pro extenuatione ejuſdem contendentes: quam calumniam ſat impudenter Orthodoxis Adverſarii nonnulli, degeneres à ſuo Antiſtite, intentant. At nec omnes tamen, qui cum rationalis animæ creatione peccatum tuentur, in modo propagationis conveniunt. Plures equidem ſententias coacervare non eſt animus, cùm id Theologis relictum cupiamus. At inter Philoſophos interim videri poteſt ſuper hac re pleniùs Rob. Baronius in Philoſ. Theologiæ ancillante Exerc. 2. art. 6. uſque ad 12. Duas, quaſi præcipuas, citat Melanthon in Tract. Philoſophico de Anima. Quarum prima: Talem in generatione ſervari naturam, qualis ea nunc eſt: cùm nec corpora forent, niſi divinitus ſuſtentarentur. 2°. Frigidiùs reſpondere ait, qui dicunt animas pollui contagio corporis. Priorem ſententiam planiùs exponunt alii: nempe, Deum in productione animæ fungi officio non creatoris modò; ſed & Judicis: adeóque juſto Dei judicio animas noſtras non obtinere mox in primo ſui ortu primævam illam dignitatem imaginis divinæ, ſc. juſtitiam & ſanctitatem, quamvis nec impuritatem obtineant; ſed ſimpliciter eſſentiam ſpiritualem, & proprietates ab eſſentia

Margin numbers (right): 21. (beside "Equidem"), 22. (beside "Eleganter dictum"), 23. (beside "At interim"), 24. (beside "Plures equidem"), 25. (beside "Priorem")

DISSERT. IV. dimanantes. Verùm & hîc non exiguus hærere ſcrupulus videtur.
26. Si enim vel ipſum peccatum originale, vel potiſſima ſaltem ejus
pars, conſiſtat in carentia, (ut ita dicamus,) originalis juſtitiæ &
ſanctitatis, qui fieri poteſt, ut non ſit autor peccati illius ipſe
Deus, ſiquidem ille animam eâ ipsâ naturâ, quâ producitur, ju-
27. ſtitiâ originali carentem producit? Vel, quo jure hanc pœnam in-
fligit animæ Deus, quæ ipſa ſtrictè loquendo, non fuit in lumbis
Adami, ex hypotheſi, adeóque in hoc ipſo pœnam non eſt pro-
28. merita; ſed à Deo ἀμέσως creatur? Vel, an peccatum primi homi-
nis neceſſitatem Deo impoſuit, à ſua propria bonitate, quâ o-
mnia, quæ per ſe ſolus efficit, valde bona efficit, ex parte receden-
di: ut adeò ſalva nequeat eſſe Dei juſtitia, niſi poſtmodùm dete-
rius, creandi ſuâ facultate propriâ, produceret? Certè in Opti-
29. mum Deum non videtur illud poſſe aut debere dici. Pro hac ergo
diluenda difficultate fundamenta quædã exponemus: quibus pro
orthodoxa ſententia munienda ſolidam reſponſionem poſſe ſu-
perſtrui non dubitamus. Aſſerimus ergo 1°. Non ſeorſim à Deo
creari animam, ac ſeorſim infundi, nec creatam uſquam extitiſſe
antequam infunderetur; ſed, ut Auguſtinus loquitur, *creando in-
fundi & infundendo creari*: hoc eſt, eodem momento, eodemque
actu corpori imprimi ac inſinuari, eidemque ὑποστατικῶς uniri, quo
à Deo creatur. Atque ita dictum accipimus illud Zachar. 12. v. 1.
30. *Deum formare ſpiritum hominis in medio ejus*. 2°. Duplici ſenſu
poteſt accipi, animam corpori inſinuari puram vel impuram. Vel
enim intelligi poteſt animam eo momento quo inſinuatur ac in-
funditur eſſe aut puram aut impuram; vel puritatem aut impu-
ritatem illam à creante ac infundente Deo eſſe, qui talem animam
31. creaverit. 3°. Aſſerimus, eodem momento, quo creatur anima ac
corpori unitur, orbatam eſſe divinis illis donis ſupernaturalibus,
juſtitiâ originali ac ſanctitate, quam citra peccatum Adami ac
32. tranſgreſſionem legis obtinuiſſet. 4°. Haud tamen illum divinæ
imaginis defectum à Deo creante, & ſecundùm ordinem rerum,
ſemel à ſe ipſo in origine Mundi conſtitutum, operante, depen-
dere; ſed ab animali natura, quæ in Adamo peccavit, ac verè fuit
in lumbis primorum parentem, cui ipſa rationalis anima arctiſ-
ſimè in unam perſonam conjungitur, ab ea, inquam, in perſo-
33. nam ipſam redundare. Indeque in parte hominis eſſentiali potiſ-
ſima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ſima, nimirum rationali anima, non modò defectum originalis juſtitiæ ac ſanctitatis oboriri; ſed eandem porrò ita infici, ut reverà poſitivum in anima rationali malum, & enormis concupiſcentia, quæ poſitiva qualitas ſit, facultatibus animæ ſuperaddita, reſultet. Id verò quomodo eveniat, ex ipſa naturali hominis conſtitutione, in diſputationis curſu, ſi neceſſe erit, eruemus, atque explicabimus. [*Corollar. 2. adjecto in fine Diſſert. hac editione, judicium noſtrum de hoc negotio declaramus.*] Hoc unicum hîc addi- 34.
mus: Maximam eſſe animæ cum corpore ſympathiam ac communionem: unde contingit ut dolente ac malè affecto corpore anima doleat, quo rectè conſtituto, beneque habente, hilarior evadit. Ut ergò, ſi infunderetur anima in corpus vulneratum, aut in 35.
igne poſitum, mox, dum infunditur, haud dubiè in eo corpore doleret; ita dum infunditur in animale corpus, vitiatum ac corruptum per ſenſitivæ animæ inordinatam ac corruptam habitudinem, illa protinus, ob arctiſsimam cum ſenſitivo corpore unionem ac communionem, vitiatur, ſeu fulgore ſuo ac dignitate, h. e. originali juſtitiâ ſuâ ac ſanctitate privatur: conſimili ferè modo, ut radii ſolares nebuloſo aëre perfuſi obfuſcantur, ſuamque claritatem ac ſplendorem amittunt; quamvis, propriè loquendo, nihil vaporoſus aër activitatis in radios ſolares exerceat. Sicque mox contingit, ut non feratur modò equis auriga; ſed hic 36.
ductum eorum, quos coërcere ac regere debebat, ſuâ ſponte ſequatur. Pleniorem verò hujus rei diſquiſitionem, & ex divino veritatis fonte hauſtam expoſitionem, Theologis relinquimus, ac diſſertatione ſolâ ex principiis Naturæ, præeunte tamen ſacræ lucernâ Scripturæ, per Philoſophiam Theologiæ ancillantem, diductâ acquieſcimus. Sed diluenda ſuperſunt alia quædam ar- 37.
gumenta, quæ à Traduciariis contra creationem & infuſionem animæ afferri vulgò ſolent. 1o. Dixit Deus mari ac fœminæ, fœtificate & augeſcite, Gen. 1. verſ. 28. ſimiliter ut antè dixerat beſtiis ibidem, verſ. 22. Ut ergo beſtiæ ſecundùm corpus & animam ſimul generantur, ſimiliter & homo. Reſp. per conceſſionem: Eâdem planè ratione convenire generationem homini, quâ beſtiis, nimirum, quatenus ſunt animalia. Eâ ergo parte, quâ homo animal eſt, totâ generatur à parentibus; quippe unà cum ſemine ſenſitiva anima traducitur. Cùm ergo generatio ſit naturæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. IV. opus: rationalis autẽ anima natura propriè dicta non ſit, ſed cæle-
ſtibus Intelligentiis aſſimiletur: in eam ſanè generatio non cadit:
Unde nec illius, in primo ortu hominis, eadem productionis ra-
tio à Deo inſtituta eſt, quæ in brutis animantibus. Hæc etenim
ex terra & aqua prodierunt, ſuſcitatâ animâ, virtute Dei, è po-
tentia materiæ: At homini ipſe Deus ſpiritum inflavit, divinita-
38. tis ſimulachrum. II. Obj. Dicitur Deus die ſeptimo quieviſſe ab
omni opere ſuo. Gen. 2. 2. & 3. Ergo non creat quotidiè ani-
mas. Reſp. 1°. Non ſimpliciter dicitur Deus quieviſſe ab omni
opere ſuo; ſed ab omni eo opere, quod fecerat. Quippe operan-
tur etiamnum Pater & Filius. Joh. 5. verſ. 17. & omnia operatur
unus idemque ſpiritus 1. ad Cor. 12. verſ. 11. 2°. Reſponderi po-
teſt ex Auguſtino lib. de Spiritu & Anima cap. 41. *Damus ratio-
nales animas pro eſſentia quotidie fieri de nihilo novas; ſed pro ſimili
natura ex inſtitutione divina non utique novas. Quales enim in ex-
ordio Deus die ſexto maſculo & fœminæ dedit, tales quotidiè inſpi-*
39. *rat ſingulis, nova de nihilo creatione, non novâ inſtitutione.* III. Obj.
Adam genuit filium ad imaginem ſuam. Gen. 5. At in anima po-
tiſsimùm ſimilitudo illa ſpectanda eſt. E. Reſp. 1°. Genuit Adam
filium ad imaginem ſuam, eâ parte, quâ generandi facultatem
obtinebat. 2°. Senſus Scripturæ eſt, filium illum, qui ab Adamo
erat genitus, fuiſſe ad imaginem Adami; non quòd imago illa
eodem modo ab Adamo dependeret, quo modo generatio. Ita
dicitur Chriſtus θεάνθρωπος ex Maria genitus; & totus Chriſtus,
ob unionem hypoſtaticam divinitatis cum humanitate, vocatur
filius Mariæ, unde & in Synodo Epheſina contra Neſtorium de-
finitum fuit, ut Maria θεότοκος *Deipara* appellaretur, cùm interim
Deitatem ex Maria non acceperit. Ita certè homo hominem ſe-
cundùm imaginem ſuam dicitur generare, quoniam id quod pro-
priè ac per ſe generatur, in unam ſubſiſtentiam cùm anima ra-
40. tionali, divinitus infuſa, conjunctum eſt. Object. IV. Dicuntur
animæ egreſſæ de femore Jacobi. Geneſ. 46. verſ. 26. Ergo cum
ſemine propagantur animæ. Reſp. 1°. Per retorſionem. Lev. 19.
v. 28. & 21. v. 1. animæ pro mortuis ſumuntur, & manifeſtè ibid.
cap. 21. v. 11. pro cadavere mortui: quid mirum ergo ſumi pro
corporibus vivis & animatis. 2°. Directè reſpondemus, animas
ſynecdochicè pro hominibus eſſe poſitas. Et, ob unionem hy-
poſtaticam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

poſtaticam animæ & corporis, quod uni parti convenit, perſonæ DISSERT. IV.
attribuitur: & quod perſonæ tribuitur, alteri parti accenſetur. Veluti idem totum pro parte ponitur, quando Filii dicuntur fuiſſe in lumbis parentum, dicuntur egredi de renibus eorum. V.
Obj. Si homo generando non produceret rationalem ſimul animam, deterioris eſſet conditionis quàm bruta & plantæ, quæ producunt animas ſibi proprias, ſc. vegetativam & ſenſitivam. Reſp. Hominem, quâ parte generandi facultatem habet, generare animal ſuæ ſpeciei, adeóque corpus ſenſitivâ animâ inſtructum, æquè atque animantia cætera ſibi ſimile generant: animal verò illud humanum cęteris animantibus eò nobilibus eſt, quòd non ſit ſimpliciter brutum quid, ſed ad rationem admittendam ordinatum. 41.
Quod autem animam rationalem non generet, id hominis nobilitatem ac conditionem præ reliquis animantibus longè præſtantiorem arguit: quippe eâ parte homo aſſimilatur Angelis ſeu Intelligentiis, quibus nec ipſis facultas generandi eſt conceſſa. Nempe homo generat eâ parte, quâ eſt corruptibilis, at quâ immortalis eſt in individuo conſervatur, pro conſervatione ergo ſpeciei, per modum propagationis, rationali animæ facultas haud tributa eſt, ut nec beatis Angelis, id etenim mortalitatis argumentum eſt in individuis. Reliqua argumenta, quæ vulgò hîc moveri ſolent, 42.
cùm vel leviora ſint, vel ex prædictis facilè ſolvi poſſint, ſponte præterimus. Hoc tamen unum, non ex ſpeculationum aliqua ſubtilitate, ſed ex communi ſenſu, rerumq; obſervatione profectum, operæ eſt pretium adjungi. Nimirum VI. difficultatem movent haud mediocrem æquivocæ illæ (ut non nemo vocat,) & prodigioſæ monſtrorum productiones, quæ ex hominum copulatione cum beſtiis accidunt: quales complures ex variis autoribus refert Joh. Baptiſt. Porta Mag. nat. lib. 2. cap. 12. Niſi enim anima humana cum ſemine genitoris tranſmittatur, unde, quæſo, fieri poteſt, ut quæ hinc naſcuntur, non beſtiæ meræ ſint, ſed impreſſionem quandam & tincturam rationis habeant, quanta quidem in aliis brutis animantibus non reperitur? Achilleum ſanè 43.
argumentum contra eos, qui nihil præter rationalem animam in homine agnoſcunt, à quo facultates pendeant. Nobis verò, qui ſenſitivam humanam è potentia materiæ eductam ſtatuimus, ſubordinatam rationi, non tanta hîc moleſtia incumbit. Fieri enim 44.

DISSERT. IV. poſſe ſtatuimus, ut ex ſemine humano & alterius cujuſpiam animalis, quaſi medium aliquod animal prodeat, (veluti ex equo & aſina mulus,) in quo anima ſenſitiva humana dominetur abſolutè,
45. nullâ ſc. præſente rationali. Cùm verò anima illa, quâ animal humanum conſtituitur, ſit ſuprema ac nobiliſſima formarum materialium, ut appellatur à Philoſophis, quæ ipſa, ubi rationali animæ eſt ſubdita, verè rationis particeps evadit, 1. Eth. cap. 10. quid mirum, ſi hæc ipſa in multis actionibus humanam quodammodò rationem æmulari videatur: quod & in aliis quibuſdam brutis, ut ſimiis, cercopithecis, aliiſque ſimilibus, obſerva-
46. re licet. Et quæ de Elephantis prolixè memorat Lipſius cent. 1. Epiſt. 50. quæque ipſa in hoc animante teſtatur quotidiana experientia, multorum profectò hominum, qui extra materiam evolare haud aſſueti ſunt, rationem ſuperare videntur: ut, ſi cum hujuſmodi hominum ſimulachris id animantium genus conferas, vix quicquam, præter unicam hominis figuram deeſſe vi-
47. deatur. Quamvis ergo in homine vero, ſeu reverà rationali anima instructo, nihil agat ſenſitiva anima, niſi à rationali excitetur, quippe reſpectu cujus, cùm ſit forma hominis, ipſa materiæ quodammodò vicem gerit, ſeu materiam diſponit; ſi tamen ſola ipſa materiæ dominetur, nec actu ſit ſubjecta ſuperiori formæ, (excitata nempe priùs in conceptu à facultate in alterius ſpeciei ſemine deliteſcente,) mirum utique non eſt, ſi & ipſa elephantis animæ ſolertiam imitetur, aut fortè eam ſuperet, cùm eâ ipsâ ſit
48. nobilior. Veros autem homines, ſeu animalia humana instructa rationali animâ, ex impuro ejuſmodi ac impio congreſſu oriri, qui quidem ratione pollet haud facilè crediderit. Adeóque, quæ referuntur de Attila Hunnorum rege, qui Italis flagellum Dei fuit appellatum, ex muliere & cane genito, non figurâ tantùm humanâ prædito, ſed verè humanâ ratione pollente; itemque de Minotauro, ex Paſyphe Cretenſium regina, tauri concubitum experta; & ſi quæ ſunt ſimilia: ea omnia vel fabuloſa ſtatuimus, & ex vulgi dicteriis, per ignominiam, prognata; vel per fraudem diabolicam, larvæ inſtar, permittente Deo, ſic conficta cenſemus.
49. Niſi quis fortè in tali etiam conceptu Deum Optim. Maxim. naturæ operationi ita cooperari credat, ut & rationalem animam, veluti in aliis conceptibus humanis, infundat: cùm & in ſcorta-
tionibus

tionibus & adulteriis idem ille Deus, creando atque infundendo animas, cooperetur generationi naturali, quæ per ſe bona eſt, & ab efficiente natura proficiſcitur; non tamen interim cooperando illi vitio, quo fornicatores & adulteri contra legem Dei generationem perficiunt. Hoc ſi quis auſit ſibi perſuadere, fruatur ille ſuo ſenſu: nobis ſanè nunquam illud veriſimile evadet. Quam- 50.
vis nec ipſimet Traduciarii, non niſi per ſimilem reſponſionem hoc ingens abſurdum queant evitare, ſc. Deum Opt. Max. in tam fædo congreſſu propagationi rationalis animæ cooperari: niſi fortè minùs piè malint Dei concurſum ac cooperationem in rebus ſingularibus negare. Sed de origine rationalis animæ ſic dictum eſt. Reſtat porrò ut de tempore inquiramus, quo infunditur. Tutiſſimè equidem, qui ſolam in homine agnoſcunt ratio- 51.
nalem animam, aſſerere videntur ineſſe eam ſemini mox à conceptione, quam opinionem urget cum aliis nonnullis Gorlæus Exerc. Philoſ. 18. pag. 344. Cùm enim apud omnes ſit in confeſſo, delineari ſtatim ſemen, figurari, mox nutriri, augeri; utiq; ab anima has actiones provenire neceſſe eſt. Semen namque, ut res quædam eſt corporea, haud eâ pollet poteſtate, quâ talem ſibi comparet figuram, quâ tot membra ordinatiſsima efformet, talia & non alia: ac ipſa quidem plaſtica facultas, vel eſt ipſa animæ eſſentia, vel promanans inde qualitas. Quare omnis illa opera- 52.
tio, quam in ſemine ineſſe certum eſt, proveniet ab aliqua in ſemine jam exiſtente anima. At ſi in ſemine non niſi una ſtatuatur, quæ vegetet, quæ ſentiat, quæ ratiocinetur, utique rationalem animam mox à conceptu ſemini ineſſe concludendum eſt. Quæ ſi non traducatur à parentibus, ut antè demonſtravimus, in ipſomet conceptus momento, vel mox à conceptione creari & infundi, ex præſuppoſita hypotheſi de unitate animæ, omnino ſtatuenda eſt. Sed præaſſumptam illam hypotheſin, quâ ſola ratio- 53.
nalis anima ineſſe fætui ſtatuitur, jam antè refutavimus Diſſert. de animæ humanæ ſubſtantia; ubi ſpeciatim à § 37 uſque ad § 48. & à fine § 68. uſque ad § 74. ab homine produci ſemen animatum, æquè ac à reliquis animantibus, oſtendimus, utpote cùm aliàs non poſſet procreare ſibi ſimile, (ſi quidem rationalis anima ab ipſo Deo conferatur;) nec naturam adeò perfecti animalis verè obtineret. Similiter ibid. § 56. Conſectarium certiſſimum diduxi- 54.
mus,

DISSERT. IV. mus, non eſſe operationes, quæ in humano ſemine mox à conceptione eluceſcunt, adſcribendas rationali animæ, quæ mox tempore eodem, quo fæcundum ſemen utero committitur, infuſa ſtatuatur, quippe cùm & ipſa ſemina brutorum animantium, (quibus utique humani animalis ſemen non eſt dignitate poſtponendum,) quâ talia, in ſeſe facultates habeant ab anima intus exiſtente dependentes. Nec verò poſſe materiales illas operationes, quæ mox à conceptione exercentur, rationali animæ tran-

55. ſcribi, pluribus oſtendimus ibid. à §. 51. uſque ad §. 65. Rejectâ ergo opinione de infuſione animæ mox ipſo tempore conceptus, rectiùs alii, tum Antiqui tum Recentiores penè omnes, ſentire cenſendi ſunt, qui, elapſo aliquo quantocunque tempore poſt conceptum immitti rationalem animam contendunt: in puncto quidem temporis determinando haud omnes æquè inter ſe con-

56. ſentientes. Ex hac ſententia diductum eſt, quod Canonum decreta ſtatuant, non committi homicidium ab eo, qui fœtum in utero occidit, ante infuſionem animæ, ſc. rationalis: quòd nondum dici queat, natum eſſe hominem. Pro quo decreto muniendo nonnulli citant textum ſacræ paginæ, qui eſt Exod. 21. v. 22. 23. quod an

57. rectè fiat aliis dijudicandum relinquimus. Hoc verò interim aſſerimus, homicidii omnino reum eſſe, qui aut ſtudio, aut nimiâ ſecuritate quadam, vel temeritate, poſt conceptum procuraverit abortum, quamvis nondum rationalis anima fuerit introducta: ratio nempe hęc eſt, quòd deſtruatur illud ipſum, quod à Natura, Dei miniſtra, adeóque Deo ipſo, per conceptum actu eſt diſpoſitum, aut ſaltem plenam in ſe facultatem continet, quæ materiam

58. aptè diſponat, ut rationalis anima eidem uniatur. Quamvis autem fortè nequeat exactè tempus definiri, quo rationalis anima infundatur, errare tamen ſtatuendus eſt Papinianus I. C. qui leg. 9. §. 1. ff. ad leg. Falcid. docet *partum nondum editum hominem non rectè dici*: niſi potiùs ſecundùm ſcita Juris, quàm Philoſophiæ ra-

59. tiones, ſic impropriè locutus ſit dicendus. Quid enim, ſi vel teſte Paulo, (ut Jure Conſulto Jure Conſultum refellamus,) leg. 12 ff. de ſtatu Hom. *ſeptimo menſe naſcatur perfectus partus*; contigerit autem forte, ob externum aliquod accidens, ut enixa fuerit fœtum mulier hoc ſtato tempore, quæ, nullâ vi externâ incurſante, utero geſtaſſet novem menſes integros: an non geſtaſſet eo

tempore,

tempore, quod inter menſem ſeptimum ac nonum intercedit,
verum hominem? vel, unde, cùm in lucem ederetur menſe ſe-
ptimo, qui in utero nondum homo erat, ita ſubitò humanita-
tem conſecutus eſt? Quin imò, ne ad ſeptimum quidem menſem 60.
uſque mora intercedit uſque dum rationalis anima infunda-
tur, quamvis ita ſentiat Dandin. Comm. 59. in libr. 2. de anim.
t. 49. cùm & exempla extent varia genitorum hominum menſe
ſexto, quintoque: qualia nonnulla refert Schenckius Obſert.
medic. lib. 4. obſ. 152. & 153. (quamvis reverà intra ſeptimum
menſem partus rarò ſint vitales, hoc eſt, in vita ſerventur,) Qua- 61.
re & non admittenda videtur hac parte ſententia Eccleſiaſtico-
rum, quos vocat Velcurio lib. 4. phyſ. cap. 38. *ſc. embrionem ve-
getari animâ vegetativâ ſuâ & propriâ poſt conceptum uſque ad
70. diem, ut minimum, vel uſque ad* 100 *diem ad ſummum: Inde
verò poſt 70 vel 100 diem à conceptu embryonem ſentire ſuâ pro-
priâque animâ ſenſitivâ, uſque ad ſextum circiter menſem: quo
menſe demum circiter anima rationalis, creata ad imaginem Dei,
corpori humano infundatur.* Proximè veritatem attingere viden- 62.
tur, qui, ſimul atque organa ſunt conformata, & conveniens do-
micilium animæ rationali eſt exſtructum, hanc infundi cenſent.
Ita Hippocrates (in Stobæanis Eclogis) *ſtatim à formato ſemine*
animam admittit. Et cùm nulla ratio ſit, cur tardiùs ſit admit-
tenda, citiùs adeſſe quidem non poſſe hoc argumento docet
Gal. libr. de format. fœtus, quia *oportet profectò idoneum eſſe id
corpus, quod animam* (rationalem) *eſt recepturum, & ſi ſui tem-
peramenti magnam mutationem ſubeat, ex eo ſtatim animam emi-
grare.* Nempe, rationalis anima non informat materiam, quip- 63.
pe quæ non eſt educta è potentia materiæ: ſed informat corpus
organicum; nobiliori tamen ratione, quàm quâ dicuntur ma-
teriales animæ ἐντελέχειαι corporum organicorum. Hæ enim cor-
poris organici, quâ tale eſt, eſſentiam conſtituunt; at rationalis
anima eſſentiam illius præſupponit. Longiùs hoc conformatio- 64.
nis tempus, ſc. ad quartum menſem uſque, prorogat Fernel. lib. 7.
phyſiol. cap. 13. Similiter Heurnius Inſtit. med. lib. 3. cap. 2. Ad
menſem verò tertium id extendit Jacchæus Inſtit. Med. libr. 1.
cap. 9. Connimbricenſes infuſionis animæ tempus deſignant diem
quadrageſimum in maſculis, octogeſimum in fœminis: quæ di-

65. ſtinctionis ἀκρίβεια nimis arguta videtur. Vulgo quadrageſimus dies circiter, indifferenter aſsignari ſolet: quòd circa illud tempus, aut in maſculis etiam aliquantò priùs, partes omnes ex puro & ſolo utriuſque parentis ſemine formatæ ac diſpoſitæ credantur. Sed exactiùs illud tempus rimari, quo infundatur anima, humano ingenio à Deo datum non eſt: at demandata omnibus aſsidua ſollicitaque cura eſt, ut ſancta tandem Deoque creatori ſuo grata & accepta egrediatur.

COROLLARIUM. I.

Spectans ad Diſſert. de Anim. Hum. Subſtant.

NOn levis difficultas eſſe videtur, quæ validè admodùm unitatem ſeu potiùs abſolutam ſimplicitatem humanæ animæ perſuadeat. Nempe, cur eo tempore, quando anima in iis functionibus, quæ ad vegetativam & ſenſitivam animam ſpectare dicuntur, perficiendis occupata eſt, rationales functiones impediantur? Et vice verſâ, quò magis anima hiſce intenta eſt, eò magis habetentur illæ? idque adeò, ut, cùm intentiſsimæ ſunt rationales, aliæ planè ſuſpenſæ, ſi non ſuffocatæ, videantur. Id quod in Ecſtaticis luculenter apparet: ac inter cætera exemplo Triſmegiſti & Platonis, tale quid de ſeſe prædicantium, ut conſtat ex citat. noſtra Diſſert. de Anim. Hum. Subſtant. §. 5. oſtendi poteſt.
2. Ad quam diluendam difficultatem reſpondent nonnulli, (inter quos Zimaram juniorem 2. de anim. t. 136. citat. Fort. Licet. de ort. anim. hum. lib. 3. cap. 4.) vehementiùs aliquid contemplantes idcirco ſenſibus uti non poſſe, quod animæ eſſentia, licet diverſis naturis conſtituta, una tamen ſit; unum autem non queat ſimul diverſis actionibus vehementiùs incumbere: Ac propterea, inquiunt, ubi una animæ actio vehementior eſt, alteram ceſſare, quòd
3. major motus minorem obfuſcet. Sed hanc reſponſionem rejicit Fortun. Licet. ob rationes, quas hîc recenſere ſuperſedebimus. Ipſeque magis appoſitam hujus rei cauſam reddit, nempe, quòd, cùm in anima humana mens ad ſenſitivam animam, & hæc ad vege-

vegetativam, ſe habeat ut forma ad materiam, cùmque mate- COROL. I.
riæ ubique proprium ſit pati, ita ut nihil efficere queat niſi in virtute formæ ſibi annexæ, contingat hac ratione ipſam animam ſenſitivam in homine nihil agere, niſi adjutam ab intellectu; ſimiliter vegetativam in nobis nihil operari, niſi gubernatam ab anima ſenſitiva, eo modo quo actus materiam gubernat ac regit ad
agendum. Atque ita evenire, aït, ut ſi intellectus totus occupatus 4.
ſit in alicujus objecti contemplatione, hujus auxilio deſtituti ſenſus omnes propria objecta, quamvis præſentia, ſentire atque animadvertere nequeant. Quod ut aliquanto clariùs per partes enucleemus: Ita certè ſenſitiva anima ſe habet in homine, ut nihil agat, niſi à mente excitata, & efficaciter impulſa ad actionem, quâ eſt actio, (modus enim actionis ſenſitivæ animæ à mente non obtingit; ſed partim ab ipſa ſenſitiva eſt, partim ab objectis & organis determinationem accipit, non ſecus atque maris agitatio à ventis eſt, at modus agitationis ab undis, ſcopulis, aggeribus, &c.) quod ipſum pleniùs expoſuimus in Hexaëmero, ad oper. 5. diei § 27. & ad oper. 6. diei § 20.
21. Ut ergo functiones ſenſitiva anima exerceat, haudqua- 5.
quam ſibi ſufficit; ſed neque ſatis eſt, mentem ſenſitivo corpori præſentem eſſe, & quidem ὑποστατικῶς unitam, niſi ea ſimul efficaci influxu ad agendum impellat ſenſitivam animam: at ſola ſenſitivæ præſentia ac vigor, quo organa rectè ſe habeant ad exercendas operationes, quamvis actu à mente non exuſcitetur hæc ipſa, ſufficit pro actionibus animæ vegetativæ edendis: quippe ſolâ præſentiâ ſuâ ipſius vegetativæ quaſi actus eſt ipſa ſenſitiva anima, æq; materiæ atque illa immerſa; at ſenſitivæ actus non eſt rationalis anima niſi vivido impulſu, ipſa ſi in ſe ſpectetur à materia abjuncta. Hinc, ſi vel ceſſent ab exercitio ſenſus omnes, ipſaque movendi facultas rectè diſpoſita, naturales tamen fun-
ctiones feliciter procedunt. Cùm verò æquali neceſſitate à mate- 6.
ria dependeant vegetativa & ſenſitiva, ac illa quidem materiam diſponat, ut ſenſitiva actu exiſtat, nunquam hæc in functionibus ſuis rectè ſe habere poteſt, niſi ſimul vegetativa rectè ſe habeat: Ac poſſunt quidem utræque hæ ſimul ſat intenſè operationes ſuas exercere; nempe ſenſitiva videre, audire, guſtare, &c. itemque movere, ac interim vegetativa in nutritione ac augmenta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

COROL. 1. tione non ceſſare. Contingit tamen aliquando per accidens,
phantaſiâ aliiſque facultatibus ſenſitivæ animæ intensè functio-
nibus ſuis incumbentibus, vegetativæ functiones lædi, ſpiritibus
nempe ac calore, ut ajunt, à concoctionis viſceribus ad cerebrum
7. revocatis. Quinimò, reverà hujus item rei cauſa eſt, & quidem
potiſſima, quòd, cùm ipſa ſeuſitiva utraſque functiones tum ani-
males tum narurales exequatur, illas quidem per ſe, has verò per
vegetativam animam, cujus ipſa quaſi actus eſt, ſeu forma, illa
quidem in propriis functionibus intenta vehementer, non poſſit
non aliquanto ſegniùs ad facultatem vegetantem ſe convertere.
8. Contingit autem frequentiſſimè, vegetativâ quidem ac ſenſirivâ
in ſuis operationibus rectè ſe habentibus, mentem interim in
propria functione haud ſatis feliciter procedere, ac verè illarum
functionibus hujus functiones turbari. Cujus rei cauſa ac ratio
hæc eſt: quòd cùm intelligentem oporteat ſpeculari phantaſma-
ta, (quando nempe verſatur circa cognitionem earum rerum.
quæ per ſenſus externos intellectui offeruntur,) vegetativâ qui-
dem animâ in ſuis functionibus intentâ admodùm, interni ſen-
ſus turbentur, per vapores ac fuligines è corpore inferiore aſcen-
dentes, unde phantaſmata non ſat convenienter formari poſſunt:
quâ eâdem cauſâ, quaſi vinculo injecto, mens ipſa ob arctiſſi-
mam cum corpore communionem ac conſenſum, præpeditur,
9. ne liberiùs ſibi indulgere, & quaſi è materia evolare queat. Valido
item ſenſitivæ animæ exercitio, vel motu quocunque, non modò
turbantur, ac quaſi diſſipantur phantaſmata; ſed ipſa etiam phan-
taſia diſtorquetur, dum per diverſa objecta diſtrahitur: Hinc
mens ipſa, utut in ſeſe conſiſtat, & propriam functionem non
per organa corporea exerceat, à turbato tamen phantaſmate
menti objecto turbatam in ſe ſpeciem intelligibilem format. At-
que ita mens hominis ὑποστατικῶς unita corpori ſenſitivo, ob inti-
mam cum illo unionem ac communionem ſeu conſenſum, ſæpe-
numerò ex ſenſitivi corporis quacunque conturbatione vel affe-
10. ctu, in ſuis operationibus propriis impeditur. Certè animi affe-
ctus plerumque non patiuntur mentem quaſi è materia ſecedere,
ac talem fieri ſeparationem à corporeis facultatibus qualem in
Philoſopho requirit Plato, & in qua vera Philoſophia conſiſtere
traditur, quando hæc definitur ἀπαλλαγὴ τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώμα-
τος.

10. Namq; per magnam illam mentis cum corpore commu- COROL. I.
nionem, ac verè in unum ſuppoſitum unionem, ipſum illud in-
ſcitiæ indumentum, ut vocat Triſmegiſtus, ſenſitivum corpus,
inquam, variis affectibus obnoxium, mentem ad terrenam fœ-
cem deprimit, ut idem loquitur, cænoque illigat, ne intelligen-
tiam cælitus hauriat. Quin ipſa etiam mens hominis ſeipſam ex 11.
compaſſione naturali à materia, ſeu facultatibus materialibus,
abducere ſibi non indulget; ſed blanditiis coporeis tenaciter ad-
hæreſcit. Adſueta tamen multâ exercitatione corpus quaſi veſtem
deponere, & vinculis illis corporeis ſe expedire, ipſaque ſenſuum
blandimenta reſpuere, in ſe ipſa contemplatur mens, ac ſibi ſuiſ-
que meditationibus indulget, à phantaſmatibus abſtracta, & vel
ad ſuperiora converſa, vel intenta ſpeciebus intelligibilibus, quas
tum antè ſibi comparavit. Hîc ergo cùm intenſiori conatu inſi- 12.
ſtit, in corpore quidem exiſtens, eidemque ὑποστατικῶς unita per-
manens, per ſeipſam ſine corpore vel organo corporeo operatur:
ſicque licet in carcere quodammodò detenta, extra carcerem
tamen ſuum proſpicit, ipſoque interitus vinculo ſe expedit, vi-
vamque mortem, ut cum Triſmegiſto denuò loquamur, deſerit,
ac ſentiens cadaver deponit. Ceſſante autem efficaci mentis in 13.
ſenſitivam animam influxu ceſſat quoque hæc ipſa à ſuis functio-
nibus. Ac ita verè anima tali ſtatu, ſine mente nec dicere quid
nec facere quid poteſt, nec cernere, nec audire. Ipſa autem mens
interim divinâ contemplatione ſe oblectans, agnoſcit ſe partem
eſſe ſuperioris Mundi, ac luce maximâ perfruitur: donec con-
templatione ceſſante recidat in phantaſiam, ut loquitur Plato,
hoc eſt, donec denuò efficaciter in ſenſitivam animam influat.
Quòd ſi autem mens partim in ſe ipſa operetur, partim in phan- 14.
taſiam ſit intenta, vehementiſſima ſæpenumerò lucta exurgit
inter ſenſum atque rationem, dum longiſſimè modus agendi qui
in mente eſt, diſſidet ab agendi modo, qui eſt in ſenſitiva facul-
tate, illâ ſecundùm rationem incedente, hac ad ductum ſenſu-
um ſe componente: donec paulatim, ni equis feratur auriga,
mens ab anima ſeu phantaſia ſe abducat, ac per preces piaſque
cogitationes ſurſum evolet, ut ita inhibito mentis in ſenſitivam
animam influxu, ipſâ ſc. mente ſe ſubducente, ac in ſe ipſam re-
cedente, appetitus ſenſitivus neceſſariò quieſcat, ipſaque tandem

COROL. II. ratio ſuperior evadat. Ac ita verè illud genus, quod ſenſitivam
15. facultatem obſidet, oratione ac jejunio (quo fomenta ſubtrahuntur inordinatis animi affectibus,) ejicitur.

COROLLARIUM. II.

Spectans ad clariorem Explicationem § 33. 34. 35. præſent. Diſſertationis.

DIximus nullum omnino in anima rationali defectum, qui ad peccatum originale quocunque modo ſpectet, à Deo creante originem habere; ſed omnem in anima defectum, æquè ac vitium originale, ab animali natura hominis per naturalem generationem producta, cui ipſa rationalis anima arctiſſimè in unam perſonam conjungitur, in perſonam ipſam primo unionis momento redundare: indeque in rationali anima non modò defectum originalis juſtitiæ ac ſanctitatis oboriri; ſed eandem porrò ita infici, ut reverà poſitivam in anima malum, quod peccatum
2. originale vocamus, reſultet. Quòd, ne frigidiùs credatur dictum, ex ipſa naturali hominis conſtitutione eruendum altiùs, ac aliquanto evidentiùs enucleandũ eſt. In peccato ergo originali tria conſideranda ſunt: 1°. Participatio peccati primorum parentum: fuit enim illud peccatum commune totius generis humani. 2°. Inopia originalis juſtitiæ, ſeu defectus donorum ſupernaturalium, tum intellectus tum voluntatis, in quibus humana majeſtas ac ſplendor divinæ imaginis refulgebat. 3°. Propenſio ſeu inclinatio ad malum: quippe non modò illâ præcipuâ imaginis Dei parte excidimus, quæ ad bonum nos inclinabat; ſed contrarius affectus in nobis obortus eſt, qui divinæ legi adverſatur, quique nos
3. ad quamvis turpitudinem proclives reddit. Quod ad primam peccati originalis partem attinet, quæ cæterarum radix eſt, illa hæreditario quodam jure communicatur poſteris: quippe veluti parentum nobilitas ac ſplendor propagatur in filios, ita ut non ſibi modò nobiles exiſtant, ſed nobilitatis ſplendorem in poſteros transfundant; ita quoque non ſibi modò exciderunt nobilitate ſuâ primi parentes ob malè facta, ſed & poſteritatem uni-
4. verſam nobilitatis ſuæ privilegiis orbârunt. Seu, veluti Vaſallus jure

jure quodam Feudi bona in progeniem transfert, dum Feudi COROL. II.
Domino ſua jura perſolvit;ita ſi quo crimine ſuperiorem Dominum offendat, non ſe ipſum modò Feudi bonis privat;ſed & univerſam proſapiam jure antiquo deſtituit, ut minores ſubditi non ampliùs ad obſequia obſtricti teneantur. Quod ut applicetur, ac 5.
reddatur ſimul ratio:Homo primùm à ſupremo rerum Domino ac Conditore Deo inſigni majeſtate ac gloriâ donatus,imperium nactus erat, ut in univerſum terrarum orbem, ac in cætera animantia quævis, ita & in ſenſitivam animam ſeu proprios affectus: ſed Deo factus inobediens, legemque divinam reſpuens,ex juſto Dei judicio majeſtate illâ excidit,adeóque factum, ut dominium hominis propemodùm excuſſerint,ac rebellia Domino ſuo facta ſint animantia cætera Terræ: Eâdemque ratione ſimul factum eſt, ut illa pars hominis, quâ ad genus animalium pertinemus, quæ naturæ in nobis angelicæ, hoc eſt, menti, parere debebat, unà cum mente in malum traducta,ac per lapſum vitiata, legi rationis reluctetur;ſuamque corruptelam viciſſim in ipſam mentem tranſfundat. Quippe ipſum ſenſitivæ animæ,ſeu animalis humani,po- 6.
tiùs, quod ſubordinatur menti,vitium, ſeu corruptela & enormitas, propter arctiſſimam cum mente communionem, ac unionem verè hypoſtaticam, in perſonam ipſam convenit, veréque parti alteri communicatur: ut adeò totus homo particeps evadat peccati à primis parentibus commiſſi; ipſumque peccatum originale veriſſimè ex traduce dependeat veluti morbus quidam hæreditarius,quamvis rationalis anima per traducem non propagetur: ac velut actuale peccatum in Adamo à mente promanans, in ſenſitivam quoque facultatem tranſiit;ita originale in poſteris ejuſdem à ſenſitivo corpore,inordinatè compoſito, communicatur ipſi menti. Hîc tamen notandum, 1°. Non tranſire hanc ori- 7.
ginis peccati partem niſi in poſteros eos Adami ſolos & omnes, qui naturali generatione ex lumbis ejuſdem prodierunt: adeóque Dominum ac ſalvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, qui peculiari Spiritus ſ. operatione, factâ ſanctificatione ſeminis, conceptus eſt, hanc labem non attingere. 2°. A ſolo Adamo hoc pecca- 8.
tum propagari in poſteros omnes, non ſimiliter à poſteris in poſteros derivari, quamvis continuâ ſerie per poſteros propagetur; Solus enim ille privilegiis potuit excidere, qui iis antè erat inſtru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

COROL. II. ctus, ſolus in morbum incidere qui antè erat ſanus: ac ob ejus culpam primævo jure primævâ ſanitate carent poſteri omnes, æquali neceſsitate, cùm nemini eorum id quod amiſſum fuit à pro-
9. genitore primo potuerit communicari. 3°. Solum hoc primi hominis peccatum tranſire in poſteros, quippe quod univerſam animalem naturam, quæ à parentibus in filios propagatur, vitiavit: quam primus homo acceperat non ſui tantùm causâ rectæ rationi ſubditam; ſed & causâ poſteriorum: quam ſi propriâ culpâ, & erga Deum ipſum inobedientiâ ſuâ, rebellem ſibi non feciſſet, juſto Deo judice ſic permittente, probè rectéque ordinatam eandem tranſmiſiſſet in progeniem; at per tranſgreſsionem legis vitiatam, labe peccati infectam producit etiamnum. Cætera vero peccata, quæ poſt imaginem Dei corruptam committuntur, non magis quàm juſtitia ipſa propagantur, ſed merè tantùm perſonalia exiſtunt: cùm univerſalis illa ratio, quæ concernebat poſteros
10. jam ceſſet. Secundam peccati originalis partem, ſeu carentiam juſtitiæ ac ſanctitatis primævæ, quod attinet: quamvis reſpectu creantis Dei nullus in anima defectus oriatur, (cùm, quòd ipſe Deus per ſe agit in eodem genere ſemper optimum habendum ſit, nec mente queat concipi, quâ ratione ab ipſa bonitate immutabili quid pejus aut deterius priori per ſe prodire ſtatuendum ſit,) oritur tamen in ipſo Creationis ac infuſionis momento defectus ille in anima rationali, ob unionem hypoſtaticam ejuſdem cum corpore, & naturalem quandam affectionum communica-
11. tionem. Quamvis enim corpus, ſenſitivâ animâ inſtructum, non ita agat in rationalem animam, ut propriè loquendo actione ſuâ deſtruat rationalis animæ fulgorem dignitatemque à creante Deo conceſſum; cùm tamen hæc non potens ſit corrigere vitium illud, quod cum ſemine à primis parentibus derivatum eſt, nimirum perverſitatem ſenſitivæ animæ, quâ, ſecus atque in ſtatu innocentiæ, continuè reluctatur menti, hinc neceſſariò hæc majeſtate ſuâ excidit: dum intimè juncta animali humano quaſi in fædo, obſcuro, ac uliginoſo loco, obfuſcatur: nec enim cum ipſa illa vitiata noſtri parte, quam à parentibus conſequimur, tanta
12. animæ divinitas poteſt refulgere. Certè, maxima eſt animæ cum corpore ſympathia ſeu conſenſus, maxima communio, unde contingit ut dolente aut malè affecto corpore anima doleat, quo re-

ctè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ctè conſtituto, beneque habente, illa hilarior evadit: Ut ergo, ſi COROL. II.
infunderetur anima in corpus vulneratum aut in igne poſitum,
mox dum infunditur, haud dubiè in eo corpore doleret; ita dum
infunditur in animale corpus vitiatum ac corrruptum per ſenſi-
tivæ animæ inordinatam ac corruptam habitudinem, illa proti-
nus, ob arctiſsimam cum ſenſitivo corpore unionem ac commu-
nionem vitiatur, ſeu ſplendore ſuo ac dignitate, hoc eſt, originali
juſtitiâ ſuâ ac ſanctitate privatur. Conſimili ferè modo, ut radii
ſolares nebuloſo aëre perfuſi obfuſcantur, ſuumque claritatem
ac ſplendorem amittunt, quamvis propriè loquendo nihil vapo-
roſus aër activitatis in radios ſolares exerceat. Hinc jam conſtat, 13.
cur parentes per gratiam regenerationis rectiùs compoſiti, & ali-
quatenus donis juſtitiæ ac ſanctitatis inſtaurati, cur, inquam, tales
ejusmodi dona in poſteros non transfundant. Nimirum, in ſtatu
regenerationis non tolluntur vitia carnis, ſeu eorum radix, ſc. ha-
bituale illud malum à primis parentibus contractum; ſed per Dei
gratiam, & auxilium Spiritus S. coërcentur inordinati motus vi-
tiatæ ac corruptæ naturæ: ut ita mens, adjuta Spiritus ſ. ope, re-
bellanti carni rectiùs dominetur, ac eâ ratione vitia hujus corri-
gat: dum hæc interim in naturali generatione, quæ opus mentis
non eſt, antiquum ſervat. Tertia tandem peccati originalis pars 14.
ex utraque jam expoſita reſultat. Quippe ſenſitiva anima, quæ
ante lapſum per ſe erat indifferens, tum ad bonum tum ad ma-
lum, rationi quidem per ſenſus indifferenter ſive bonum ſive ma-
lum objiciens ac proponens, at ipſa propriâ inclinatione per ſe
non propendens in alterutrum, ſed præſcribenti rationi perpetuò
obtemperans, per lapſum ipſa quoque ad malum impulſa à ratio-
ne liberè malum præeligente, ac divinum mandatum reſpuente,
juſto tandem Dei judicio rebellis facta eſt humanæ menti, ita ut
contra dictamen rationis ſuâ ſponte nunc inſurgat, propendens
potiùs ad ea, quæ ſenſibus corporeis ſunt grata & amica, quàm
ad ea, quæ dijudicata priùs ſint à recta ratione. Ac ipſa quoque 15.
ratio, ſeu mens humana, majeſtate ſuâ carens, juſtitiæque origi-
nalis ac ſanctitatis orbata donis, non modo fræno meliori deſti-
tuta eſt, quo appetitum ſenſitivum coërceat, ſibique ſubjiciat;
ſed & propenſa eſt in ea quæ à ſenſitiva facultate præmonſtrantur
gratiora. Hinc paſſim mens per ſenſitivum appetitum abrepta, in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Corol. II. malum ipſa per conſenſum ultrò vergit, ſicque tandem non modò fertur equis auriga, ſed ultro ductum eorum, quos exërcere
16. ac regere debebat, ſuâ ſponte ſequitur. Statuimus ergo hîc 1°. contra Bellarminum lib. 5. de amiſſ. grat. cap. 15. aliosque Pontificios Theologos, concupiſcentiam hanc eſſe poſitivam quandam qualitatem, animæ facultatibus ſuperadditam: quæ originem habet à ſenſitiva anima, indeque rationali mox in primo
17. infuſionis momento realiter ac poſitivè communicatur. 2°. Concupiſcentiam ſeu propenſionem illam ad malum, non ſimpliciter dimanare ex ipſa animæ conſtitutione eſſentiali, quâ conſtituitur ex parte ſenſitiva & rationali; ſed partim ex carentia originalis juſtitiæ, quâ partem ſenſitivam ſibi intellectiva ſubjiciebat, ultroque ipſa ad bonum vergebat, partim ex rebellione & inobedientia partis ſenſitivæ, per lapſum ad malum potiùs quàm ad bonũ converſæ, ac juſto Dei judicio dictamini rationis immo-
18. rigeræ redditę. Adeóq;. 3°. Negamus rebellionem appetitus ſenſitivi contra rationem, ejuſque directionem, eſſe naturalem. 4°. Abſurdum dogma pronunciamus, concupiſcentiã in renatis non eſſe peccatum, ſed ſolummodò morbum ac naturæ languorem.
19. 5°. Statuimus non ex ſola amiſſione originalis juſtitiæ, quaſi fræni cujuſdam aurei, quo ſenſus rationi ſubjiciebatur, ſeu ex ſola remotione doni illius ſupernaturalis, ſtatim in nobis oboriri pugnam inter partem ſuperiorem & inferiorem animæ: (quaſi ex natura primitus indita illa reſultare queat, niſi pars inferior coërceatur:) ſed adeſſe nunc inſuper peculiarem ac præternaturalem ipſius appetitus ſenſitivi inclinationem quandam potiùs ad malum quàm ad bonum, amiſſâ ἀδιαφορίᾳ illâ naturali primitus inditâ, quâ promiſcuè, ex natura ſua, ſecundùm dictamen intellectus ad utrumq; ſe habebat, cùm rectæ rationi eſſet morige-
20. ra ac convenienter ſubdita. Ex dictis ergo manifeſtum eſt, 1°. Quomodo ſententia de creatione animæ rationalis nec peccatum originis evertat, nec Deum ipſum peccati autorem faciat: Seu, quomodo anima, quæ à Deo producitur ac infunditur, ac proinde ab Adamo non traducitur, nec ullo modo in lumbis Adæ extitit, quomodo ea, inquam, rea ſit peccati ab Adamo commiſſi, Deo ne minimum quidem ab antiqua bonitate ſua in ipſius animæ creatione recedente. 2°. Quo pacto, dum pura à Deo creatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

creatur, impura evadat, in ipſo creationis momento, vitio corporis animalis, cui ὑποστατικῶς unitur. 3°. Quâ ratione nodi quidam, qui alioqui nonnullis ἄλυτοι videntur, circa peccati originalis propagationem, ſat commodè (ni proprium nos judicium fallit, quo doctioribus ultro cedimus,) per ſenſitivæ animę Hypotheſin ſolvantur.]

DISSERTATIO QUINTA
De
ANIMÆ HVMANÆ IMMORTALITATE.

DE immortalitate animæ humanæ dicturi, ſubſtantiæ ipſius modum ſpectabimus, quo ita per naturam ſit affecta, ut illi ſit eſſentiale actu nunquam interire. Quod ne involvat ambiguitatem, duobus modis immortale per naturam dicitur: vel, quod nullâ poteſtate, ne divinâ quidem poteſt aboleri: quo modo ſolus Deus per naturam immortalis eſt, ſimpliciter & abſolutè, qui certè ut mentiri nequit penitus, Hebr. 6. ita penitus non poteſt non eſſe. Vel immortale per naturam dicitur, quod licet quoad eſſe à Deo conſervante dependeat, ſine cujus ordinario influxu neceſſariò periret, eſſentiam tamen propriam à Deo talem obtinet, quâ abſque miraculosâ & extraordinariâ Dei operatione ita ſibi ſufficit, ut per eam ab interitu ſervetur: veluti ſenſum per naturam animalibus ineſſe dicimus, dummodò per ordinarium Dei concurſum eſſentia eorum ſervatur. Hoc poſteriori ſenſu Angelis ſaltem immortalitas per naturam tribuenda eſt, quâ ſempiterni permanent, modò Deus Opt. Max. ordinarium ſuum influxum, quo omnia, quæ creando produxit, conſervando in duratione tuetur ac continuè reproducit, non ſuſpendat. An tali quoque modo anima noſtra ſit immortalis, hac diſſertatione diſquirendum nobis proponemus. Ubi primum eam animæ humanæ partem, quâ verè homines ſumus, ab altera, quâ ſumus animalia diſcernentes, huic quidem

1. 2. 3. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

eandem ortus & interitus rationem tribuimus, quam alibi brutorum animabus, ac omnibus in genere formis convenire eſt expoſitum; at ſolius partis excellentioris, rationalis nempe animæ ſeu mentis, nobiliorem præ cæteris conditionem contemplabi-
5. mur. Equidem de mentis humanæ immortalitate dubitare, eamve in controverſiam vocare, Viri Chriſtiani non eſt: quippe quod reverà eſt divinæ veritati reluctari. In quod inſtituti genus meritò cenſuram infert Cicero lib. 2. de nat. Deorum: ubi, *Mala*, inquit, *& impia conſuetudo eſt, contra Deos diſputandi, ſive ex animo id fit, ſive ſimulatè.* Certè contra Deum ipſum diſputat, qui
6. tot Scripturæ locis, meridianâ luce magis claris, ſe opponit. Prætcrquam enim quòd animæ noſtræ immortalitas ſat evidenter queat elici ex ipſa Creationis hiſtoria. Gen. 2. eandem haud obſcurè atteſtantur loca, Gen. 4. verſ. 10. ubi ſanguis Abelis vindictam flagitat à Deo. Gen. 5. 24. ubi Enochus à Deo aſſumitur: cui ſimile eſt exemplum Eliæ, 2. Reg. 2. 11. Eódem ſpectat promiſſio facta Abrahamo, Gen. 15. 1. quòd Deus illi merces ſit permagna futura: ac promiſsio addita ſecundo præcepto Decalogi, Exod. 20. 5. 6. Unde & alia mortis ratio juſtis aſsignatur, alia injuſtis. Num. 23. 10. Evidentiſsimè autem probat immortalitatem animæ humanæ ratio fœderis; quod cum Abrahamo & poſteris ejus iniit Deus, Gen. 17. v. 7. & 26. v. 24. item Exod. 3. 6. & Jer. 31. v. 33. adeò certè, ut, poſitâ ſempiternitate fœderis illius ex divino promiſſo, vel Deus ipſe non foret Deus, vel animæ poſt mortem ſint ſuperſtites. Unde argumentum deſumens Chriſtus Salvator, optimus ſacrarum literarum Interpres, Matth. 22. v. 31. 32. os ita obturavit Sadducæis, infenſiſsimis doctrinæ de animæ immorta-
7. litate hoſtibus, ut hiſcere in adverſum non auderent. Plura item alia ſat evidentia Scripturæ teſtimonia paſsim occurrunt, quibus humanæ animæ poſt mortem ſuperſtites traduntur. Inter quæ inſignis locus Eccleſ. 12. 9. Similiter Matth. 10. 28. Luc. 23. 43. quo item ſpectat hiſtoria Lazari & divitis epulonis, Luc. 26. Paulus item Phil. 1. v. 23. cùm Chriſto eſſe deſiderans, fiduciam prodit vitæ futuræ ac ſempiternæ. Plura, quæ ex Sacris in hanc rem
8. adduci poſſunt, non movebo. Ex dictis autem ſatis luculenter apparet, quod jam præmonere cœpimus, in Chriſtiana religione haudquaquam problematicam debere eſſe quæſtionem, quæ de

immor-

immortalitate animæ agitatur, ſed hanc omnino principii loco DISSERT. V.
eſſe debere, ubi Chriſtiani hominis vita formanda eſt: quippe ex qua divini numinis colendi ratio magna ex parte dependet; & quâ neglectâ nulla divini cultus, nulla religionis, nulla pietatis aut probitatis cura erit in animis mortalium. Unde Auguſtinus 6. Confeſs.cap.ult. *Si animus*, inquit, *mortalis eſt, Epicurus in animo meo palmam habet.* Haud tamen abs re eſt, hanc quæſtionem in Philoſophia agitare, & quid ex lumine naturæ ſacro ſanctæ ancillante veritati, de conſtitutione noſtri nobis conſtet, indagare aliquanto propiùs: ut ratione convincantur impii, quibus parùm curæ eſt divina pagina, vel Scripturæ veritas in dubium vocatur.
Magno ſanè inter Ethnicos ſtudio & contentione fuit agitata controverſia, *ſitne animus hominis immortalis, an æquè atque corpus intereat?* Primus inter eos de hoc diſputaſſe fertur Pherecides, referente Cicerone 1. Tuſc.quæſt. deinde in Academia, Stoa, Peripato, aliiſque Philoſophantium Gymnaſiis controverſia mota vehementiùs: *Digna* ſanè, ut dicamus cum Alſtedio, *in qua hominum ingenia deſudarent, cum omnium cauſa ageretur.* Sed ne priorem nobis paginam Philoſophorum Ethnicorum faciat Autoritas, quid rationes valeant imprimis perpendendum eſt. Nam, ſi ullibi, hîc ſanè *rationibus agendum eſt viro veritatis ſtudioſo; non Tullianis Platoniciſque pigmentis: Declamationes enim ambitioſorum opera, otioſorum cibi ſunt. Naturæ divinitatiſque negotiis impedito animo ſtudendum eſt ei brevitati, quæ res æquet verbis, demonſtrationes certas habeat pro nectare*, ut Scaliger in hoc ipſo negotio loquitur Exerc. 307. ſ. 20. Videamus ergo primùm rationes à Scaligero prolatas, quæ quidem hæ ſunt. I°. Nullum ſimplex reſolvitur in ſua principia: nullis enim componitur principiis. At ſimplicem eſſe animam docet ex eo, quòd ſit actus, ἐντελέχεια, & ἀρχὴ apud Ariſtotelem. Addo, niſi eſſet ſubſtantia ſimplex vel compoſita eſſet ex potentia & actu, vel ex duobus actibus: Non prius, eſſet enim anima corporea, ac per conſequens in homine daretur penetratio dimenſionum; quin imò, ſolus ille actus potiùs pro anima habendus eſſet, quàm id quod è potentia & actu præſupponitur compoſitum: is ergo tandem foret ſimplex, quod intendebatur; vel daretur progreſſus in infinitum in finitis. Quòd ſi verò ex pluribus actibus compoſita credatur anima, non erit

Note: margin numbers 10., 11., 12. appear beside the lines "Magno ſanè…", "…Sed ne", and "…rationes".

per ſe una, nec unum per ſe hominem conſtituet. Simplex ergo
13. ſtatuenda eſt, nec reſolubilis in partes. II°. Anima eſt natura cœleſtis, ſeu quinta eſſentia, alia à quatuor elementorum natura: ſi enim ex multiplici materia elementorum, eorumque formis contaminatis fieret una forma, ſine adventu alterius formæ unius, homo nihil aliud quàm miſtum eſſet, ac unum quid per accidens: Ac niſi quatuor illa rectorem habeant, temerè ac
14. ſine modo metaque ulla jactabunt & jactabuntur. III°. Si interit anima, cùm ſit ſimplex, neq; in principia reſolvatur, ad nihilum neceſſariò redigetur. Ergo ex aliquo nihil fit:& converſo naturæ opere, fit aliquid ex nihilo. Quod eſſe, inquit, contra decreta omnium Peripateticorũ. Hæ ſunt Scaligeri demonſtrationes:quæ equidem ſubſtantiæ durationem fixam animabus noſtris confirmant;attamẽ reverà minùs firmæ ſunt aut ſolidę, pro vera vita rationalis animæ, aut immortalitate ejus, quæ ſecundùm intellectũ eſt e uſq; operationes, perſuadenda: adeóque tales non ſunt, quæ
15. pro nectare ſint propinandæ Viro veritatis ſtudioſo. Nihil enim illæ largiuntur animis noſtris rationalibus, quod non brutornm quoque animabus, & in univerſum formis omnibus ſubſtantiabus commune ſit. Nam, quod ad primum argumentum ſpectat. Omnis certè forma, quà forma eſt, omnino ſimplex actus eſt, ut expoſuimus Theatr. Nat. Univ. part. 1. diſp. 7. quæſt. 1. §. 13. Ac perperam impingit illa prima ratiocinatio, quòd vel autoritate utens Ariſtotelis pro vera ratione, id demum nominis & eſſentiæ aſſignet rationali animæ, quod ne ipſe quidem Ariſtoteles extendit latiùs, quàm ad illas animas, quæ ſunt inſeparabiles, (ut ex iis manifeſtum eſt, quæ Diſſert. de Anim. hum. ſubſt. §. 7. 8. expoſuimus;) adeóque eo ipſo argumento noſter hic Philoſophus humanam animam ejuſdem efficit conditionis cum animis brutorum animantium, ac neceſſitate quadam conſequentiæ mortalem eo modo, quo brutorum animas mortales
16. appellamus. Ac evidentiùs ſecundo argumento immortalitatem veram animabus noſtris eripit, quando circa finem citatæ Exercit. inquit, *Si eſt entelechia corporis, & actus materiæ* (anima noſtra,) *& materia nihil aliud quàm elementa quatuor, neceſſe eſt animam eſſe eſſentiam quintam.* Addit autem: *Quin iſtis* (qui reclamant,) *edico ſimul: omnem formam cujuſcunque perfectimiſti,*

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

etiamſi non eſt anima , ut in adamante , naturam eſſe quintam, longè aliam à quatuor elementis. Niſi itaque hoc argumento humana anima reverà mortalis ſit dicenda, velut formæ miſtorum corporum quorumvis, plaudite jam vaccæ & aſini, veſpæ ac crabrones, & quicquid uſpiam ſubſtantiali formâ donatum eſt, nec enim minùs quàm humana turba ex immortalitate veſtra gaudere poteſtis. Ut ſolâ hac hypotheſi aſſumpta, non erraverit Plotinus cum Triſmegiſto, ac Platone quandoque, omnem animam immortalem inferens. Tertium verò argumentum tantundem habet roboris. Nam ideo quòd ex nihilo nihil fiat, & nihil in nihilum reſolvatur, dicuntur etiam formæ quævis materiales è potentia materiæ educi, & in eandem recidere: at præſenti argumento nullo modo conſtat, aliam humanæ animæ conditionem eſſe, aliam verò formarum reliquarum, nempe materialium. Quin etiam, hoc ſolum, ſi quid roboris haberet illa ratio, evinceretur, à nulla cauſa naturali poſſe rationalem animam annihilari; velut à nulla cauſa naturali poteſt ex nihilo produci: an verò inſuper quid poſitivum in ipſa auimæ hamanæ eſſentia ſpectandum ſit, quo etiam, reſpectu habito ipſius Dei creantis, immortalis ſit dicenda, nimirum eo ſenſu, ut, ſi annihilaret eam Deus, (à cujus libera voluntate omnino eſſe ſuum habet ac durationem, ac in cujus poteſtate ſitum eſt eandem deſtruere;) an id illi eveniret præter propriæ eſſentiæ conditionem à Deo conſtitutam, hoc ſanè argumento nondum innoteſcit. Majori ergo ſoliditate, (quod futurum mox ſperamus,) immortalis anima noſtræ eſſentia demonſtranda eſt. Haudquaquam enim Velcurioni lib 4. phyſ. c. 40. aliiſque id concedimus, (quod & Scaligeranæ demonſtrationes nimis laxæ innuebant,) *humanã rationem nullis argumentis ſibi probare poſſe & perſuadere, ut certò credat immortalem eſſe animam humanam :* quin potiùs à ſana ratione abeſſe longiùs cenſemus, & excœcatas hujus ſæculi geſtare mentes, qui pro illius immortalitate rationes nullas admittunt, quas interim vel intus evitare nequeunt in ſuis conſcientiis. Hos iis non abſimiles proponunciamus, qui Dei inviſibilia, potentiam illius ac divinitatem, ex operibus, quæ fecit, non agnoſcunt: non alia de cauſa, niſi quòd ob propriæ rationis nebulas haud patiantur ſatis eſſe evidens, quod ſolo lumine naturæ clarum foret ac

17. 18. 19. 20. 21.

ret ac

ret ac indubitatum: quamvis interim haud parum animum, vel lumini naturæ admittendo aptum, diſponat, ac veritatis Philoſophicæ fulgorem clariùs adducat Scripturæ lumen animo permixtum. Reverà autem magis quam pro ſana ratione ſenſibus
22. adhæſit ſuis Antonius ille apud Ciceronem libr. I. Tuſc. quæſt. Qui, cùm illi Cicero, *Evolve diligenter*, inquit, *librum Platonis. qui eſt de anima, ampliùs quod deſideres nihil eſt*: *Feci mehercule*, reſpondet ille, *& quidem ſæpius: ſed neſcio, quomodo dum lego aſſentior; cùm poſui librum, & mecum ipſe de immortalitate animarum cogitare incipio, omnis illa aſſenſio labitur*. Nos, cùm minimè probemus omnia Platonis argumenta, quæ & brutorum animas ad immortalitatem evehunt quandoque, ſolidiora tantùm quædam expendemus. Ac primùm, in majorem rei evidentiam,
23. præſentis Diſſertationis κρινόμενον, ſeu controverſam quæſtionem, in hunc modum planiùs exprimimus: *An humana anima ſit ſpiritualis ſubſtantia, à corpore ſeparabilis, quæ etiam cùm diſceſſit, à Deo quidem dependens, ſubſiſtentiam tamen in ſe ac per ſe ſervet, ingeniumque & indolem vivaciter teneat, ſeu efficaciter intellectus ac voluntatis operationes exerceat, habeatque ſenſum ſpiritualem, quo vel præmia vel pœnas percipiat, vel lætitiâ vel dolore afficia-*
24. *tur?* Non ergo pro noſtro inſtituto ſatis erit, demonſtrâſſe rationalem animam quoad ſubſtantiam ſuam nullo genere interitus à cauſa naturali poſſe deſtrui, nec ulla in Natura rerum contrarietate aboleri, (quæ ratio Thomæ eſt pro ejus immortalitate p.1.q.75.) hoc enim illi eſt commune cum materia quoque prima, ipsâque formarum materialium ſubſtantia: ſed demonſtrandum nobis eſt, hanc ipſam, ſine corpore etiam, dum eſt in corpore, eſſentiale quiddam eſſe à corpore ſeparatum, ut loquitur Calvinus Inſt. lib. I. c. 15. §. 2. verèq; ſine corpore in ſe ac per ſe vivere, hoc eſt, efficaciter operari, adeóque propriâ ſubſiſtentiâ niti, eſſeque reverà quid in ſuo genere completum ac perfectum, dum naturaliter ad unam ſubſiſtentiam cum corpore eſt ordina-
25. ta. Sed ne hîc cavillandi detur aliqua occaſio, de modis exiſtendi quædam paucis præmittenda ſunt. Ens reale 1°. vel ita exiſtit, ut nullo modo alteri ineſſe aut communicari poſſit: (ut perfecta & abſoluta ſuppoſita:) Vel 2°. ita exiſtit, ut actu in alio ſit, (ut accidentia, partes ſuppoſitorum, formæ materiales, univerſales

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

verſales eſſentiæ, itemque ſingulares in abſttacto ſpectatæ;) aut ſaltem alii communicari poſſit, (velut animæ humanæ à corpore ſeparatæ, quæ licet in alio non ſint, ad unionem tamen cum corpore ſunt determinatæ.) Quæ priorem exiſtendi rationem habent, reſpectu poſteriorum ſpeciali ratione, & quaſi κατ' ἐξοχὴν, dicuntur *per ſe ſubſiſtere*, ſeu *per ſe exiſtere*, aut *ſubſiſtentiam propriam & abſolutam* habere. Poſteriora verò omnia reſpectu horum *inexiſtere* dici poſſunt. Sed cùm magna horum omnium ſit
26. diverſitas, pro diverſa exiſtendi ratione, diverſimodè paſſim ὑπόστασις vel *ſubſiſtentia*, vel ipſum *ſubſiſtere* accipitur. Præterquam enim quòd *hypoſtaſis* vel *ſubſiſtentia* vulgò tribuatur 1°. ei quod verum *eſſe* obtinet, ac non inanem tantùm ejus ſpeciem; itemque ei quod habet eſſe permanens: 2°. ei, quod quovis modo ſubeſt, ut fundamentum, vel baſis, vel fæx in vino, aut ſedimentum in urina: uſitatiſſimè ac frequentiſſimè apud Philoſophos tribus
27. modis accipi ſolet. 1°. *Subſiſtere* illud dicitur quod non eſt in aliquo ſubjecto inhæſionis: nempe omnis ac ſola ſubſtantia, ſive ea ſit univerſalis ſive particularis, ſive ſit completa ſive incompleta, Atque hoc exiſtendi modo ſubſtantia diſtinguitur ab accidentibus: Unde in illius definitione ponitur *per ſe ſubſiſtere*; cum accidentium *eſſe* ſeu *exiſtere* non ſit *ſubſiſtere*, ſed eſſe vel *exiſtere in*
28. *alio*. 2°. *Subſiſtere* ſtrictiùs dicitur illud omne, quod in alio non eſt, non modò ut accidens in ſubjecto, ſed nec ut pars eſſentialis vel integralis in toto, nec ut eſſentia in ſuppoſito vel perſona: ſeu, quod ita ſimpliciter abſolutam habet ſubſiſtentiam, ut nulli omnino ſit communicabile, aut in nullo queat includi ſuppoſito: hoc eſt, quod ipſum abſolutè ſit vel ſuppoſitum vel perſona. Hoc ergo ſenſu non modò animæ humanæ propriam ſubſiſtentiam non tribuimus; ſed ne quidem eſſentiæ divinæ: cùm illa ſit in homine, ut pars eſſentialis in toto; hæc verò ineffabili modo in tri-
29. bus S. S. Trinitatis perſonis. 3°. *Subſiſtere* dicitur, quod non exiſtit in alio ita ut ab eo pendeat quoad exiſtendi actum, hoc eſt, ita ut non niſi propter imperfectum ſuum exiſtendi modum extra illud, ſive ſine illo, ac per ſe non exiſtat. Quo quidem modo negamus non ſolùm accidentia ſubſiſtere; ſed etiam materiam primam, ac formas omnes quæ è potentia materiæ educuntur: ſimiliter ſubſtantias univerſales, & ſingulares eſſentias in abſtracto

ſpectatas: atque hinc, licet (contra ſententiam Apollinaris,) ſin-
gularis ac perfecta natura humana ſit in Salvatore noſtro Jeſu
Chriſto; haud tamen cum Neſtorio ſingularem illi naturæ ſubſi-
30. ſtentiam tribuimus. Aſſerimus autem hoc ultimo modo ſubſi-
ſtere non modò omnes ſubſtantias completas ac prædicamenta-
les, itemque S. S. Trinitatis perſonas; ſed etiam hoc ſignificatu
ſubſiſtentiam tribuimus eſſentiæ divinæ, quamvis una eadem-
que ſit in tribus perſonis: nec enim Dei eſſentia à Deitatis per-
ſonis in ſuo eſſe pendet; utpote quod imperfectionem argueret.
Et hoc quidem modo animabus quoque noſtris propriam ſub-
ſiſtentiam eſſe tribuendam, ſine qua immortales naturæ dici non
poſſent, nunc porrò demonſtrabimus. Interim de prædictis ex-
iſtendi modis, præter ea quæ expoſuimus Apol. noſtræ Art. 1. &
Theatr. Nat. Univ. diſp. 6. à § 29. uſque ad § 33. vid. Rob. Baron.
31. in Philoſ. Theol. ancill. Exerc. 1. art. 4. Hiſce autem præmiſsis,
ut ad rem ipſam tandem accedamus. Tria argumenta ſolidiora
ex Platone, Xenophonte, & Cicerone, pro immortalitate animæ,
colligit Melanth. libr. de anima. Quorum primum, deſumptum
ab eſſentia ipſius animæ, tale eſt. I°. Natura non orta ex elemen-
tis non corrumpitur. Anima non eſt orta ex elementis. Non ergo
corrumpitur: adeóque propter corporis interitum non interit.
Hoc quamvis idem videatur cum ſecundo Scaligeri, multum ta-
men diſtat, ac verè tale eſt, de quo potuerit Plato prædicare, vi-
deri poſſe ſufficientem demonſtrationem, niſi gloriari odioſum
32. eſſet: (καὶ εἰ μὴ ἐπαχθὲς ἐστιν εἴπειν, πάνυ ἱκανῶς ἀποδεδεῖχθαι.) Nempe
argumentum intendit propriam animæ ſubſiſtentiam, quâ non
dependeat ſecundùm exiſtendi actum ita à materia, ut ſine ele-
mentorum aliqua contemperatione, aut materiæ permixtione,
nec queat eſſe, nec operari. Ac ſi minor talis eſſet. Anima nec
ſecundùm eſſe proprium, nec proprium operari, dependet ab
33. elementis. Ratio nempe datur, quòd impoſsibile ſit, poſſe in re
ulla, quæ ad elementa ſpectat, vel ad naturam elementarem ad-
ſtringitur, oriri notitias univerſales, ac de rebus immaterialibus,
de Deo, de numeris, de ordine, de diſcrimine honeſtorum & tur-
pium: quæ tamen notitiæ reverà in humana anima inſunt. Nempe
operationes ſpirituales, intellectus nimirum & voluntatis, exercet
anima noſtra, etiam abſque organorum miniſterio, dum corpori
eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

eſt unita, quando ea percipit & agit, ad quæ nulla facultas materialis unquam aſſurgit. Nec enim longiùs id dictum Ariſtotelis, 34.
(intelligentem oportere ſpeculari phantaſmata,) extendendum eſt, quàm ad earum rerum contemplationem, quæ per ſenſus menti obviæ redduntur: ubi tamen ipſa quoque mentis actio eſt inorganica, quæ non niſi circa ſpeciem intelligibilem verſatur, quam mens ipſa ſibi format, dum phantaſma objicitur. Eſtq; reverà talis actio non tã mentis, quàm hominis ſeu compoſiti: quippe mentis quà hominis forma eſt, ipſique phantaſiæ ſeu animæ ſenſitivæ præſtituta ac unita. Atque in hac communione ſpectata mens, 35.
ſeu potiùs ipſa phantaſia illi devincta eſſentialiter, intellectus poſſibilis ſeu patiens dicitur; ac illa quidem à ſe ipſa diſtinguitur, aut ab hoc intellectu patiente, quatènus aliter abſque omni corporeæ facultatis concurſu intelligit, ſeu abſque phantaſmate ſpecies intelligibiles in ſe concipit, ipſaſque ſpecies, è phantaſmate formatas, communicat ac quaſi imprimit ſenſitivæ, quam ita ipſam quoque rationis participem reddit, ac verè intellectum paſſivum efficit, cujuſque reſpectu ipſa agens appellatur. De qua re 36.
alibi. Et quid enim? Ne hoc ſolummodò dicamus, Deum ipſum ſæpe ſpecies imprimere humanæ animæ; ac poſſe ipſam animam ſe ita penitus à ſenſibus corporeis abducere, ut fortè dubium videri queat, an intra corpus an verò extra corpus verſetur, ut ſaltem ſenſitiva nec videat nec audiat, nec dicere quid, nec facere quid queat: ut in ecſtaſi contingere non raro obſervatum eſt. Plura ſanè nobis argumenta ſunt omnino abſtractarum operationum. Etenim, an non ipſi judicamus ratiocinationes noſtras, & 37.
verum à falſo in iis diſcernimus? an non deprehendimus ac corrigimus in iiſdem errata? an non habemus actus ita reflexos, ut intelligamus, nos intelligere, quin imò, nos intelligere quòd intelligamus. Ipſius quoque Dei notitiam habemus, animabus noſtris inſitam; ac immortalia cognoſcimus; quin ea quoque quæ materiæ immerſa ſunt à materia abſtrahimus, ac ſine materiæ conditionibus, ſine figura comtemplamur: ac utut multa intelligimus, ſemper tamen plura intelligere deſideramus; ut ne per morbos quidem vel ſenectutem activi intellectus operationes fatiſcant. Cúmque ille, qui brutis animalibus ineſt ſenſus, extra 38.
corpus non egrediatur, vel ſaltem non longiùs ſe extendat, quàm

ad res ſibi objectas; mentis certè humanæ agilitas, ut cum Calvino dicam ex Inſt. lib. 1. cap. 15. § 2. cælum & terram, naturæque arcana perluſtrat, & ubi ſæcula omnia intellectu & memoria complexa, ſingula digerit ſuâ ſerie, futuraque ex præteritis colligit. Quid, quòd dormiendo non tantum ſe circumagit & verſat, ſed multa utilia concipit, de multis ratiocinatur, futura etiam divinat,
39. ut loquitur Calvinus cit. libr. cap. 5. § 5. Quin ipſum quoque Univerſum tranſcendimus; ac inviſibilem Deum & Angelos intellectu propiùs inveſtigamus: quæ certè minimè in corpus competunt. Recta, honeſta, juſta, quæ ſenſus latent, apprehendimus; inſatiabilem, ac longè majorem quàm pro conditione hujus vitæ, habemus appetitum æternitatis, ſcientiæ, beatitudinis: quin & pro ſalute noſtra appetimus & avidè amplectimur multoties ea,
40. quæ ſenſibus adverſa ſunt & inimica. Quòd ſi ergo anima noſtra talia agit ſine corporis auxilio, non utique ut forma corporis illa agit: Forma enim, quà forma eſt, nihil per ſe ipſam agit: ſed tota formæ actio redundat in compoſitum, cui ipſa operandi eſt principium: Si verò per ſe ipſam agit anima, non dependenter à materia vel organis corporeis, utique exiſtentiam habet abſolutam ac independentem, quâ (licet ad conſtituendum hominem materiâ ſeu corpore indigeat, cui ὑποστατικῶς jungatur,) ſine ope tamen ac cauſalitate corporis obtinet ſibi propriam eſſentiam, extra ſuas cauſas conſtitutam; adeóque & per ſe ſubſiſtit, exiſtentiæ
41. ſuæ modum habens proprium ac ſubſtantialem. Ut omnino ex Calvino concludendum ſit, loco proximè citato, *latere in homine aliquid à corpore ſeparatum*. Vel, ut paucis ex Marſilio Ficino repetam, comm. in Conv. Plat. c. 3. *Si animus per ſe agit quicquam, per ſe certè eſt & vivit: vivit autem ſine corpore quod ſine corpore operatur. Si per ſe eſt, eſſe ipſi quoddam proprium convenit, corpori*
42. *non commune*. Quòd ſi verò in ipſo corpore anima per ſe ſubſiſtat, ac ſola ſibi ſit principium à conditore Deo conſtituta ſuarum operationum, abſolutè utique ac ſubſtantialiter à materia eſt ſeparabilis, ut ſubſiſtens citra materiæ ſubſidium, ſeparata vivat atque operetur. Quid enim cauſæ fingi poteſt à qua reducatur ad interitum? Et ſi nulla quidem fingi queat, an non ipſa nos natura urget
43. ut eam judicemus immortalem? Certè quod à ſolo Deo creatore, abſque ſecundarum cauſarum concurſu & ſubordinatione (ut jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

jam antè demonſtratum eſt) talem eſſentiam obtinuit, ut per ſe ſubſiſtat, ſuaſque edat operationes, id à nulla creatura poteſt deſtrui vel inhiberi: cùm enim Dei conſervatio ſit continua creatio, id equidem quod per ſecundas cauſas nullo modo eſt productum, in ſui conſervatione nullo modo à concurſu earundem pendet: at quod à ſolo & unico Deo in ſui eſſe pendet, id à ſolo & unico Deo, concurſum ſuum denegante, poteſt aboleri: haud enim ulla creatura ejus eſt potentiæ, quæ ultro influentis Dei conſervationem queat inhibere. At curnam aboleret Deus eſſentiam 44.
à ſe bene conſtitutam? Boni certè non eſt, velle id quod bonum eſt annihilare, vel ullo modo in deterius diſſolvere: At omne ens, quà ens, bonum eſt. Aut, ſi humanam animam annihilaret Deus, foret illud utique præter indigentiam eſſentiæ ipſius animæ, à Deo antè tali modo conſtitutæ, ut propriam in ſeſe ſubſiſtentiam obtineat: ac ſanè prorſum ſupernaturali ratione deſtructio ejuſmodi contingeret, cùm non minùs naturæ limites tranſcendat, à rerum conſervandi actu Deum Opt. Max. ceſſare, quàm creare. In ſolo ergo Deo cauſa ac ratio actualis interitus humanæ 45.
animæ quærenda foret, reſpectu cujus ne vel ipſi Angeli ſunt immortales; at non in ipſa anima: quæ ut ſuam ſubſiſtentiam à conſervante Deo nacta eſt, ita eam ſuâ ſponte non deponet, ſed per hanc ſeipſam ab interitu tuetur: ut adeò reale ſuæ immortalitatis aliquod principium in ſe obtineat. Hæc nempe animæ ipſius 46.
eſt eſſentia, quâ illam ordinavit ac conſervat divinum beneplacitum, & immutabile decretum. Haudquaquam ergo rei ſatisfaciunt, qui immortalem quidem animam pronunciant; at nullâ aliâ ratione, niſi quòd ab ulla creatura nequeat annihilari. At errant illi longè gravius, qui cùm rectè quidem præſupponant citra lapſum, & animam hominis ſuâ naturâ incorruptibilem, & corpus nulli morti aut corruptioni obnoxium; per lapſum tamen è contrà totum hominem ex natura ſua faciunt mortalem, cujus animam non niſi extraordinariâ quadam Dei gratiâ ab interitu ſervari putant. Equidem negari nequit, quòd in Deo alia ſit im- 47.
mortalitatis ratio, quàm in noſtris animabus, cùm hæ non modò abſolutâ Dei potentiâ annihilari queant, ſed & ſi vel conſervativo actu tantùm Deus non influeret, in nihilum relaberentur illicò: ac inſuper hoc ultro equidem concedimus, aliam ſanctorum

DISSERT. V. Angelorum rationem immortalitatis eſſe, aliam verò animarum
humanarum, quippe cùm per legis divinæ tranſgreſsionem hæ
verè mortem atque abolitionem ſui ſint promeritæ, adeóque
ſolâ Dei bonitate ac ſpeciali quadam gratiâ, ſeu veluti precariò,
immortales ſerventur. Hoc tamen interim, dum Deus illam gra-
48. tiam concedit, non tollit propriam eſſentiam à Deo primitus
tributam animæ, (licet ſecundùm eximia illa juſtitiæ ac ſan-
ctitatis dona, veluti affectiones ſupernaturales, ſit corrupta, i-
pſæque intellectus & voluntatis operationes ſint diſtortæ;) ſed
divinâ illâ bonitate ſalva, ac gratiâ ſuperſtite, omnino anima-
bus noſtris propria ὑπόστασις ſeu ſubſiſtentia relinquitur, quâ ſub-
latâ non poſſent verè dici ὑφιστάμενα: ut adeo ſit illa *anima* ὑπόστασις
ut verbis utar Cl. Alſtedii, ex Pneum. part. 4. cap. 4. *fundamen-*
49. *tum immortalitatis ejus non minimum.* De qua quidem animæ
humanæ ſubſiſtentia alibi plura juxta Orthodoxos expoſuimus.
Ex prædicto autem errore admodùm periculoſo originem de-
traxit olim, hodièque fomentum aſſumit, illa pernicioſa hære-
ſis, latiſſimam ad Epicureïſmum viam ſternens, quâ damnatorum
50. animæ creduntur interire. Non jam eos pluribus attingere neceſſe
eſt, qui animam ita corpori aſtrictam volunt, ut non ſatis eſſe vi-
deatur, ad ſiſtenda corporis membra hoſtiam, vivam, ſanctam,
Deoque acceptam, ſi recta ratio præſit facultatibus corporeis,
ipſa ad colendum Deum prona ac intenta, eademque in regenda
hominis vita univerſa principatum teneat; niſi inſuper nullæ o-
mnino ſint humanæ animæ operationes quæ non cum organis
corporeis communicent, nullæ quæ dependeant à ſola mente,
per ſe ac non ut forma operante: ut adeò neceſſe credant influe-
re in corpus organicum omnia rationalis animæ ἐνεργήματα ſeu
operationes, non tantùm illas quæ videri poſſunt exerceri me-
diante animâ ſenſitivâ, ſed etiam rationales, ac quibuſcunque
tandem Deo eſt agglutinanda. Hoc unicum inferimus fieri aliter
51. non poſſe, quin hac hypotheſi admiſsâ, propria animæ ὑπόστασις
vel ſubſiſtentia negetur: adeóque non minimum illud (ut Alſte-
dius vocat) immortalitatis fundamentum evertatur: quo deſtru-
cto fulcra ſanè Religionis quælibet vacillant, ipſaque tandem
52. corruit Religio, ac impunè dominatur Epicurus. In tales ſeveriùs
cenſuram ſtringit Calvinus lib. 1 Inſt. cap. 5. § 5. *qui* nempe, *præ-*
poſteris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

poſteris argutiis dediti. (ut vocat) *frigidum illud Ariſtotelis dictum*
libenter obliquo flexu traherent; tam ad immortalitatem animæ a-
bolendam, quàm ad eripiendum Deo jus ſuum. Nam quia organi-
cæ ſunt animæ facultates i nquit, *hoc prætextu alligant eam corpo-*
ri, ut ſine eo non ſubſiſtat. Atqui longè abeſt, inquit, *quin potentiæ*
animæ in functionibus, quæ corpori inſerviunt, incluſæ ſint. Ac ibi-
dem multas operationes colligens, quæ nihil attinent ad corpus,
nec in organa corporea influere dicenda ſunt, infert tandem *ſuas*
animæ eſſe partes à corpore ſeparatas. Quid ergo? diceturne ita a-
nima *ſubſtantia completa ac perfecta?* Equidem *in ſuo genere* talem 53.
eſſe, non video quâ ratione dubitari debeat vel poſſit, ſiquidem
demonſtratum hactenus, eam per ſe abſolutè operationes exer-
cere, adeóque ratione propriæ ſubſiſtentiæ abſolutam eſſe. At ita
tamen dicimus completam ac perfectam, ut interim *determina-*
tam aſſeramus *ad corpoream ſubſtantiam & ad unam cum eadem*
ſubſiſtentiam, Synopſ. Philoſ. primæ, ſeu Compend. Metaph. diſp.
8. th. 29. Nempe, ut dicamus cum Clariſs. D°. Schoockio, 54.
ex diſp. de immort. anim. th. 6. *Anima, quæ eſt antè* ἐνέργεια *ſui,*
(intell. ſecundùm ordinem naturæ,) *quàm ſit corporis, in ſe con-*
ſiderata eſt completa ſubſtantia; relativè verò ad corpus (ſeu homi-
nem) *incompleta: quia verò de eſſentia illius eſt, habere rationem*
formæ, rectè dicitur illius eſſentia eſſe naturæ incompletæ. Quæ haud
magis ſunt contradictoria, quàm homo completus in utero, & ex-
tra eum exiſtens. Ille enim rectè, quamvis omnibus numeris abſo-
lutus, incompletæ dicitur eſſentiæ, quia nondum natus alio vitæ mo-
do vivit, cùm tamen tota hominis eſſentia in eo ſit: Una eademque
anima eſt ſubſtantia ſpiritualis completa, & forma informans cor-
poris, (ſeu hominis) *cujus conſervatio in proprio eſſe utrumqne*
ſtatum includit. Quod autem de ſtatu violento, in quo futura 55.
ſit anima poſt ſeparationem ad nauſeam propè moveri ſolet, ad
illud haud incommodè reſpondet idem th. cit. eum non compe-
tere animæ ratione eſſentiæ, ſed appetitus: confer. ea, quæ Co-
roll. adjecto ad diſſert. 2. de animæ humanæ origine expoſui-
mus: ubi quæ ex Clariſſ. D. Freitagio notavimus, appoſitè ad
hoc negotium transferri poſſunt. Hoc impræſentiarum addi- 56.
mus, haud magis incompletam ac imperfectam animæ in ſe ſpe-
ctatæ eſſentiam argui per appetitum ac propenſionem, quâ ſe-
parata

DISSERT. V. parata corpori agglutinari deſiderat; quàm incompletam ac imperfectam arguit eſſentiam humanam appetitus ille, quo naturaliter ſcire deſideramus, cùm interim multis ignorantiæ tene-
57. bris paſſim ſumus involuti. Et reverà homo ipſe in hoc miſeriæ ſtatu incompletus dici poteſt, ſi cum primævo illo conferatur, quippe cùm potiſſimâ imaginis divinæ parte orbatus ſit: at interim quis neget hominem in ſe ſpectatum nihilominùs eſſentiam completam obtinere? Sed hiſce ſatis de primario illo Platonis pro immortalitate animæ humanæ argumento, quod Achilles rectè dici poteſt, quod abſque vana jactantia Platoni potuit de-
58. monſtrativum appellari. Ad ſecundùm tranſeamus, haud minùs firmum, quod à juſtitia divina pendet: adeóque eâ ſtante ſtat, ac non niſi eâ vacillante vacillat. Eſt autem illud tale: II°. Omnia divinâ providentiâ geruntur: quod non Scriptura modò probat, ſed & ratio humani intellectus ſolidè evincit, ac à nobis demonſtratum eſt Theatr. Nat. Univ. part. 1. diſp. 10. q. 1. At videmus interim pios ac honeſtos viros in hac vita paſſim malè affici; ac contrà in ſinu gaudere iniquos; illos injuſtè à tyrannis ac latronibus occidi; ſceleratis verò contrà ad vota quævis evenire, at impunes interim hoſce elabi. Quòd ſi ergo Dei vigeat juſtitia, neceſſe eſt piorum vitam aliam quandam ſupereſſe, hac terrenâ longè meliorem, quæ cum corporis interitu haudquaquam exſtinguatur: ac impios econtrà manere tandem pœnas, iniquitatis expletâ in terris menſurâ, adeòque nec in hiſce animam cum
59. corpore perire. Hoc illud argumentum eſt, quo D. Petrum fuiſſe uſum teſtatur *Clemens lib. 3. recognit. Si Deus juſtus eſt; anima immortalis eſt.* Ex eodem argumento conſolatione certiſſimâ freti, præſtare injuriam pati quàm inferre, non dubitamus. Ipſa nempe divinæ juſtitiæ conſideratio nos erigit, quâ, fore vitam aliquando, ubi diſcernat Deus Abelem à Caïno, Baptiſtam ab Herode, Paulum à Nerone, ac quemvis pium ſuppreſſum, à ſuppreſſore impio, perſuaſum certo certiùs habemus: Et, quod Caïno dictum fuit, cuivis perverſo dictum novimus: *Quod ſi malè*
60. *feceris, peccatum tuum quieſcet donec revelabitur.* Tertium argumentum Cyri apud Xenophontem citat Melanthon, à magnis cruciatibus conſcientiæ in ſceleratis petitum: Ut Optimè hoc uno eodemque argumento & vindicis Dei cognitio, & animarum immor-

immortalitatis certitudo, naturaliter animabus hominum indita probetur. Vaniſſimum, inquit Calvinus Inſtit. lib. 1. cap. 3. §2. quod à quibuſdam dicitur, paucorum vafritiâ & calliditate excogitatam eſſe religionem, ſeu immortalitatis animæ perſuaſionem, ut hac arte ſimplicem populum in officio continerent, unde tandem univerſalis ſuperſtitio, ſeu inveteratus error promanârit. Ta- 61.
metſi enim extiterunt olim nonnulli, hodièque non pauci emergunt, qui immortalem animam eſſe negent; velint tamen nolint, quod neſcire cupiunt, ſubinde ſentiſcunt. *Nemo*, inquit, Calvinus, *in audaciorem & effrænatiorem numinis contemptum proru-piſſe legitur, quàm C. Caligula; nemo tamē miſeriùs trepidavit, cùm aliquod iræ divinæ indicium ſe proferebat: ita Deum, quem ſtudebat ex profeſſo contemnere, invitus exhorreſcebat.* Quid verò audaciſſimo Dei contemptori tanti metus cauſa eſſe potuit, niſi quòd immortalitatem animæ ſentiret. Hinc conſcientia mali ad furias 62.
ſæpenumerò ſceleratos exagitat, ut de Oreſte conſtat, de Oedipo, aliiſque gentilitiis. Sacræ literæ Caïni anguſtiam produnt, ac Judæ proditoris: cui mors naturæ levis fuit, præ morte & perditione immortalis animæ, non finienda in perpetuum. Infinita ſunt ſimilia exempla: ut adeò cuivis ſua conſcientia ſit indubitatum immortalitatis ſuæ argumentum. Præter dictas autem ratio- 63.
nes, quæ certè Geometricis æquiparari poſſunt demonſtrationibus, plures non coacervabimus: ne tantùm probabilibus, quod certum eſt in dubitationem revocare videamur potiùs quàm confirmare. vid. Piccol. libr. 2. de mente hum. Alſted. Pneumat. part. 4. cap. 2. &c. Quod autem attinet Philoſophos antiquos, 64.
quamvis fuerint etiam pauci ita à mente dimoti, ut nec ſeipſos noſſent, nec Deum vererentur, nec ſenſum conſcientiæ ejuſque ſtimulos admitterent: nobiliſſimorum tamen in univerſa Antiquitate Philoſophorum ita conſtans fuit de immortalitate animæ ſententia, ut aſſerere non dubitârit Iſidorus lib. 3. Epiſt. 235. *Philoſophos, & Poëtas, & Oratores, & Scriptores omnes, animæ immortalitatem docuiſſe.* Hanc ſanè tuiti ſunt Triſmegiſtus, Py- 65.
thagoras, Anaxagoras, Plato in Philebo, Timæo, 10. de Republ. ac imprimis in Phædone, qui de immortalitate animæ inſcriptus eſt; ſimiliter Plotinus peculiari libro, ac univerſa Academicorum cohors: quorum tamen plurimi latiùs, quàm par eſt, immortali-

DISSERT. V.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. V. tatem animarum extendunt, ut in bruta quoque illa traducatur, ſolo nempe argumento à ſimplicitate ejus ſumpto, quo fortè & materia prima immortalis poſſet appellari: eodem Scaligerum deceptum fuiſſe antea monuimus, quamvis in errorem cum cæ-
66. teris non longiùs procedat. Stoïci ferè dubiè vel ambiguè loquuntur: non deſunt tamen apud eos ſat clara teſtimonia. Ita nempe Seneca Epiſt. 102. *Dies iſte*, inquit, *quem tanquam extremum reformidamus, æterni natalis eſt.* Et alibi: *Animus æternitatis ſuæ memor, in omne quod fuit, futurumque eſt omnibus ſæculis, vadit.* vid. Lipſ. Phyſiol. Stoïc. lib. 3. cap. 11. Prolixiùs diffuſæ Antiquitatis de immortalitate animæ ſententias colligit Auguſt. Steuch. Eugub. de peren. philoſ. libr. 9. Et longâ ſerie Nicol. Faventin. libr. 1. de immort. animæ Antiquos recenſet, qui hanc ſententiam amplexi ſunt, inter quos præter antè à nobis enumeratos, fuere Pherecides, Homerus, Euripides, Pindarus, Heſiodus, Diogenes, Thucydides, Thales Mileſius, Zoroaſter, Aratus,
67. Cicero, Plinius, aliique plurimi: Gentes integras quod attinet, Ægyptios quidem immortales animas tradidiſſe autor eſt Herodotus libr. 2. ſimiliter Druides, & Galli veteres, teſte Cæſare, libr. 6. comm. & Valerio Max. libr. 2. cap. 1. Græci & Romani, teſte Cicerone de Amicitia. Item Heſſeni Judæorum, Brachmanes Indorum, (quæ non gentis ſed ſectæ nomina ſunt,) Perſæ, Macedones, Thraces, Arabes, Getæ, Arcades, ut ex variis citat.
68. Alſted. Pneum. part. 4. cap. 2. Ac præter Veteres, nuperas quoque Patrum noſtrâque memoriâ repertas gentes, utut maximè Barbaras, ex variis Autoribus colligit, ac ſententias earum exponit Crocius in ſuo Syntagm. Theolog. libr. 2. cap. 2. Inter quas Guinenſes, Peruani, Chinenſes, Mexicani, Guianenſes, Tououpinambaulti, Braſilienſes, Virginienſes. Ut adeò ſit verè communis quidam populorum conſenſus, tacituſque Naturæ inſtinctus & connata lex: quò item ſpectant Gentilium fabulæ, de manibus, campis Elyſiis, Tartaro, paſsim apud Homerum, Virgil.
69. Ovidium, decantatæ. In hoc omnium ferè gentium ac nobiliſsimorum Philoſophorum conſenſu, mirum quòd reperiantur qui dubitare auſint de ſententia Ariſtotelis, quin imò qui non niſi mortales illum agnoviſſe animas contendant: etiamſi vel præcipui illius Interpretes plerique ſanam illi de immortalitate animæ ſen-

mæ ſententiam apertè aſsignent, quam evidentiſsimis ex eodem prolatis teſtimoniis affirmant. Certè Græci omnes, qui Ariſtotelem interpretatione ſuâ ſeu commentariis illuſtrârunt, humanam mentem ex ſententia illius dixêre immortalem, inter quos Theophraſtus diſcipulus Ariſtotelis, referente Themiſtio, Plutarchus, Priſcianus Lydus, Simplicius, Pſellus, Olympiodorus. De ſolo Alexandro Aphrodiſæo dubium eſt, quem tradidiſſe animas mortales vulgò ajunt. Sed, noſtro quidem judicio, meritò hunc defendit Anguſt. Steuch. Eug. libr. 9. de peren. Philoſ. cap. 21. 22. Reverà namque ſenſit is cum cæteris Peripateticis, ac ipſo Principe Ariſtotele, animam quandam corpoream, ſeu materiæ implicitam, ac mortalem, à mente diſtinctam, cui ipſa mens ſeparabilis, immortalis, impermixta, ſuperveniat. Velut & ipſe Philoponus, qui hîc acriter Alexandrum inſectatur, mentes humanas formatis corporibus infundi ſtatuit, poſtquam vegetalem & ſenſualem animam acceperint, ac è tribus animabus totâ ſubſtantiâ diſtinctis, priores cum homine aboleri, ſuperſtite ſolâ intellectuali, ut ex eodem refert Bodin. Theatr. Nat. lib. 4. Quod enim ad Alexandrum attinet, quando is quidem animam dicit eſſe *craſin & actum formamque corporis*, ſubjungit, *Fit nobis, quemadmodum prædiximus, ſermo de anima eorum quæ ſunt in generatione & corruptione.* Non diſſidet ergo eâ parte à Galeno, ac Hippocrate fortaſſis, qui ipſi quoque actum corporis craſin ejus, ſeu temperamentum, crediderunt, (à quo tamen animam rationalem diſtinctam non modò agnoverunt, ſed apertè ſunt teſtati, vid. quæ. citav. diſs. 2. de anim. hum. orig. § 62.) & à ſententia horum non longiùs recedit Danæus loc. com. part. 3. lib. 1. c. 10. ubi *animam brutorum tantùm quoddam humorum temperamentum & ſyncraſin appellat.* Nempe, de ea tantùm anima loquitur Aphrodiſæus, quam definit Ariſtoteles 2. de anim. *actum corporis organici*, &c. quam definitionem minimè quadrare in humanam mentem, vel ipſo Ariſtotele id apertè teſtante, expoſuimus diſſert. de hum. anim. ſubſt. § 7. 8. atque hinc ſeipſum declarans Alexander, de anima eorum ſe loqui, inquit, quæ ſunt in generatione & corruptione, hoc eſt, rerum abſolutè naturalium. At injuriam ſanè faciunt humanæ menti, eamque reverà pronunciant mortalem, qui eſſentiam illius in definitione Ari-

ſtotelis conſtituunt, ut cit. loc. manifeſtum dedimus. Rectiùs
74. Alexander diviniorem hanc animam, quæ propriè dicatur mens, ſive animus quo ſapimus, non vult incluſam eſſe ſub illa definitione Ariſtotelis: unde dicit ἡ γὰρ θεῶν ψυχὴ, εἰ καὶ ταύτην δεῖ ψυχὴν καλεῖν, ὁμονύμως ἂν ταύτῃ ψυχὴ λέγοιται, *Nam anima Deorum, ſi modò ea appellanda ſit anima, æquivocè cum hac diceretur*: Humanam ſc. animam intelligit, ſeu rationalem, quam eandem alibi vocat *formam immaterialem, & quæ propriè dicatur* νοῦς, *mens*, καὶ κατ᾽ ἐνέργειαν *ſecundùm actum*, (Ariſtoteli dicta *agens intellectus*,) item χωριστὴν καὶ ἀπαθὴν, καὶ ἀμιγὴν, *ſeparabilem, impatibilem, & impermixtam*: hanc alterius generis eſſe innuit, & *æquivocè* vocari animam
75. teſtatur. Imitatur autem eo loquendi modo Ariſtotelem, qui & ipſe in Moralibus νοῦν θεοῖς συγγενέστατον *mentem Diis cognatiſſimam*, ſeu *ad Deorum maximè genus pertinentem* appellat: Velut & Pythagoras, homines univerſos ſermone compellans, θεῖον γένος *genus divinum* nominabat. Et Aratus Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: quod refert Apoſtolus Act. 17. verſ. 28. & excipit his verbis γένος οὖν ὑ-
76. πάρχοντες τοῦ θεοῦ, *Genus ergo cùm ſimus Dei*, &c. Utut autem rectè in negotio præſenti ſentit Alexander, eundem tamen aliâ ratione hîc erraſſe non negamus, utpote qui mentem noſtram à divina mente vel ipſe non diſcrevit, vel ab Ariſtotele per agentem intellectum indigitari ipſum Deum credidit: quem ideo non immeritò ridet Themiſtius, referente Eugub. lib. 9. de peren. Phil. cap. 31. at ipſe interim ridendus eâ causâ, quòd, dum mentem quidem hominum à Deo ſtatuit diverſam, omnibus tamen unam eandemque tribuat: ſed quâ occaſione in hunc lapſus ſit errorem Alexander diſſert. 1. de anim. hum. orig. § 18. obiter innuimus.
77. Quod ergo immortalitatem animæ humanæ attinet, hanc ſanè Alexander quoque atteſtatur Principi Peripateticorum, nec ipſe eâ parte ab Antiſtite diſcedens. Eandem Ariſtoteli ſententiam attribuunt Philoſophi Arabes plerique omnes: velut item Thomas lib. 2. contra gentes cap. 79. aliique recentiores. Loca Ariſtotelis complura colligit Piccol. lib. 2. de mente hum. cap. 3. 4. 5. 6. & 7. & quæ in ſiniſtram ſuſpicionem adducuntur rationes ſolvit idem cap. 8. Ac magno volumine, de immortalitate animæ, cau-
78. ſam Philoſophi proſequitur ac defendit Fortunius Licetus. Certè ſi vel aliquando ſit obſcuriùs locutus Ariſtoteles, aut fortè alieno

loco

loco minori cum ἀκριβείᾳ quid protulerit, quod ad hoc negotium extendi poſſe videatur: plura tamen ejus loca occurrunt, quibus ſatis clarè & perſpicuè ſuam mentem ex profeſſo exponit, ex quibus lucem mutuare pro obſcurioribus omnino æquum ac neceſſe eſt. Ac illud quidem Ethnico Philoſopho cum viris lumine 79.
divino illuſtratis, ſanctis etiam & laudatis, commune eſt, quod rigidioribus Cenſoribus locutiones ejus poſsint eſſe offendiculo. Annon etiam in Lactantio circa hanc ipſam materiam periculoſas locutiones invenimus, quas tamen æquiores æquo toleramus animo, utpote cum lib. 6. cap. 11. inquit, *Animas hominum, ne exſtinguantur, humanitate ſuſtenta.* Et ibid. cap. 20. *Adeò longè ab hominibus ſeceſſit humanitas, ut cùm animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur.* Quin imò, an non ex Scriptura ipſa 80.
θεοπνεύστῳ impii arripiunt, quod ſuæ cauſæ hîc prætendant, contra tot loca meridianâ luce magis clara, veluti ex eo quod eſt Eccl. 3. v. 19. Et ſi quis conſequentiis nectendis gaudeat, in Calvino quoque, circa hanc doctrinam, anſam ſatis amplam inveniet. Is enim Inſt. lib. 1. cap. 14. § 8. nonnulla, quæ de Angelis quæri poſſunt, perpendens, *credamus*, inquit, *ex eo eſſe genere myſteriorum, quorum plena revelatio in ultimam diem differtur.* Hinc, 81.
ſi ſanctorum animabus, quæ dudum è corporibus migrârunt, nondum revelationem eam factam opinatur, in Arabum fortè hæreſin impingere alicui minùs æquo videbitur, ac ſtatuere animas cum corporibus interire, die autem noviſsimo denuò cum iiſdem excitari; aut cum aliis dormire eas in ultimum diem, adeóque ad Epicureïſmum cum Socinianis & Anabaptiſtis viam ſternere. Et fortè magis durus poterit videri locus ille qui eſt Inſt. lib. 2. c. 25. § 6. Sed quis probus unquam, aut ſaltem orthodoxus, optimo Calvino, (qui peculiari libro ſat ſtrenuè Pſychopannychitarum errorem refutavit,) ejuſmodi calumniam aſpergere tentavit. Quòd ſi ergo paſsim in Theologis ejuſmodi loquendi 82.
formas non uſque adeò exquiſitas, vel acumen rei ſat exactè attingentes, æquo animo admittimus ac ferimus, cur, quæſo, non eâdem ἐπιεικείᾳ utamur erga Philoſophos? cur tam rigidæ cenſuræ eos ſubmittamus? præſertim cùm ex clarioribus de ſana mente eorundem ſatis luculenter conſtet. Sed utut plurimi de immorta- 83.
litate animæ conſentiunt, de modo tamen ejus & exiſtendi ratio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ne cùm à corpore ſeparata eſt, non una extat omnium opinio. Quippe, ne jam denuò de iis dicam, qui vel ipſum Deum pro humanæ animæ ſubſtantia communi cunctis habuerunt, vel alio modo unam omnibus animam communẽ tradiderunt: Qui quidem μετεμψύχωσιν ſtatuiſſe perhibentur cum Pythagora, Triſmegiſto, aliiſque Antiquis, eos, in perpetuo ludibrio verſari animas, ac de uno corpore in aliud poſt obitum migrare, credidiſſe fama
84. eſt. A quibus non longè Plato abſuiſſe cenſetur: qui tamen excellentes & heroïcas animas, non nimiùm pollutas contagio corporum, tanquam puriores ſurſum evolare arbitratur, & ſuis denuò conſociari aſtris; ignavas verò & voluptatibus corporum contaminatas, humi vagari circa ſepulchra, eaſque ſpectra eſſe judicat, quæ ſæpe cernuntur. Sed hæc fabuloſa eſſe, & excogitata eum in finem, ut reverentiam plebeculæ injicerent, & terrorem incuterent quo in officio continerentur, non diſsimulavit ipſamet Antiquitas, ut Diſſert. 1. de anim. hum. orig. oſtendi-
85. mus. Plura id genus Plato in hac materia commentus eſt. Quippe ex Homero profundum ſub terra barathrum, ſeu vaſtiſſimum hiatum, quem Tartarum appellant, ſub perſona Socratis aſſumens in Phædone, in hunc omnia flumina confluere, indeque rurſum effluere aït. Recenſet autem quatuor præcipua: quorum maximum, terram circumdans, Oceanus appelletur. Secundùm quod Acheronta vocent, per ſubterranea loca in paludem Acheruſiam defluere narrat, quò plerique defunctorum perveniant animi; ibidemq; per fatalia quædam temporum curricula, partim longiora, partim brevioſa, commorati, rurſus in generationes animalium relabi dicuntur. Tertium fluvium Pyriphlegethontem vocat, multo igne flagrantem, qui magnam paludem efficiat, aquâ lutoque ferventem. Quartum Stygium, quem Poëtæ Cocytum appellent, qui paludem efficiat Stygem: huncque in Acheruſia paludè Pyriphlegethonti fluvio obviam factum, ac in
86. gyrum revolutum, dicit in Tartarum irrumpere. Ac eorum quidem animas, qui in vita medium quodammodò tenuiſſe comperiuntur, ad Acherontem profectos, in paludem Acheruſiam pervenire fingit, ibique habitare ac purgari, pœnas dantes injuriarum; cùmque purificati ſunt, abſolvi, ac pro merito ſingulas benefactorum præmia reportare. (Hujus purgatorii aquam admo-

dùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

dùm bituminoſam ac ſulphuream cogitare fas eſt, quæ tandem à Pyriphlegethonte flammam conceperit, ac Pontificiis pro plebeculæ crumenis emundandis ac cudendo argento in purgatorium igneum converſa fit.) Alios verò, qui ſanabilia quidem pec- 87.
cata, ſed ingentia commiſerunt, (veluti, ſi qui contra parentes irati per vim aliquid fecerint, ſed pœnitentiâ ducti eos in reliqua vita coluerint, vel qui ſimili quodam pacto fuerint homicidæ,) eos in Tartarum quidem neceſſariò delabi, inquit, ſed ibi per annum commorati à fluctibus denuò ejici, homicidas quidem per Cocytum, parentum verò violatores per Pyriphlegethontem: Poſtquam verò ab his delati fluminibus ad paludem Acheruſiam pervenerunt, clamare eos illic aït ac vocitare eos, quos vel necaverunt, vel injuriis affecerunt, ſuppliciterque rogare ut eos permittant ingredi in paludem: quod ſi impetraverint, penetrare illuc finemque malorum accipere; ſin minùs in Tartarum revolvi, indeque rurſum in flumina: neque deferri per hæc mala priùs ceſſare, quàm ab his quos affecerint injuriis, veniam impetraverint. At qui ob ſcelerum magnitudinem inſanabiles 88.
eſſe videntur, qui videlicet ſacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum ſimilia perpetraverunt, hos omnes conveniens ſors, inquit, mergit in Tartarum, unde nunquam egrediuntur. Qui verò piè præ cæteris vixiſſe inveniuntur, eos ex his terrenis locis, tanquam è carcere ſolutos atque liberatos, ad altiora aſcendere, puramque ſupra terram habitare regionem tradit: Ac inter hoſce quidem eos, quicunque ſatis per Philoſophiam purgati ſunt, abſque corporibus omnino totum tempus vivere, ac habitationes hiſce pulchriores nanciſci. Sed ſuas Ethnicis λυρήσεις reliquamus: quibus tamen immortalibus animabus pœnas vel præmia deſtinata eſſe, pro ut ſe quiſque geſſerit in corpore, non malè adumbrarunt. Alii verò qui animam à Deo decer- 89.
ptam, ac ita propriè divinæ particulam auræ tradiderunt, eandem in Dei ſubſtantiam reverti, ac ita in Deo non autem in ſeipſa immortalem conceperunt: adeóque parum abeſt, quin animam in ſe ſpectatam penitus mortalem pronunciârint. Quorum ſententiæ affinis admodùm eſt illa quæ ex anima Mundi prognatas animas inculcat. Sed errores iſti antè modò refutati ſunt, ex eo, quòd animam in ſeſe ſubſiſtentiam habere propriam demon-

ſtrave-

DISSERT. V. ſtraverimus. In tales verò eos omnes incidere neceſſe eſt, qui
90. propriâ &abſolutâ ſubſiſtentiâ humanam mentem planè exuunt, niſi malint cum Arabibus Thneto-pſychitis delirare videri, exiſtimantes animos humanos cum corporibus perire, ac de novo cum iiſdem die tandem ultimo reſuſcitandos; (quæ hæreſis damnata eſt in Concil. Arab. de quo apud Euſeb. lib. 6. cap. 36. an. 249.) vel cum Epicureis inſanire, animas humanas brutorum animabus ſimiles conſtituentes, ac per ſenſus cum iiſdem, neglectâ ratione, de hominis eventu judicantes, ut ſimilem hunc credant eventui ipſius beſtiæ, ut moritur hæc, ita mori illum, & ſpiritum eundem omnibus ipſis eſſe, ac ita præſtantiam hominis
91. præ beſtiis nullam eſſe, ut eſt apud Eccleſ. 3. v. 19. Minùs fortè ineptire quis exiſtimet Socinianos & Anabaptiſtas, at non ſine ſummo tamen religionis offendiculo, qui licet animas humanas immortales ſentiunt, dormire tamen eas ad noviſſimum uſque diem, tumque denuò unà cum corporibus exuſcitatum iri, urgent: Quâ ſe item hæreſi conſpurcant turpiſſimè, (ſi modò erubeſcant immortalitatem penitus negare,) qui animam humanam ita nexibus corporeis aſtringunt, ut eam non ſolummodò ſecundùm illa ἐνεργήματα ſeu operationes ſuas, quæ videri poſſent exerceri mediante ſenſitivâ animâ, à corpore dependere contendunt; ſed etiam ſecundùm rationales: Unde neceſſariò conſequitur, ſeparatam à corpore, ac ita organis corporeis carentem, per ſe non poſſe agere; adeóque plus quàm veterno profundiſſimo correptam ſine omni ſenſu ſine operatione conquieſcere. Sed, cùm antè demonſtratum ſit, ineſſe proprias humanæ menti operationes, quæ cum nulla facultate corporea communicant, intelligi profectò nequit, quis aut qualis ſit veternus ille animæ, non prorſum mortuæ & exſtinctæ; vel quâ ratione, cùm per ſe abſque corporis auxilio non poſſit agere, in ſe tamen dici queat
92. ullo modo vivere. Abſurda quoque fuit illa dubitatio Cebetis apud Platonem in Phœdone, quâ vivaciorem fortè ipſo corpore ac magis diuturnam concedit animam; at interim incertum eſſe, an non tandem ipſa quoque poſt longa temporum ſpatia exſtingatur? Quid enim, quæſo, vitam animæ exſtirpabit, cui, volente Deo, naturâ propriâ ſubſiſtentiam abſtractaſque in ſe operationes convenire demonſtravimus? In ea autem cùm ſub-

ſtantia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ſtantiales tranſmutationis cauſam nullâ ratione liceat excogitare, naturâ utiq; impellimur ad judicandum ipſam eſſe prorſus immortalem. Nec enim hîc ferenda Stoïcorum eſt opinio, qui 93.
animas à corpore diſcedentes, quòd igneæ ſint naturæ, (ut Melanthon ex iiſdem cauſam refert in fine lib. de anima,) diutius quidem ſuperſtites eſſe, & aliquot etiam ſæculis in hoc aëre volitare, at tandem aliquando quaſi fumos diſsipari. Certè animarum eſſentias omnino ſimplicisſimas jam antè cum Scaligero oſtendimus ac demonſtravimus: Ac ignis ſanè ſui motus atque actionis cauſa per ſe eſſe nequit; multóque minùs cauſa eſſe poteſt operationum prorſus à materia non dependentium. Sed de opinione Stoïcorum vid. Lipſ. Phyſiol. Stoïc. libr. 3. cap. 11. Orthodoxi tandem vivas poſt mortem ſupereſſe animas non dubitamus: ac pias quidem in beata ſede Beatorum omnium, ex beata Dei contemplatione mille ac mille gaudiis, ac perfectiſsimâ beatitudine, quàm nullus homo unquam cogitatione comprehendit, frui & exhilarari; impias verò ac damnatas in loco damnatorum infernalibus cruciatibus torqueri, & inextinguibili igne cruciari, ac non abſumi tamen in perpetuum, aſſerimus. De quo impiorum igne haud abſonè Triſmegiſtus in Clave: 95.
Qualisnam ignis, inquit, *tantam habet flammam, quantam impietas? Et qualiſnam mordens fera ita lædit corpus, quantum ipſam animam impietas? Vel non cernis, quanta mala patiatur anima impia? Vociferans & clamans, uror, comburor: quid dicam, quid faciam neſcio. Edor infelix à malis circumdata, neque video miſera, neque audio.* Ac ita verè, quòd in Aſclepio aït idem. *In hoc obeſt animæ æternitas, quod ſit immortali ſententiâ æterno judicio ſubjugata. Contra verò*, ut ibid. paulò pòſt ſubjungit, *juſto homini in Dei religione ac ſumma pietate præſidium eſt. Deus enim tales ab omnibus tutatur malis. Pater enim omnium & dominus, qui ſolus eſt omnia, omnibus ſe libenter oſtendit. Non ubi loco, nec qualis qualitate, nec quantus quantitate; ſed hominem ſolâ intelligentiâ mentis illuminans: qui diſcuſſis ab animo errorum tenebris, & veritatis claritate perceptâ, toto ſe ſenſu Intelligentiæ divinæ permiſcet. Hoc ergo*, inquit, *inter bonos maloſque diſtabit.* Nec verò anima- 96.
bus tantùm ſeparatis talia gaudia vel cruciatus parata ſunt; ſed noviſſimo tandem die, ipſa quoque corpora reſuſcitabuntur ac

DISSERT. V. reſurgent, ſingulaque ſuis animabus reſtituentur, eidemque
cum illis ſorti ſubjicientur, tumque nec finis gaudiorum un-
quam, nec cruciatuum exitus, aut redemptionis ſpes ulla ſupe-
rerit. Theoſophiæ hoc noſtræ dogma eſt, non Philoſophiæ: ad
quod ratio humana non aſſurgit, niſi ſupra finitatem ſuam ſeſe
evehat hoc Tertulliani vehiculo paradoxo, *Certum eſt, quia im-*
97. *poſſibile eſt.* Hæc enim demum verè fides eſt. Haud tamen illa
carnis reſurrectio videtur penitus ignota fuiſſe vetuſtioribus
Philoſophis: utut in denſa caligine palpantibus, ac procul dubio
non niſi à Dei populo edoctis. Sic enim in Phædone Plato: *Vetus
ſermo eſt, cujus memores ſumus, ſupereſſe animas, quæ hinc illuc a-
bierunt, rurſuſque huc reverti: fierique ex mortuis viventes:* Et
deinde: *Neque nos hæc ipſa quaſi decepti confeſſi ſumus; ſed reverà
reviviſcentia eſt, atque ex mortuis viventes fiunt, mortuorumque
ſuperſunt animæ.* Si quis autem fortè, ad ſuam μετεμψύχωσιν re-
ſpexiſſe hîc Platonem, malit; illi equidem non refragabimur. De
98. loco interim, ubi commorentur interim vel aſſerventur animæ,
ineptam futilemque quæſtionem vocat Calvinus Inſt. lib. 3. c. 25.
§ 6. *quando ſcimus non eam eſſe animæ dimenſionem quam corporis.
Quòd ſinus Abrahæ dicitur beata ſanctorum ſpirituum collectio,
nobis abunde eſt, ex hac peregrinatione excipi à communi fidelium
patre, ut nobiſcum fidei ſuæ fructum communicet.* Splendidiſsima
tamen habitacula nobis præparata eſſe à Deo conditore ac Sal-
vatore noſtro, in domo illa Patris, in civitate illa, quæ in quadro
poſita eſt, quæ ſuper Univerſam Mundi machinam immobilis
indefinita exurgit, quæ non eget Sole vel Luna ut luceant in ea,
cùm gloria Dei eam illuſtret, ac Lucerna ejus ſit agnus, id ſanctâ
99. fiduciâ tenemus. Nec tamen erubeſcimus ſubnectere ex Seneca
ad Polyb. cap. 28. *Fruitur nunc* (egreſſa quælibet anima pia,)
*aperto & libero cælo: ex humili atque depreſſo in eum emicuit locum,
quiſquis ille eſt, qui ſolutas vinculis animas beato recipit ſinu: &
nunc liberè vagatur, & omnia rerum Naturæ bona, cum ſumma
voluptate perſpicit.* Impiis verò ac damnatis locum eſſe deſtina-
tum, qui *Infernus* appellatur, non ambigimus: Is verò *ubi ſit*, ut
cum Wollebio dicamus, ex Compend. Theol. Chriſt. lib. 1. c. 12.
100. *nec experiri, nec ſcrutari expedit.* Plura, quæ de ſeparatis anima-
bus, earumque actionibus, vel ſenſerint, vel fabulati fuerint
Philoſophi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Philoſophi antiqui & varii, hic prætermittimus. conf. Lipſ. Phyſiol. Stoïc. libr. 3. diſſ. 14. Beatæ autem animæ, quas in immortalitate ſua verè immortalis vita comitatur: At infelices illæ ſunt, quæ vitam immortalem agunt ipsâ morte infeliciorem; quæ verè immortali morte in æternum cruciantur. Ab ea nos præſerva, ô Domine!

DISSERTATIO SEXTA
De
ANIMÆ HVMANÆ
UNIONE CUM CORPORE.

DIvinè dictum ab Ethnico Viro, Γνῶθι σεαυτὸν, *Noſſe teipſum.* Quod dignum ſanè ut omnium animabus infixum jugiter notetur. Præterquam enim, quòd, Calvino teſte, *Dei noſtrique notitia mutuo inter ſe nexu ſint colligatæ*, adeóque noſtri
ipſius notitia, quam divino lumine aſſequimur exactiùs, totius
religionis ac divini cultus ſit exordium: Eſt certè aliqua noſtri
cognitionis pars, quam, quà ſumus homines, negligere non poſſumus; quà Philoſophi, omnino revocare ad animum debemus.
Quod ſi enim à Deo ſumus geniti, ut Dei contemplemur opera, 2.
indeque Creatorem noſtrum gloriâ extollamus excellentiori:
haudquaquam rectè functi erimus officio humano, niſi noſtri
propriam naturã accuratiori ſtudio & induſtriâ expenderimus:
quippe qui præclarum illud Dei opus ſumus, in quo viſibilis cum
inviſibili Mundo copulatus, ſenſibilis creatura cum intellectuali
ſociata eſt. Hîc Deus verè in compendium redegit latifundia ſuorum operum, & Angelicam eſſentiam, in qua divina imago reſplendeſcit elegantiùs, cum natura corporea in copulam arctiſſimam contraxit. Haud ergo nobis ſatis eſſe debet, luſtrâſſe prima- 3.
riam illam noſtri partem, quâ ſpeciem humanam obtinemus, &
divina propiùs attingimus, à ſummo genitore genitam ἀμέσως,
incorpoream, immortalem, ac divinitatis imagine undiquaque
inſtructam; nec alteram ſatis eſt, quàm cum brutis animantibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

communem poſſidemus, habere perſpectam: ſed illius ad hanc inclinationem ac propenſionem naturalem enixiùs perveſtigare expedit, & unionem utriuſque pleniùs expendere. Tunc enim demum humanam naturam plenè cognoſcimus, quando animam cum corpore in unum colligatam exactè ſatis perluſtraverimus.

4. Cùm hîc Animam dicimus, rationalem intelligimus, nimirum formam hominis quâ homo eſt: velut corpus indigitamus ſenſitivum, rationali animæ conſociatum, quod animal humanum cum Plotino Ennead. 1. lib. 1. paſsim, ac Marſilio Ficino itidem, appellare licet. In illa autem nec partes nec gradus agnoſcimus: quippe cùm ſit planè ſimplex, nec intenſionem aut remiſſionem patiatur, ſitque tota ſimul ubicunque eſt, cùm facultas ejus, ipſa ejus, non habentis partes extra partes, ſit eſſentia, quippe quæ quoad ſubſtantiam propriam à materia vel organo corporeo non pendeat, nec cum actione ejus actio corporea communicet: ut Diſſert. præced. eſt à nobis demonſtratum, & ab Ariſt. docetur 2. de gen. anim. cap. 3. & alibi.

5. Dum verò ſenſitivum corpus dicimus, materiam indigitamus ita exornatam, iiſque dotibus ſeu facultatibus inſtructam à natura, ut digna inveniatur cœleſti illo matrimonio, quo imaginis divinæ particeps evadat, ac ſubmittatur rationi. Pro modo autem hujus copulæ ac unionis declarando, lucem dabit ipſamet formarum materialium, quæ dicuntur, & immaterialium diverſitas.

6. Equidem, tametſi omnes formæ, ſi ſecundùm propriam ſubſtantiam in ſe ſpectentur, immateriales ſint, ut expoſuimus Theatr. Nat. univ. part. 1. diſp. 7. quæſt. 1. §. 4. & ſeq. materiales tamen illæ appellari conſueverunt, ſive formæ è potentia materiæ eductæ, quæ ſecundùm ſpecificam eſſentiam. quâ formæ ſunt aut operandi ullam facultatem habent, ita à materia depenpent, ut ſine hac penitus nec *fieri*, nec *eſſe* vel *conſervari*, nec *operari* queant, adeóque quarum ipſa materia quodammodò cauſa neceſſaria exiſtit, non quidem *activa*, ſeu *à qua*, vel *paſſiva* abſolutè, ſeu *ex qua*; ſed *ſubjectiva*, ſeu è cujus potentia, ac per cujus diſpoſitionem: aliâ nempe ratione, quàm quâ & accidentia à ſubjecto tanquam à priori dependent.

7. Quippe accidentium eſſe eſt ineſſe penitus, ſeu inhærere: at eſſe quidem formis ſubſtantiale proprium tribuitur, quod tamen ita incompletum eſt, ut propriam ſubſiſtentiam non largiatur; ſed non niſi in mate-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ria ac cum materia certam definitamque ſpeciem conſtituat: ut i-
ta forma quælibet non niſi in materia, ac cum materia, ac per ma-
teriam operetur; adeóque actio illius non ſit ejus propria ac ſo-
lius, ſed compoſiti. Alio item modo formæ materiales appellan- 8.
tur, quòd inſtar materiæ ſint ulteriùs ſubordinatæ ad alios actus,
tanquam perfectibile ad propriam perfectionem, ut vegetativa
in animalibus reſpectu ſenſitivæ, & hæc in homine reſpectu ra-
tionalis. At immateriales formæ dicuntur, quæ licet ſpeciem com- 9.
poſito tribuant, non tamen ita à materia dependent, ut cauſalitate
aliqua materiæ oriantur, ſeu è potentia materiæ emergant, aut
quæ proprium eſſe & operari ſine materia vel extra materiam
non obtineant; ita rationalis anima in homine, utut intimè unita
ſenſitivo corpori, non tamen ita corpus actuat, ut è materiæ ſinu
ſit educta, ac ſine materia vel extra materiam non ſubſiſtat, nec
proprias & à materiæ independentes exerceat operationes: quip-
pe proprios omnino habet ipſa in ſe, ſine corpore & extra cor-
pus, actus intelligendi, volendi, gaudendi, dolendi, ut diſſert.
præced. demonſtravimus. Nec verò alios actus ipſamet ſubordi-
nata reſpicit, quippe cùm ſit ultima & abſoluta hominis perfe-
ctio. Priores illæ formæ finis generationis 2. phyſ. t. 73. appellan- 10.
tur: qui finis generationis eſt natura. ibid. text. 14. quod naturæ
nomen magis convenit in formam quàm materiam. ibid. t. 13.
eaque forma ſeu natura non niſi ratione ſeparari poteſt. t. 12. De
formis autẽ immaterialibus hæc non dicuntur. Quippe, (ut cum 11.
noſtro ſubjecto iſta conferamus,) rationalis anima finis genera-
tionis non eſt, utpote quæ generatione non producitur, ſed ex-
trinſecus advenit, docente Ariſt. 2. de gen. anim. cap. 3. & ἀμέσως
à Deo creatur ac infunditur: ut in præced. demonſtravimus. Nec
natura quidem ea dici poteſt. teſte Ariſt. 1. de part. anim. cap. 1.
ubi eam hac de cauſa phyſicæ conſiderationis eſſe negat, quòd
non ſit principium motionis naturalis: præterquam enim, quòd
non moveat *primò* id eſt *proximè*, nec *primò* ſeu *immediatè* inſit;
ſed mediante ſenſitivâ, (confer. definit. Naturæ, Theatr. Nat.
univ. part. 1. diſp. 8. q. 1.) ne quidem *per ſe* movet phyſicè. Nec e- 12.
nim phyſicè movetur homo, quà homo eſt, ſeu quà eſt rationali
animâ inſtructus; ſed quà eſt animal, ſeu ſenſitiva ac motiva facul-
tate pollet; quáque huic vegetativæ motiones ſu... ſubordinatæ:

DISSERT. VI.

Ac poteſt rationalis anima reipsâ à materia ſeparari; ſine ea eſſe,
13. ac in ſe conſiſtere, ſine ea agere. Ex quibus manifeſtum eſt, formas materiales eſſe formas informantes phyſicas, nimirum formas materiæ, formas corporum naturalium, quà naturalium. Formas verò immateriales, utut propriæ formæ ſunt, quæ dant eſſe rei, materiæ tamen formas non eſſe, nec naturalia corpora, quà talia, conſtituere; nec adeò *formas informantes phyſicas* dicen-
14. das eſſe. Ut ab hiſce ergo diſtinguantur, Vetuſtioribus *aſſiſtentes* appellari conſueverunt: nempe, quòd *in ſe conſiſtant*, ſeu *per ſe ſubſiſtant*; nec ita ſint materiæ immerſæ, ut ab ea pendeant. Hoc ergo ſenſu rationalis anima, utut maximè eſt forma hominis Logica, quippe quæ humanam tribuit eſſentiam, ac omnino *per ſe unum* efficit, rectè tamen forma informando *aſſiſtens* appellatur: quippe quæ ſit *forma per ſe ſubſiſtens*, ut loquitur Alſtedius
15. Pneumat. part. 4. cap. 2. Quod exponit elegantiùs Velcurio lib. 4. phyſ. cap. 18. in fine: *Anima rationalis*, inquit, *cum viribus ſuis, tametſi in toto corpore ſit ſparſa, nullum tamen habet certum ac definitum organum corporeum, ſicut ſenſitiva ac vegetativa, quia corpore quieſcente, imò ſeparata à corpore, tamen ſuis officiis fungitur, id eſt, intelligit, vult, deliberat*, &c. *Secundùm ergo operationes rationales non eſt alligata certo organo ullius membri; veruntamen operationes communes corpori & animæ efficit per organa corporea ſenſuum aut vegetationis, ut ſunt loqui, imagina-*
16. *ri, videre, nutrire*, &c. Non ergo abſolutè dici poteſt, rationalem animam corpori aſſiſtere, veluti gubernator navi, vel auriga currui: nec enim per omnia hæc ſimilitudo quadrat, quippe cum in toto corpore, (vel omnibus Antiquis ita ſentientibus;) ſit anima, eidem intimè unita; ſed tantùm quatenus ipſa corporis ſenſitivi operationes dirigit ac gubernat, ſenſus appetitumque, quo lubet, inflectit; haudquaquam ita corpori immerſa, ut
17. ab eo pendeat ſecundùm proprium operari ac ſubſiſtere. Hoc ſolo reſpectu Fernelius lib. 5. phyſiol. cap. 18. inter modum unionis, qui immateriali & materiali formæ convenit, diſcernens, *Illa*, inquit, (mens ſc, ſeu rationalis anima, quam verè formam hominis informantem agnoſcit,) *quaſi ſeparata & ſimplex, corpori non permiſcetur, ſed ei duntaxat, ut navi gubernator aſſiſtit; hæc* (ſenſitiva anima,) *in corpus penitus immergitur:* ut ſit formæ ſuperioris, ve-

réque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

rèque hominem conſtituentis, quaſi præparatio. Ita ſentit Joh. Grammaticus præfat. ad 2. de anima, *animam rationalem, non eſſe actum corporis ſecundùm ſubſtantiam; ſed ſecundùm operationes tantùm.* quam tamen hominis formam, quâ homo eſt, apertè aſſerit. l. 3. t. 1. Toto cælo igitur aberrant à ſano ſenſu omnes ii, qui nullam aliam rationem aſſiſtentis formæ (quæ appellatio magis Antiquorum Interpretibus, quàm ipſiſmet Antiquis, in uſu eſt,) agnoſcunt, quàm ut motum ordinet; cùm ne quidem eo ſenſu forma ullâ ratione appellari poſſet: abſurdè enim loqueretur utique, qui nautam navis formam appellaret, vel aurigam currus. 18.

Sed ut Priſcorum hîc ſententia percipiatur evidentiùs, Plotinum, excellentiſsimum Philoſophum Platonicum, conſulamus: Qui Ennead. 4. lib. 3. cap. 20. exponens primùm, Animam in corpore non eſſe ſicut in loco vel vaſe, nec ut partem in toto, vel ut totum in partibus, nec ut qualitatem in ſubjecto, addit *nec ut ſpeciem* (hoc eſt, formam phyſicam) *in materia: Species enim,* inquit, *in materia inſeparabilis eſt.* &c. Et mox cap. 21. diſquirens an dicere conveniat, *quòd ſit in corpore ſicut gubernator in navi? dicendum eſt,* inquit, *id rectè dictum eſſe, quantum ſpectat ad eam animæ facultatem,* (ſeu partem,) *per quam valeat à corpore ſeparari.* Addit autem: *Nondum ea ratione modum exponi maximè exoptatum. Nam,* inquit, *ſi tanquam navigator accipiatur, ſecundùm accidens aderit gubernator: ſin autem ut gubernator duntaxat, quomodo id conveniat? Non enim in tota nave eſt, ſicut anima in toto corpore.* 19.

Verè autem hominem conſtitui per rationalem animam, hancque ipſam homini eſſentiam ſpecificam tribuere, adeóque eſſe formam informantem, naturaliter unitam corpori, ſatis innuit, ſubjungens: *animam ineſſe corpori, ſicut ars inſtrumentis ineſt, veveluti in gubernaculo, ſi quidem gubernaculum fortè eſſet animatum, adeò ut gubernatoria virtus intus foret artificiosè movens.* Veruntamen in hoc differentiam eſſe monet, *quòd ars ejuſmodi ab extrinſeco pendet:* Ipſumque modum tandem colligens ſic exponit: *Ac ſi ſecundùm illud gubernatoris exemplar gubernaculo ſeipſum inſinuantis,* (at ab eadem ſeparabilis,) *animam collocemus in corpore, veluti in inſtrumento naturali, quæ moveat ipſum quocunque placuerit.* 20.

At porrò tamen ambigi poſſe non diſſimulat, quo modo tali inſtrumento inſit? Simili exemplo ferè utitur A- 21.

riſt. 24.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. VII. riſt. 2. de anim. t. 8. pro animæ, quà anima eſt, eſſentia declaran-
da: ubi eam vocat quidditatem ſeu eſſentiæ rationem talis vel ta-
lis corporis, *perinde ac ſi quod inſtrumentum artis naturale corpus*
eſſet, ceu ſecuris, cujus ratio eſſentiæ foret ipſa anima. Hunc verò
reprehendit Plotinus Ennead. 1. lib. 1. cap. 4. eâ tantum ratione,
quòd animæ proprium eſſe & operari videatur denegare, ean-
22. demque inſeparabilem conſtituere. Utrique igitur in ſimilitudi-
ne exactè convenit, ac uterque formam verè informantem ſta-
tuit: At Plotinus jam citato loco *ſeparatam formam* vocat, ac
materiæ impermixtam, hoc eſt, ut Alſtedius pronunciat, *formam*
per ſe ſubſiſtentem; cùm Ariſtoteles inſeparabilem definiat: quem
eâ quoq; definitione indigitâſſe rationalem animam perperam
perſuaſum habuit Plotinus: unde idem 4. Ennead. lib. 2. mox in
init. vocem ἐντελεχείας, in definitione animæ poſitam ab Ariſto-
tele, rejicit, quòd minùs animæ eſſentiam declaret, eamque ta-
lem faciat, quæ ſolùm ſit perfectio materiæ, nec aliud eſſe pro-
23. prium habeat à materia ſeparatum. Plotinus ergo negat animam
ineſſe corpori eo modo quo materiæ ineſt forma phyſica; ac eam
potiùs adeſſe toti dicit, ac corpore velut inſtrumento uti: ſed ita
tamen, ac ſi ars, ſeu ipſamet artificis facultas, in inſtrumento eſ-
ſet quid internum, ac eſſentiæ rationem inſtrumento adderet.
A qua ſententia non longiùs abludit Auguſtinus, quando lib. de
quant. anim. cap. 13. itemque de ſpirit. & anim. cap. 1. *Animus*
eſt, inquit, *ſubſtantia quædam rationis particeps, regendo corpori*
24. *accommodata*. Reverà autem veritati congruit Plotinus, quando
negat rationalem animam corporis eſſe ἐντελέχειαν, quippe, ut
Zabarella loquitur lib. de mente hum. cap. 4. *ſolùm oſtendit, eam*
à materia non pendere, & ab ea ſeparabilem eſſe. Imò, Platonici o-
mnes, inquit Zabarella, *non ſolùm affirmant, nos habere eſſe ab a-*
nima rationali; ſed dicunt nos eſſe animam ipſam (de qua re poſtea
diſquiremus,) *quod certè non dicerent, niſi putarent eam eſſe for-*
mam quâ homo eſt homo: negarunt ergo eam eſſe formam immerſam
materiæ, & ab eo inſeparabilem; non omnino negarunt eam eſſe for-
25. *mam hominis*. Quâ ne quidem parte Ariſtoteles à Plotino cæte-
riſque Platonicis diſſentit: quippe qui non niſi animas materia-
les, & quæ phyſicæ conſiderationis ſunt, ſuâ definitione eſt com-
plexus, ut alibi oſtendimus. Unde & poſt traditam animæ defini-
tionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tionem lib. 2. de anima, text. 11. inter formas informantes & DISSERT. VI.
aſſiſtentes, quas vocant, diſtinguit, ibidemque, ut & text. 21. ſe de iis animæ partibus agere, quæ ſeparabiles non ſunt, ſat manifeſtè monet. Et quamvis ipſe quoque animam rationalem ad ali- 26.
ud formarum genus, quas nempe aſſiſtentes vocant, referat, quod variis argumentis probatur ex eodem à Piccol. libr. 2. de ment. hum. c. 5. rectè tamen ipſe Piccol. cit. loco ejus colligit ſententiam, ſc. *mentem non formare corpus; eſſe tamen formam formarum, & maximè dare eſſe homini, cùm conſtituat ſupremũ hominis gradum, & hominẽ eminentiſſimum.* De quo gradu eminentiore hominis, alteroque inferiore ex ſententia Ariſtotelis, diximus in Hexaëm. diſp. 7. § 8. & ſeq. Eam verò Ariſtotelis ſententiam eſſe, efficaciter 27.
probat item Thom. 1. part. Summ. q. 76. & alibi. Eandem mentem Ariſtotelis percepit accuratiùs Averroës, qui in comment. 5. lib. 3. de anim. aſſerit nomen ἐντελεχείας de anima rationali & de aliis partibus animæ dici fermè æquivocè, (quod & Alexandro placuit ex Ariſtotele, ut citavimus diſſert. præced. § 74.) quoniam de anima ſentiente & de vegetante, ſignificat formam informantem; de rationali verò aſſiſtentem: ad cujus ſententiæ confirmationem adducit loca Ariſtotelis, jam antè à nobis citata, text. 11. & 21. lib. 2. de anima. Quamvis autem ipſe etiam Averroës, cum 28.
ſuis aſſeclis, Ariſtotelem imitatus, mentem hominis formam aſſiſtentem faciat; hanc tamen comm. 20. lib. 3. de anima docet non modò *per operationem*, ſed & *per naturam* uniri cum homine, ſeu corpore humano ſupremâ materialium formarum in genere animalium conſtituto; quin imò *per naturam* jungi, quando nondum juncta eſt *per operationem* intellectualem, ut in pueris. Eam 29.
verò unionem *per naturam* Piccol. lib. 2. de ment. hum. cap. 18. intimiorem & majorem vocat, quàm ſit connexio formæ (informantis ſimpliciter) cum materia: ac rationem reddit. cap. 17. quia nectitur ſine extenſione & diſtantia partium: *Mens enim*, inquit, *non extenditur, ſed ubicunque eſt tota eſt:* modo certè longè eminentiori, quàm quo fortè idem de animabus materialibus poſſet concipi, cùm hæ ſecundùm certas operationes certis partibus aſtrictæ ſint. Nec aliter ſentit ipſemet Averroës, qui, licet etiam 30.
cæleſtes intelligentias formas aſtrorum aſſiſtentes faciat, eas tamen ſuis corporibus magis uniri profitetur, teſte Fort. Lic. lib. 1.

DISSERT. VI. de ort. anim. hum. cap. 14. quàm formæ naturales materiæ huic
31. ſublunari. Talem ergo formam aſſiſtentem ipſe etiam reverà ſtatuit Averroës, quæ, quia toti corpori unita, non ſolùm ſit principium intelligendi; ſed etiam conferat eſſentiam humanam: ſeu, quæ per naturalem ſui unionem ac connexionem cum homine per phantaſiam conſtituto, (hoc eſt, cum animali humano, rationis ob communionem participe, & q. hominis inferiore gradu,) verum intellectum rationemque conferat, ac hominis gra-
32. dum eminentiorem veréque divinum abſolvat. Similem ſententiam Themiſtio attribuit Thomas in opuſculo 16. quamvis Themiſtius una cum Averroë alio errore circa mentem hominis ſe implicuerit, quem alibi tetigimus. Sanam verò mentem Ariſtotelis de rationalis animæ cum corpore unione, agnovit item Alexander, qui ideo ipſe quoque, teſte Zabarella lib. de ment. hum. cap. 4. eam formam informantem hominis aſſeruit, quæ huma-
33. nam ſpeciem conſtituat. Et ſanè, contradictionem nullam eſſe inter formam aſsiſtentem, aut per ſe ſubſiſtentem, & ſpecificam ſeu informantem, evidenter innuit Joh. Grammaticus, quando quidem in præfat. lib. 2. de anima, & explicatione text. 1. ejuſdem lib. apertè teſtatur, animam rationalem non eſſe actum corporis ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm operationem, cujuſmodi eſt nauta in navi; alias verò animas eſſe actus etiam ſecundùm ſubſtantiam, (hoc eſt, illam eſſe formam aſsiſtentem, haſce verò ſimpliciter informantes:) Nihilominus text. 1. lib. 3. de anima, inquit, animam rationalem dare eſſe homini, & ho-
34. minem conſtituere. Verè enim rationalis anima aſsiſtit corpori, quatenus materiæ non eſt permixta, ſed propriâ gaudet ſubſiſtentiâ, ac à materia eſt ſeparabilis, (ſeu ut Marſ. Ficin. exponit comm. in cap. 2. Enn. 1. libr. 1. Plotin. quia & ſimplex eſt, & in ſe ipſa exiſtit ac conſiſtit,) ac ſenſitivæ operationes dirigit; at interim informat hominem eique eſſe tribuit ſpecificum, quatenus naturaliter determinata eſt ad aliam ſubſtantiam cum qua in unam coït ſubſiſtentiam. Hæc Platonis ac Platonicorum omnium
35. ſententia eſt, quam nos à veritate non abeſſe opinamur. Eam verò pulchrè declarat Simplicius, citante Zabarella de ment. hum. cap. 4. Nimirum, duo eſſe genera formarum informantium: aliam enim ita informare materiam & dare eſſe rei, ut nihil aliud ſit quam actus talis rei, proindeque inſeparabilem eſſe ab eo cujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

jus eſt actus; aliam verò eſſe formam, cujus eſſentia non in hoc tantùm conſtituta ſit, ut ſit actus alterius, ſed ipſa quoq; ſecundùm ſe ſit aliquid, eo reſpectu abſolutum, ac proinde queat eſſe ſine illo cujus eſt forma. Poſterioris autem generis ipſe etiam Simplicius 36.
unà cum Platone ejuſdemque Sectatoribus humanam animam aſſeruit: qui & hoc ipſo ſenſu alibi rationalem animam totam in ſe manentem ac perfectam tradit, totamque ſimul lapſam in corpus & imperfectam: quod ſanè quomodo repugnantiam non involvat alibi expoſuimus. Galenus quoq;, qui & ipſemet Platonicę 37.
doctrinæ eſt addictus, libro quòd animi mores ſequantur temperamentum corporis, animam rationalem veram hominis formam informantem ſtatuit, quam eandem Ariſtoteli attribuit: (ut ex judicio Galeni quoque hac in parte Ariſtoteli cum Platone ſit conſenſus:) quam ſuam ſententiam, ac de opinione inſuper Ariſtotelis judicium, ſententiâ item ac judicio Andronici Rhodii confirmat. Optimâ profectò ratione uterque, & Galenus & Ari- 38.
ſtoteles, non niſi in corpus convenienter conformatum, adeóque vegetativâ ac ſenſitivâ facultate præviâ inſtructum, inſinuari rationalem animam contendunt, ut antehac citatum ex utroque: quâ parte ſolâ circa conſtitutionem hominis erràſſe viſus eſt Plotinus, qui, exponente Marſil. Ficin. comm. in Enn. 1. lib. 1. cap. 2. *intellectualem naturam eſſe quidem vitam corporis familiarem* (vegetativam ſcilicet & ſenſitivam) *negat, concedit tamen familiarem quandam ſuâ præſentiâ vitam in corpora propagare: ex qua & corpore non homo, ſed animal conficiatur humanum.* Certè ra- 39.
tione concipi non poteſt, quo modò rationalis anima, in ſeſe ſimpliciſſima, reliquas humanæ animæ partes corporeas, & ab ipſa intellectiva natura ſecundùm ipſos Platonicos diſtinctas, producat vel in corpora diffundat. Niſi potiùs ipſe Marſilius non ſatis accuratè expreſſiſſe mentem Plotini credendus ſit, quando *intellectualem naturam* pro univerſa *anima humana* exponit: cujus equidem cùm ſint partes quædam ab intellectuali natura diſtinctæ, rectè hæ dici poſſunt ab anima humana in corpus ipſum propagatæ, ut ita totum animal humanum, ſeu corpus ſenſitivum hominis conſtituatur, quo velut inſtrumento utatur intellectualis pars, ipſa non ſimiliter, ut cæteræ, materiæ immerſa, at interim arctiſſimè humano animali ſociata: quam Plotini eſſe mentem

DISSERT. VI. ipſummet Plotinum conſulenti veriſimile evadit. Ac iſto quidem
40. ſenſu optimè Plotini mentem reddit idem Marſil. Ficin. Ennead. 4. lib. 7. cap. 1. ubi, *Anima*, inquit, *dupliciter ſe habet ad corpus, partim quidem ut ſubſtantialis quædam ſpecies* (ſeu forma phyſica) *ad materiam, quoniam per ejus præſentiam certa quædam humorum temperatura, ſpirituſque vitalis in corpore naſcitur; partim verò tanquam utens ad inſtrumentum*, (non quidem ſimpliciter tale, ut jam antè ex Plotino expoſuimus, quippe cum eſſentialiter corpori unita ſit, ſed ſecundùm quid: unde addit,) *quantum pro arbitrio movet corpus, atque eſt à corpore ſeparabilis, & jam quo-*
41. *dammodò ſeparata*. Homo ergo verè conſtituitur, non à ſola rationali anima in ſeſe conſiderata; nec in totum ut corpore eadem velut inſtrumento utitur: ſed, quatenus inſuper ſenſitivo corpori humano arctiſſimè conjuncta eſt, & ὑποστατικῶς unita, quâ quidem unione ſuas item facultates, intellectum nempe atque voluntatem, in ipſam ſenſitivam animam quodammodò transfundit, ac ita ſenſitivo corpori accommodatur, ut totus homo parti-
42. ceps evadat rationis ac imaginis divinæ. Equidem, tametſi rationalis anima in ſuo genere completa ſit, & ratione propriæ ſubſiſtentiæ abſoluta, ut ex diſſert. præced. conſtat, hoc tamen nullo modo impedit, quò minùs incompleta ſit reſpectu eſſentiæ humanæ, ut ibidem clarum eſt. Nec verò idem eſt ſubſtantia completa & incommunicabilis; ex Fonſeca lib. 5. Metaph. cap. 8. quæſt. 5. ſ. 3. Nec quicquam impedit, quò minùs aliqua ſubſtantia, quæ propriam in ſe ipſa habet ſubſiſtentiam, ſit interim determinata naturaliter ad aliam ſubſtantiam, & ad unam cum eadem ſubſiſtentiam. [Suppoſiti quidem propriè dicti ac perſonæ tantùm ea eſt conditio naturalis, ut penitus abſolutam habeat ſubſiſtentiam, nec ad unionem cum alia ſubſtantia ex ſeſe determinata ſit: at quâ ratione rationalis anima tum in corpore tum extra corpus verè ſubſiſtentiam habere propriam dici queat, patet ex Suarez. diſp. 34. ſ. 5. §. 27. 28. 29. 30. quod idem quoque Diſſ. præced. plenius à nobis eſt diductum. Unde quoque manifeſtum, ſubſiſtens, quà tale, non includere eam omnimodam incommunicabilitatem, quam includit ſuppoſitum vel perſona: niſi res ſubſiſtens ſimul talis ſit, quæ ſimpliciter & abſolutè ſit completa: ut denuò liquet ex Zuarez. cit. loc. § 59 in fine & init. § 60. quod

& alibi

& alibi planiùs à nobis eſt expoſitum.] Animam ergo rationa- DISSERT. VI.
lem, utut completa ſit in ſuo genere, propriamque ſubſiſtenti- 43.
am obtineat, quâ verè dici queat ὑφιςάμενον, cum corpore ſen-
ſitivo nihilominùs conſociari naturaliter aſſerimus, ac in unam
ſubſiſtentiam uniri. Ut adeò naturalis hæc conſociatio partis u-
triuſque rectè appelletur paſſim *hypoſtatica copulatio*, vel *hypo-
ſtatica corporis & animæ unio*. vid. Timpl. Empſych. lib. 3. cap. 1.
quæſt. 34. Wolleb. lib. 1. Compend. Theol. cap. 5. can. 2. de ho-
mine, in comment. Rob. Baron. in Philoſ. Theol. ancill. Ex-
ercit. 2. art 6. & alii innumerabiles: quo loquendi modo ni-
hil aliud indigitatur quàm veram & unica totius hominis, ex
corpore & anima compoſiti, perſona. Verè autem rationali 44.
animæ naturalis eſt illa ad ſenſitivum corpus determinatio: ac
ſpectatæ quidem in ſe ipſa, illi ut eſſentiam illius conſequens, ſeu
ſecundo modo per ſe, naturalis eſt; ſpectatæ verò quà eſt pars
eſſentialis hominis, ut eſſentiam illius conſtituens, ſeu modo per
ſe primo. Hinc ne per mortem quidem naturalem appetitus na-
turalis ſeu propenſio ad corpus aboletur, ſed poſt ſeparationem
etiam ſupereſt: quo item ſtatu denuò cum corpore depoſito affe-
ctat unionem, ut totius hominis eſſentia perfecta, ac completa
ſubſiſtentia redintegretur. Originem verò habet ille naturalis 45.
appetitus animæ, ex eo quòd non priùs generetur, ac poſtmo-
dùm ad unionem hypoſtaticam cum corpore determinetur; ſed
quod eodem actu quo creatur, ſimul ſocietur corpori, ac eo qui-
dem fine procreetur, ut cum corpore jungatur, ac unione ſuâ ho-
minis perſonam compleat: Ut adeò, ſi quidem non in ſeſe, ſed in
ordine ad hominem, cujus eſt eſſentialis pars præcipua, ſpecte-
tur, naturaliter ſubſtantia ſit incompleta, quæ vergat propriâ
propenſione ad compoſitum; ac complementum alterum, non
ſui, ſed eſſentiæ humanæ, per naturam appetat. Dum verò cor- 46.
pori conſociata eſt, immediatè hæret ſenſitivæ animæ, quâ me-
diante cum materia conjuncta eſt. Hoc ſanè vinculum naturæ
maximè videtur conſentaneum: Cùm enim maxima intercedat
diſcrepantia inter materiam, quæ pura eſt potentia, non niſi ad
materiales formas appetitum habens; & rationalem animam,
quæ abſolutus, ſi in ſe ſpectetur, ac puriſſimus in ſe conſiſtens a-
ctus eſt, commodiſſimè ad utramque intercedens ſenſitiva ani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. VI. ma accommodata eſt. Ea enim, ut materialis actus eſt, à materia
47. inſeparabilis, ad materiam neceſſitate quadam propriâ ac naturali vergit; ad rationalem verò animam in conſortium admittendam eadem determinata eſt, quâ eſt ſubſtantia incorporea, capax rationis per communionem. Sic ergo rationalis animæ divinitatem, quam materia per ſe ferre erat impotens, hæc commodè admittit tandem, actuata ſcilicet per ſenſitivam animam,
48. quâ ipſâ mediante rationali intimè aſſociatur. Hinc manifeſtum eſt, quo jure dici queat rationalis anima non tam materiam actuare, quàm ſenſitivam eſſentialiter materiæ ſeu corpori organico unitam, h. e. humanum animal, vel ſenſitivum corpus humanum. Sed expendendum pleniùs, quâ ratione tandem inſit ſenſitivo corpori, cùm nec ut in loco, vel in vaſe, nec ut in partibus totum, vel in toto pars, nec velut in ſubjecto qualitas, vel
49. in materia forma phyſica, ineſſe conſtet? Equidem adeſſe potiùs corpori quàm ineſſe dicitur Platonicis, quod quo ſenſu ſit accipiendum ex prædictis facilè innoteſcit: at interim ineſſe rectè dicunt, quo modo lumen ineſt aëri: (niſi quod in eo claudicet ſimilitudo, quòd lumen ſecus atque anima non ſit ſubſtantiale
50. quid.) Hunc verò modum eleganter declarat Plotinus Ennead. 4. lib. 3. cap. 22. *Nunquid dicendum eſt*, inquit, *ſic animam ineſſe corpori, ut ignis, ideſt lumen, ineſt aëri? Etenim hoc dum adeſt aëri, non adeſt; ac per totum præſens nulli miſcetur, & manet quidem ipſum, aër verò transfluit. Et quando extra illud ſit in quo eſt lumen, abit protinus nihil retinens; quamdiu verò ſub lumine, illuſtratur. Quapropter rectè hîc licet dicere, aërem eſſe in lumine potiùs, quàm in aëre lumen: ideoque Plato in ipſa Mundi generatione dici noluit, animam in corpore poſitam eſſe, ſed corpus in anima collocatum. Aitque aliquid eſſe ipſius animæ in quo ſit corpus; aliquid rurſum in quo corpus nullum: quantum videlicet ad eas vi-*
51. *res animæ pertinet, quibus corpus minimè indiget.* Nec verò peregrinus in Philoſophia Peripatetica hîc loquendi modus eſt, quo corpus in anima eſſe dicitur: ipſe namqne Ariſtoteles lib. 4. phyſ. cap. 2. & alibi ſæpius, materiam à forma contineri docet.
52. Supervacanea ergo hîc illa quæſtio eſt, quâ quæri ſolet, an in toto corpore inſit anima, an in certa quadam ejus parte? Quaſi verò ſimiliter ut corpus, ita ſpiritualis ſubſtantia in corpore, pro-

propriâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

priâ functione à materia vel corpore non dependens, propriâ ac peculiari ſuperficie circumſcribatur, aut rectè puncto valeat aſſimilari. Certè illud in quo corpus eſſe dicitur, velut in vivificante ac communicante intellectum, id ubicunque corpus eſt, ibidem ipſum eſt: Ac quamvis infinita non ſit rationalis anima, ſimiliter ut nec Angeli; haud tamen in minori ubi, (quod non capimus humano intellectu,) quàm quod corpori attribuatur, eam definiri conſentaneum exiſtimandum eſt; ſed omnino univerſo corpori, quod actuat, adeſſe præſens: ac ita quidem præſens, ut cùm ſecundùm proprias operationes à materia non dependeat, (ſecus atque animæ materiales dictè) in ſe autem indiviſa ſit, reverà tota ſit in toto, ac in ſingulis partibus item tota. Interim in ea parte maximè ineſſe creditur, in qua facultates ſuas maximè cum corpore communicare deprehenditur: veluti in cerebro; in quo functiones rationales maximè elucеſcunt. At ſiquidem in corde ſenſitiva anima ineſſe radicaliter ac principaliter dicenda ſit, (veluti in Sole aëris Univerſi lumen radicatur,) unde quaſi ortum habens poſtea cum reliquis communicetur partibus, (quod diſquirendum alibi,) utique cùm mediante ſenſitivâ communicetur corpori rationalis anima, in ea quoque parte hæc præcipuè ineſſe erit ſtatuenda. Quamvis aliâ ratione hac anguſtiori ſede animæ ſubſtantiam conſtringat perperam Melanthon lib. de anima: *Cor, inquit, animæ domicilium, in quo ad certam diſtantiam in cæteris membris ciet actiones.* De anima autem rationali loquitur, animas interim materiales juxta corporis partes diviſibiles pronuncians. Addit autem: *Sermo Propheticus & Apoſtolicus ſæpe nominat cor, cùm loquitur non de fonte affectuum, ſed de parte cognoſcente.* De hac ſede animæ ex variorum Philoſophorum ſententia vid. Lipſ. Phyſiol. Stoïc. lib. 3. cap. 18. Sed ut prædicta breviter in unam ſummam colligamus, calculum Fortunii Liceti ex lib. 2. de ort. anim. cap. 9. p. 372. paucis correctum, ſubjiciemus. *Adſociatur*, inquit ille, *rationalis anima corpori in ſe habenti animas mortales, vegetalem nimirum & ſentientem; ſed longè aliter ac iſtæ: quia mortales animæ invicem in unam naturam, tanquam materia & forma coëuntes, quæ dicitur anima irrationalis, aut ſentiens à nobiliori parte, corpori ſimul uniuntur immediatè, atque ſecundùm omnem illius dimenſionem, ut quæ ſunt*

DISSERT. VI.

53.

54.

55.

56.

mate-

DISSERT. VI. *materiales, & quantitatis aliquâ ratione participes, ut pûta per accidens,* (prout ſecundum varias facultates à variis corporis partibus dependent,) *quocirca corpori coëxtenduntur: At rationalis anima unitur corpori mediantibus illis in eo praexiſtentibus, & in una tantùm illius parte* (potiùs in qualibet parte tota.) *indiviſibiliter, ſeu non extenſè: quoniam à materia non pendens, nullo modo eſt capax quantitatis, cujus radix ac fundamentum eſt materia. Immediatè verò rationalis anima adjungitur animæ ratione carenti, in corpore extenſæ, tanquam punctum corpori,* (tanquam lumen aëri, ut cum Plotino diximus,) *& veluti actus internus omnino*
57. *indiviſibilis unitur ſuo perfectibili extenſo*, &c. Reverà autem universo corpori ipſamet indiviſibilis adjuncta eſt; non in una tantùm ſenſitivæ animæ parte hærens, (ut exiſtimat Fort. Lic.) quâ nempe rationis expers perficiat partem omnium principem in noſtro corpore, quæ Medicis eſt cerebrum, Peripateticis autem cor: quamvis ſpeciali ratione in hiſce ipſis partibus ineſſe imprimis dici queat rationalis anima, eâ ratione quam ſuperiùs expo-
58. ſuimus. Addit porrò Licetus: *Ex anima verò irrationali in corpore extenſibiliter præexiſtente, tanquam ex ulteriùs perfectibili, & rationis compote, indiviſibili, ac de foris adveniente, tanquam ex ultima perfectione, componitur unum per ſe ens perfectum,* (non abſolutè ac ſimpliciter, ne quis ex hoc ente & materia credat hominem fieri unum ens per accidens, quæ ſanè mens non eſt Fort. Lic.) *quod appellatur* Anima Humana: *quæ, ceu forma informans, humano corpori* (potiùs organico, quâ tale eſt,) *immediatè unitur, ac ſecundùm omnem illius dimenſionem, ſed hoc ra-*
59. *tione partis ſuæ materialis ac irrationalis.* Etenim, ſecundùm ſui partem rationalem, quæ extenſionis nullâ ratione capax eſt, ita tota eſt in toto ſenſitivo corpore, & tota in ſingulis ejus partibus, ut quoque ſine illo ſit, hoc eſt, ſecundùm facultatem propriam & eſſentialem à corpore non dependeat. Quod eleganter ex ſententia Platonicorum, exprimit Plotinus Ennead. 4. lib. 2. cap. 1. ubi *divinum & admirandum animæ theſaurum* appellat, *cùm magnitudine vacans, univerſæ magnitudini adſit; & alicubi exiſtens ibi i-*
60. *terum non exiſtat, non alio quodam ſed prorſus eodem.* Sed dira verba obſervantur auribus. Jam olim, inquiunt nonnulli, à Concilio Conſtantinopolitano IV. quod habetur Oecumenicum

VIII.

VIII. Actione X. Can. X. veluti hæreſeos latibulum damnatur, & DISSERT. VI.
anathemate proſcribitur hypotheſis de animis duabus: quæ nobis
verè unionis rationalis animæ cum corpore videtur eſſe fundamentum. Brutum ſanè fulmen in noſtris animis, ut qui Concilium illud fuiſſe idololatricum non ignoramus. vid. cit. Act. Can. 3. 61.
Edit. Binianæ Tom. 3. part. 2. pag. 896. item pag. 855. col. 1. & alibi. Non terruit olim id Concilium Melanthonem in hac materia, ut nec alios plures Orthodoxos, qui ſenſitivam nihilominus ſubordinatam rationali animæ tradiderunt, Sed nec terrentur eo ipſi Pontificii, Fernelius, Fort. Licetus, Ochan, Maronius, Mirandulanus, Thomas Garbius, ac ipſe Thomas Aquinas. Nempe ignoratio Elenchi eſt, vel ambiguitas in verbis. Cum Fortunio 62.
Liceto haud laborioſè nos expediemus; qui lib. 3. de ort. an. hum. cap. 12. p. 428. *Non plures animas uno in homine ponimus*, inquit, *ut ii, quos ſacro ſancta*, (ſi cui ita placet,) *Synodus Conſtantinopolitana anathematizat. Illi namque, ut apparet ex verbis Can. ponebant in homine duas animas in vnam naturam non coëuntes : At nos tres quidem ponimus partes eſſentiales, ab invicem diverſas; verùm dicimus eas coïre in unam eſſentiam humanæ animæ: quoniam animam vegetalem ita ſenſitivæ conjunctam dicimus, ut ex vegetali tanquam adhuc perfectibili, ſive (quod ajunt,) ex ente in potentia, & ſenſitrice illi, ceu actu, copulata, emergat unum per ſe ens*, (non abſolutum, iterum monemus, ſed quod maneat etiamnum in potentia,) *nam ad hoc, ut ex duobus fiat unum ens per ſe, ſat eſt Ariſtoteli, quòd unum ſit eſſentiale complementum alterius, ſicuti eſt ſenſitrix ad vegetalem, ex quibus ideo ſit unum per ſe ens, & una anima irrationalis: quæ rurſum pariter intellectivam, ceu actum, eſſentialem, ſuſcipit, indeque denuò pullulat unum per ſe ens, quod eſt* ANIMA HUMANA, (ceu actus ſupremus reſpiciens materiam, ut tandem abſolutum fiat ens per ſe unum,) *quæ non raro à parte ſui nobiliori nuncupatur Philoſophis intellectus, mens, anima rationalis aut intellectiva : unumquodque enim eſt id, quod in eo eſt ſummum*. Conf. Fern. l. 5. phyſiol. c. 18. Ac ita animæ ſubordinatæ 63.
dictæ, aliis haud inconvenienter unius animæ rationalis facultates appellantur. Sed quod compoſitam hanc animæ unius ſubſtantiã attinet, pleniùs eam peculiari Diſſertatione exhibuimus. Conferri item poteſt Lipſius Phyſiol. Stoïc. lib. 3. cap. 16. 17. & init. 18.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. VI. ubi pulchrè ſecundùm varios in hanc materiam diſſerit. Sed quid
64. ergo tandem illa rationalis animæ cum ſenſitivo corpore unio communioque efficit? Nempe id quod ſumus ipſi: Hominem, inquam, eumque verè unum, per ſe unum. Homo autem definitur
65. rationale animal. Ac ita quidem rectè eâ parte quâ eſt animal divinitati proximum, quâ naturale corpus nobiliſſimum. At hominis præteria eſſentiale quiddam eſt, quod non eſt animale: quod rationale item, & quidem per ſe ipſum tale, appellatur: quod nempe animali additum humano, rationem in eodem generat, ſuique velut imaginem producit, ac ita rationale animal,
66. ſeu hominem in naturali genere conſtituit. Hoc nempe illud eſt, quo primó propriéque differimus à brutis, quo ad divina propiùs accedimus, quo exercemus operationes ab organis corporeis haudquaquam dependentes. Hæc ea noſtri pars eſt, quâ differimus à nobis ipſis; quâ ſpiritualis homo, etiam in irregenitis, à
67. naturali eſt diverſus. Ab hac parte *vita* nobis ineſt *melior quàm hominis natura ferat*, ut Ariſtoteles loquitur 10. Ethic. cap. 7. *Nec enim ita vivimus, quà ſumus homines* (ſeu animalia rationalia, ac verè tantùm corpora naturalia,) *ſed quà divinum quiddam nobis ineſt*: ut ibid. aït idẽ Ethnicus Philoſophus: qui ab hac parte aureâ
68. diductâ adhortatione plurimis prælucet Chriſtianis. *Neque nos oportet*, inquit, *humana ſapere ac ſentire, ut quidam monent, cùm ſimus homines; neque mortalia cùm mortales: ſed nos ipſos, quoad fieri poteſt, à mortalitate vindicare, atque omnia facere, ut ei noſtri par-*
69. *ti, quæ in nobis optima eſt, convenienter vivamus.* Et quamvis ſimus homines, quà ſumus animalia capacia rationis; diviniore tamen illâ noſtri parte, quâ naturam ſuperamus univerſam, ſumus homines potiſſimùm. Quod quidem niſi ita eſſet, *non doceret Scriptura* (loquar cum Calvino ex Inſt. lib. 1. cap. 15. § 2.) *nos habitare domos luteas, & morte migrare ex tabernaculo carnis, exuere quod corruptibile eſt, ut tandem ultimo die reportemus mercedem,*
70. *prout ſe quiſque geſſerit in corpore.* Eam ergo partem noſtri imprimis noſmetipſos eſſe cenſet S.S. veritas, *in qua*, ut denuò Calvinus habet lib. 3. Inſt. cap. 25. § 6. *maximè refulget divinitas, & inſignes ſunt immortalitatis notæ. Scriptura corpus*, ut ibid. eſt, (cum omnibus facultatibus corporeis, vel à materia dependentibus,) *comparat tugurio, ex quo nos migrare dicit, cùm morimur: quia ab*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ea parte nos æſtimat, quæ nos à brutis animalibus diſcernit. Sic Petrus morti propinquus dicit tempus veniſſe, quo tabernaculum ſuum deponat. Paulus verò de fidelibus loquens, poſtquam dixit, ubi terreſtris domus noſtra diſſoluta fuerit, nobis eſſe ædificium in cælis; adjungit, nos peregrinari à Domino, quamdiu manemus in corpore, ſed expetere Dei præſentiam in abſentia corporis. Plura ſunt ibidem, quæ nos id primariò eſſe luculenter docent, quòd à corpore ſeparatur. Nempe ut paulò antè ex Fortunio Liceto diximus, *unumquodque eſt id, quod in eo ſummum eſt.* Haud longè hîc à vero 71.
ſcopo videtur aberrâſſe Plotinus, quando Ennead. 1. lib. 1. cap. 7. exponens quomodo cogitationes intelligentiæque in nobis proveniant, ſubjungit, *ubi maximè nos ſumus*; (in ipſis nempe cogitationibus & intelligentiis, non in ſenſibus eorumve ſimulachris; dicit autem *maximè* nos illic eſſe, non ergo abſolutè ac ſimpliciter:) *quæ verò ante hæc*, inquit, *noſtra ſunt*; *nos autem ſumus quod eſt deinceps animali deſuper præſidentes.* Ac vitandæ omnis con- 72.
tentionis cauſa, eleganter tandem addit: *Prohibebit tamen nihil totum hoc animal appellare: ſed quod inferius eſt dicere miſtum; quod reliquum eſt,* (ut miſto corpori, & quidem ſenſitivo, ὑποστατικῶς unitur,) *homo eſt verus.* Hæc Platonicorum eſt ſententia, longè certè alia, quàm eam vulgò fingunt. Ab hac, quà talis eſt, ne 73.
latum quidem unguem recedit Ariſtoteles, (quamvis aliâ quadam parte quodammodò diſſentiat,) quando loco antea citato, *videtur*, inquit, *unuſquiſque noſtrum hæc ipſa pars eſſe*, (ſc. quam appellaverat, *id quod in homine eſt optimum*, ac ſpeciatim *mentem*,) *ſiquidem eſt id, quod principatum obtinet, ac melius eſt*: Et paulò poſt: *Ergo homini*, inquit, *optima ea vita eſt, quæ menti convenienter traducitur: ſiquidem hæc pars homo eſt maximè.* Verè qui- 74.
dem *maximè*, cùm corpus noſtri pars dicenda ſit, non niſi ob communionem cum parte hac diviniore: quâ communione ceſſante pars noſtri corpus non eſt ampliùs, cùm ipſi tamen etiam, vel teſte ſacra paginâ, poſt unionis diſſolutionem, ſimus immortales. In quem ſenſum Socrates in Phædone Platonis, jamjam morti deſtinatus, cùm rogaret ex diſcipulis ejus Crito, quo modo ſe ipſum ſepeliri juberet? *Ut vobis*, inquit, *libet: ſi tamen me apprehendetis, ac niſi ego vos effugero.* Et ſimul ſubridens, *non perſuadebo*, inquit, *Critoni, me eſſe hunc Socratem, qui nunc diſputo, & ſingula*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

dicta diſpono; ſed opinatur me illud eſſe, quod paulò poſt videbit ca-
75. *daver.* Certè generoſa anima, quæ minimè ad ſeſe attinere judicat, quod ſibi ipſa in communionem nequeat aſſerere; quæ nihil præter ſemetipſam hominis agnoſcit, cujus non ipſa compos ſit. Sic tutò mortem immortales temnimus, ac ductile ſepulchrum ſuperſtites deponimus: quod dum geſtatur quoque noſtrum eſſe deſiit quodammodò, nimirum quà mortales redditi excidimus hac etiam imaginis divinæ parte; quod idem ſolâ ſpe futuræ immortalitatis nobis vendicamus, ac eâ ſolâ ratione ad eſſentiam noſtram abſolutam attinere credimus: ut adeò verè tota perſona-
76. litas humana in mente radicaliter ponenda videatur. Quid ergo mirum Ethnicos Philoſophos, qui ignorârunt corporum reſuſcitationem, corpus quaſi minùs dignam noſtri partem judicâſſe, utpote quod in continua mutatione eſt, tandemque eſſe deſinit, ex ſola immortalitate verum hominem metientes: ac ſi illud tantùm mereatur præferri cunctis iis quæ in orbe terrarum ſunt, quod ſemper idem eſt ac immutabile quoad ſubſtantiam, ob cujus uniformitatem eidem ſemper homini continuè accenſetur illa evanida materia, quæ ipſa nunquam eadem, ſed ſemper alia atque alia. Hoc fundamento equidem Plotinus Enn. 4. l. 7. cap. 1. *Si corpus pars eſt nobis* (abſolutè ac ſimpliciter) *non ſumus undique immortales: ſin autem noſtrum inſtrumentum, oportet ipſum ad tempus tributum nobis tale eſſe naturâ?* Nempe credidit non niſi in hac vita naturaliter ad noſtri conſtitutionem corpus attinere, qui vitam corporis futuram ignoravit: at ita tamen naturaliter, ut nihilominus hoc ipſo quoque ſtatu, illud quod eſt præſtitutum
77. corpori mutabili, reverà homo ſit per excellentiam. Sic verò Anaxarchus, haud in futura longiùs proſpiciens, ac præſenti ſolâ acquieſcens immortalitate animæ, cùm in mortarium ſaxeum conjectus, à Nicocreonte Cypri tyranno, ferreis piſtillis tunderetur, *tunde, tunde*, inquit, *Anaxarchi follem: Anaxarchum enim*
78. *minimè tundis.* Sic verò nobis quoque, habitâ mortalitatis noſtræ ratione, liceat cum Anaxarcho, ſed ex divina pagina, in hoc mortalitatis ſtatu, de ſola immortali parte noſtri gloriari; at verò, quod in nobis aliorum poteſtati eſt ſubjectum, quod nobis poteſt eripi, vel ullâ ratione violari, id quidem noſtrum, at nondum verè propriéque dum perpetuo in fluxu eſt, eſſentiale quiddam abſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

lutum noſtri judicare. Umbram certè corporis evanidam geſtamus in hac vita, & quantum equidem mortalitatis eſt adjectum animæ, tantundem eſt propemodùm huic parti digniori eſſentiæ noſtri detractum: In vita demum altera perfectum erit, quod hîc deficit, illic corpus immutabile induemus, ac undiquaque abſolutè immortales evademus. Huc pulchrè quadrat illud Julii Cæſ. Scaligeri, quod in vita ejus refert Neander in Syntagm. de Med. Laud. & Orig. nimirum, hunc caviſſe teſtamento, ne aliud monumento ſuo epitaphium incideretur, præter hæc verba: *Julii Cæſaris Scaligeri quod fuit.* Plura hic non addimus: Quæ autem fuerit inter Ariſtotelem ac Platonem de conſtitutione hominis diverſitas ſententiarum, expoſuimus Theatr. Nat. univ. part. 2. diſp. 7. à princip. uſque ad § 17. quare eam denuò hîc nolumus attingere.

DISSERT. VI. 79. 80.

COROLLARIUM.

Contra vinculum illud, quod inter materiam ac rationalem animam intercedere, ac materiæ diſpoſitionem addere, eidemque implicari diximus, quod nempe ſenſitiva anima conſuevit appellari, argumentum movetur à religione Chriſtiana intimaque Theologia petitum, cui ſanè omnem Sapientiam humanam ancillari fas eſt: Si, inquiunt, in homine ſenſitiva anima diverſa eſt ſubſtantia à rationali, ſenſitiva illa vel mortalis eſt, vel immortalis. Si mortalis ſtatuitur, neceſſe erit Deum in reſurrectione aliam creare animam: quæ adeò in reprobis torquebitur injuſtè, utpote nullius rea criminis: (quin imò, illud addi poteſt, non idem nobis corpus animale eo modo reſtitutum iri.) At ſi immortalis dicatur, & interim diverſa ſubſtantia à rationali, duæ unius ejuſdemque hominis erunt animæ immortales, & gloriæ vel pœnæ compotes, nullo inter ſe vinculo ſociatæ, quando anima eſt à corpore ſeparata. At nunquam vir pius moriens commendat Deo animas ſuas. Difficultas ſanè ſpecioſa: quæ non aliunde, quàm à diverſitatis, quæ inter materiales & immateriales formas intercedit, ignoratione orta eſt. Nihil enim certè continet hoc argumentum, quod non ſimili modo accommodari queat formæ carnis v. g. oſſis, &c. quin ipſis formis elemento- 81.

COROL. rum è quibus corpus conflatum eſt, æquè atque huic formæ animalis humani, ſeu ſenſitivæ animæ: niſi quis fortè partes corporis, ſpecie diſtinctas, præter omnem rationem neget formis ſubſtantialibus propriis diſtingui æquè ac corpora naturalia reliqua, credatque rationalem animam materiæ primæ protinus abſque ullius formæ interventu, quæ materiam diſponat, cohærere. Sed quid ergo carnem quid os conſtituit, quid partibus ſuum eſſe tribuit & à rebus aliis diſtinguit, quando anima à corpore ſeparata eſt. Sed de ipſo etiam corpore, ſi vel ſit materia prima, eadem procedet argumentatio. Hæc enim vel mortalis eſt vel immortalis: ſi mortalis, nova eſt à Deo producenda; ſi immortalis æquè ſupereſt poſt diſſolutionem ac ipſa rationalis anima, æquè atque illa compos gloriæ vel pœnæ. Sed ad rem ipſam pro-
3. piùs. Materiales formæ, ut è potentia materiæ educuntur, ita in potentiam materiæ recedunt: Et ſicut ęquè ac materia prima ſunt ſuperſtites, (nulla enim ſubſtantia naturali interitu in nihilum reſolvitur,) ita æquè ac materia prima per ſe non ſubſiſtunt, æque carent operatione ſenſuque omni atque intellectu, quare æquè etiam ac materia gaudio ac dolore deſtituuntur, dum rationali a-
4. nimæ nondum ſociatæ ſunt. Et quamvis ſubſtantia formalis quælibet, quæ ſubſiſtentiam non habet propriam, cùm formæ rationem exuit, in ſuæ ſpeciei unicam & individuam eſſentiam videatur remeare, veluti indiviſa corporis imago eſt, quæ non niſi propter ſpecula recipientia vel oculos multiplicatur, (qua de re egimus Theatr. Nat. univ. part. 1. diſp. 7.) novit tamen ille Deus, qui ex nihilo omnia produxit, qui ex lapidibus ſemen Abrahamo excitare valet, qui idem nobis corpus tot variis mutationibus affectum, ac per varia corpora diſtributum, reſtituet, & variè diſperſas diſſipataſque elementorum particulas recolliget extremo die, ille inquam Deus novit ſingulis corporibus ſuam ſenſitivam animam ex eſſentia in ſe indiviſa revocare, ac velut è communi lumine lumen ſingulis denuò proprium accendere,
5. Pleniùs hunc modum exponemus cùm quis carnis reſurrectionem humanâ ratione nobis expoſuerit. Interim hæc eſſe fidei tenemus, nec ad humanæ Sapientiæ menſuram debere revocari: ac perperam religioni Chriſtianæ conſuli cenſemus, quando ſumma hæc myſteria Theologiæ confunduntur cum Philoſophia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

phia. Hîc ſcimus, illic credimus:at illa credimus quæ nullâ ratio- COROL.
ne capimus, quæ intellectu non percipimus. Abſurdum verò planè eſt, negare velle id quod manifeſta dictat ratio, propterea quòd infinitæ ſapientiæ & omnipotentiæ divinæ abyſſum non
per omnia finitâ ratione noſtrâ capiamns. Quòd ſi quis inſtet a- 6.
criùs, & reproductionis ſenſitivæ animæ à nobis rationem urgeat: ab eo id viciſſim quoq; exigemus, quæ tandem ſit futura facultatum ratio earum, quæ ad rationalem animam credantur attinere. Quid de nutritiva ſentiemus, ubi nulla erit ampliùs abſumptio? Quid de viſu & auditu? ubi naturale nullum erit medium? Quid de odoratu? ubi nec aromata nec flores erunt, nec quod diffundat halitus, in rerum ſempiterna immutabilitate aliquod ſubjectum. Quid de guſtu? ubi nec edemus nec bibemus; ſed ſolâ contemplatione, & voluptate immutabili exſatiabimur. Quid de tactu? ubi nec calor nec frigus dominabitur, ſed ſempiternâ temperie futuri ſumus prorſum immutabiles. Quid dicemus de inceſſu? ubi quid calcare pedibus queamus eſt incertum.
Hîc profunditatem ſapientiæ divinæ admiremur; non ri- 7.
memur curioſiùs. Noſſe ſatis eſt per ſolam fidem, certa eſſe, quæ dictat ratio impoſſibilia. De conſtitutione certè noſtri futura Philoſophicè vix quicquam diſſeremus, ubi ipſamet objecta ignoramus noſtrarum facultatum? Ipſe qui ſublimoribus interfuit Apoſtolus, qui futuræ ſempiternitatis noſtræ crepuſcula luſtravit, haud aliter futura nobis potuit exprimere, quàm quòd nec oculus illa viderit, nec auris audiverit, nec ullus homo cogitatione comprehenderit. Præclarum modeſtiæ ac pietatis ex-
emplum hîc nobis exhibet in ſemetipſo celeberrimus Ortho- 8.
doxæ religionis Antiſtes, & Eccleſiæ Dei miniſter ac divini verbi Interpres, LUDOVICUS de DIEU, p. m. noſtri in vita ſua amantiſſimus, qui cùm in agone mortis locum Apoſtoli, qui eſt 1. ad Cor. 15. de *corpore animali* & *ſpirituali*, à filio prælegendum curaſſet, *eum ſibi nondum intellectum querebatur*; *at jam propè eſſe, quo ejus ſenſus ab ipſo Deo demonſtraretur*: ut in Oratione funebri Nobiliſſ. ac Reverend. D. D. Polyander refert. Uno verbo omnia expediemus: Fide id tenemùs cum Iobo ex cap. 19. v. 25. 26. 27. quia per rationem noſtram impoſſibile eſſe novimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERTATIO SEPTIMA

De ANIMÆ HUMANÆ FACULTATIBUS.

FAcultatum animæ humanæ permagna eſt diver-
ſitas, pro diverſitate partium, quas antehac in
anima ſpectavimus. Quæ enim à parte materiali
dependent, vegetativæ ſcilicet ac ſenſitivæ dictæ,
non ſecus atque ipſæ materiales animæ, materiæ
adſtrictæ ſunt, & ad certa organa reſpectum habent, ſine quibus
non modò nequeunt functiones ſuas exercere, ſed ne quidem
2. propriè facultates appellari. Quod enim quoad operari à materia
& organis corporeis dependet neceſſariò, id ſine iis non tam ope-
randi facultatem obtinere dici poteſt, quàm eâ penitus carere: Ac
velut anima abſque corpore organico reverà non eſt anima; ſic
ſine organo corporeo convenienter conformato ac diſpoſito, fa-
cultas ejus nulla eſt. Ut adeò facultates materiales non modò dici
nequeant ipſa materialis animæ ſubſtantia, ſed ne quidem abſo-
3. lutè qualitates, ab eſſentia ejuſdem promanantes. At animæ partis
immaterialis, quàm propriè rationalem animam, ſeu mentem,
appellamus, longè alia eſt ratio: Hæc enim, ut in operari proprio
à materia vel organis corporeis non pendet, ſed in ſemetipſa ope-
ratur, ſibique ſuæ operationis eſt principium, & actionis imma-
nentis proprium ſubjectum; ita quoque ſua eſt ipſius ipſamet fa-
4. cultas. Nec enim ratione ullâ licet aſſequi in ſimpliciſſima ſub-
ſtantia, independenter à ſecundis cauſis operante, ullum ope-
randi aliquod principium, ab ipſa ſimplici eſſentia diverſum:
quamvis pro diverſa operandi ratione diverſa ſortiatur nomina,
5. ac ratione à ſe ipſa diſtinguatur. Sed in facultatibus materialis ani-
mæ humanæ partis nihil eſt, quod non commune nobis ſit cum
brutis animantibus, præter ſenſitivæ animæ participatum à men-
te intellectum ac voluntatem: quæ quidem duæ facultates ſunt
in ipſa mente principaliter ac radicaliter. De hiſce ergo ſolis in
præſenti Diſſertatione quædam delibabimus: cæteris, quas vel
cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

cum plantis, vel cum ſenſitivis aliis corporibus communes obtinemus, ad propriam de Anima doctrinam rejectis. *Intellectum* autem duplicem in homine agnoſcit Ariſt. 3. de anim. cap. 4 & 5. *Agentem* & *Patientem*. Cujus quidem diſtinctionis ratio redditur ab ipſo Ariſt. ibid. cap. 5. text. 17. quòd in anima noſtra, præter id quod eſt inſtar tabulæ raſæ, aptumque fieri omnia intelligendo, & quaſi materiæ rationem obtinet, oporteat dari aliquid, quod ſit aptum facere omnia, & actu intelligibilia reddere, quodque formæ rationem obtineat: Veluti in universa naturæ operatione aliud quid eſt, quod inſtar materiæ ſe habet; aliud verò quod ſimilem rationem ſubit qualem ars ad materiam. Ex quo 7.
equidem diſtinctionis argumento apparet, non eſſe Ariſtoteli reipsâ unum eundemque intellectum, qui diversâ ratione vel agens vel patiens dicatur, ſed reverà & eſſentialiter diſtinctos. Nihil enim poteſt reſpectu ſui ipſius agere, & pati, cùm nihil poſſit à ſe ipſo moveri, ſed quicquid movetur ab alio moveri ſit neceſſe, ut fusè demonſtrat Ariſt. 7. & 8. phyſ. quod & de ipſa anima impoſſibile eſſe docet 1. de anima. Nec ſufficit diſtinctio per id 8.
quod dicitur ſecundùm rationem; quippe ſimili modo hæc eadem cuivis rei ſimplici accommodari poſſet, ut adeò ratione diversâ quidvis & agendi in ſeipſum & à ſemetipſo patiendi facultatem obtinere diceretur. Quod cùm abſurdum ſit, in intellectu ſanè idem abſurdiſſimum habendum eſt: qui cùm ſit abſolutè ſimplex, non poteſt eſſe ſimul perfectus & imperfectus, idque reſpectu ejuſdem intelligibilis, poteſtate ſimul & actu, fieri quidvis & per ſe eſſe, de poteſtate ad actum ſeipſum traducere, & ſimul actum obtinere. Quin & eſſentialem utriuſque intellectus diverſi- 9.
tatem luculenter innuunt conditiones utrique ab Ariſtotele tributæ, 3. de anim. c. 5. text. 20. ubi agens ſeparabilis, immortalis, ac perpetuus vocatur; patiens verò corruptibilis. Eſſentialiter igitur diſtinctas eſſe ex jam dictis conſtat; ſimulque ratio neceſſitatis eſt expoſita agentis alicujus intellectus: Quid verò ſit reverà uterque hic qui ſic ab altero diſtinctus conſtituitur, haud æquè planum eſt. Sunt qui putant Ariſtotelem per intellectum patien- 10.
tem intelligere ipſam mentem ſingulis hominibus propriam, quàm rationalem animam vocamus; per intellectum verò agentem, vel Deum ipſum, vel alium Dæmonem aut Intelligen-

DISS. VII. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISS. VII. tiam hominibus aſſiſtentem, ac communem cunctis. Sed hæc ſententia & ab Ariſtotele, & ab ipſa veritate aliena eſt. Quod enim attinet Intelligentias, eos equidem corporibus præſtitutas nullas Ariſtoteles agnoſcit præterquam quæ corporibus cæleſtibus aſiſtunt, ut ex 12. Metaph. liquet. Abſurdum verò eſt Intelligentiam humanam illic inter cæleſtes ab Ariſtotele conſtitui, ut inter orbes cæleſtes etiam connumeranda ſit ſphæra hu-
11. mana. At Deum verò alium non agnovit Ariſtoteles præter Intelligentiam primam, quæ eadem aſiſtat primo mobili, eique motum tribuat & intellectum. Ac de intellectu ſanè hominis Ariſtoteli eſt ſermo, cùm agentem intellectum tradit, quem ideo *differentiam in anima* appellat. 3. de anim. text. 17. ac ſeparabi-
12. lem animæ partem 2. de an. text. 11. 21. Abſurdum verò hoc imprimis eſt, hominem per ſe quidem eſſe intellectu præditum; at intellectionem, ut ab agente proficiſcitur, non eſſe in propria ejus proteſtate ſitam: ſed ita vel à Deo, vel à quacunque Intelligentia, quę non ipſa ſit de eſſentia hominis, dependere, velut motus rotæ eſt ab eo qui circumagit, cùm interim in rota nihil præter aptitudinem inſit, ad motum admittendum & paſſivè i-
13. mitandum. Ut ergo ipſi planè exponamus Ariſtotelis ſententiam, optimèo ſentientem veritati: Per agentem quidem intellectum facultatem mentis humanæ propriam ac nativam innuit, ſeu rationem ejus radicalem & originalem, quæ eſt ipſa rationalis animæ eſſentia: Hic ergo actu primo ſemper eſt, rectèque ab Ariſtotele arti vel naturæ, vel habitui comparatur, qui ſecundum actum propriâ virtute promit. At patiens ſeu poſsibilis intelle-
14. ctus, qui vocatur, rationalis quædam eſt facultas ſeu potentia ſenſitivæ animæ, ex communione ejus cum mente orta, & ad modum recipientis impreſſa, quâ ipſa quoque apta eſt in habitum deduci ab agente intellectu, dum interim circa phantaſmata occupata eſt. Hanc *Cogitativam* commodè nonnulli nominant, & veluti ſupremum Phantaſiæ vel animæ ſentientis gra-
15. dum. De intellectus verò hujus utriuſque diſtinctione, & de natura agentis, parcè quidem breviterque, indeque ſat obſcurè, agit Ariſt. in lib. de anima: idque eâ cauſâ jure meritóque, quòd de ſubſtantiis à materia ſeparatis agere Philoſophiæ naturalis munus non ſit, ſed ad ſcientiam pertineat ſublimiorem, ut ipſe-

met

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tinet teſtatur de humana mente, quam naturam eſſe negat, 1. de part, anim. c. 1. Hinc, quod antehac notavimus, ne ſub ipſa quidem animæ definitione humanam mentem eſt complexus. At interea tamen, ne de hominis anima res planè dubia & ſuſpenſa relinqueretur, ubi de anima in genere, quantum quidem naturalis exigit Philoſophia, diſſerit, paucis negotium, quod eſt de mente hominis, ſeu agente intellectu, attingit, ac pro inſtituti ratione explicat. DISS. VII. 16.

17. Prædictam verò utriuſque intellectus in homine diſtinctionem menti Ariſtotelis congruere liquidò patet ex lib. 1. Eth. ad Nicomach. cap. ult. ubi hominem univerſum informaturus ad virtutem, *Rationi*, inquit, (nativæ ſcilicet ac radicali, hoc eſt, facultati mentis propriæ, quem agentem ſeu imperantem intellectum indigitat,) *quodammodò parere* τὸ ἄλογον *partem animæ rationis expertem*, (quam ſenſitivam animam appellant,) *cùm præceptio & monitio, tum omnis reprehenſio atque exhoratio indicat: Si verò fatendum ſit etiam hanc ipſam ratione eſſe præditam, duplex erit id quod rationem habet: alterum principaliter & in ſe ipſo; alterum velut aliquid quod parentis dicto audiens eſt. Atque ſecundùm hanc differentiam*, (ita quoque 3. de anim. c. 5. t. 17. ἐν τῇ ψυχῇ διαφορὰς *differentias in anima* appellat,) *virtutis quoque diſtinctio naſcitur: alias enim virtutes* διανοητικὰς, *in ratiocinatione poſitas, alias* ἠθικὰς, *ad mores attinentes, appellamus*.

18. Atque ita quidem intellectui utrique tum agenti tum patienti acceptis, optimè conditiones ab Ariſt. tributæ conveniunt. Quippe rationalis illa potentia ſenſitivæ animæ, ſeu intellectus patiens, corporea quidem non eſt, nec corpori permixta, 3. de anim. cap. 4. text. 6. quippe eſt veluti communicata & quaſi in ſpeculo repræſentata mentis imago: quæ ideo nec ipſa in operationibus ſuis organo ullo utitur. ibid. quamvis circa phantaſmata veluti objectum ſuæ operationis verſetur, ac ſine phantaſmate nihil intelligat. cap. 8. text. 39.

19. At reverà tamen intellectus ille patiens immortalis ac perpetuus non eſt, ſed exſtinguitur, cap. 5. text. 20. cùm nempe agens intellectus à corpore ſeparatur, ac ipſa ſenſitiva in potentiam materiæ recidit. Hæc ſanè ſenſitivæ animæ facultas per ſe nihil intelligit; ſed eſt veluti tabula raſa, ſeu libellus cui nihil inſcriptus, at inſcribi quidvis poteſt cap. 4. text. 14.

20. Quà enim ſenſitiva eſt, percipit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISS. VII. quidem v. g. aquam, ignem, carnem, magnitudinem, & ſimilia, horumque phantaſmata format: at cùm aliud ſit caro, aliud carnis eſſe, aliud magnitudo, aliud magnitudinis eſſe, & ſimiliter de aliis quàm plurimis; aliâ certè parte ſui, vel ſe ipsâ quidem, at aliter ſe habente, (ſc. non quà ſenſitiva eſt, ſed quà cogitativa, ſeu quà rationis particeps, ac à mente vera illuſtrata,) eſſentiam à rebus

21. ipſis, quæ in ſenſus incidunt, diſcernit. t. 9. 10. 11. Sic ergo variarum rerum ſpecies intelligibiles beneficio agentis intellectus abſtrahens à phantaſmatibus, fit paulatim unumquodque, habitumque acquirit, & in actum primum deducitur: velut is qui dicitur actu ſciens, quod quidem tum accidit, cùm ipſe per ſe ipſum operari poteſt; at interim tunc quoque potentiâ quodammodò eſſe dicitur, ſc. reſpectu actus ſecundi, nec enim perinde atque e-

22. rat antea quàm didiciſſet atque inveniſſet. text. 8. Atque ita tandem intellectus patiens imbutus ſpeciebus intelligibilibus, *intellectus ſecundùm habitum* appellari poteſt, qui quidem habitus in ſenſitiva anima ſeu facultate ejus Cogitativa inſit: quemque adeò à mente ipſa, ſeu eſſentiali intellectu, diſcernit etiam Plotin. Enn. 1. lib. 1. cap. 8. ubi quærens, *quomodo nos habeamus ad intellectum*, ſeu mentem ipſam ſeparabilem? *Intellectum dico*, ſubjungit, *non habitum quendam, quem ab intellectu habeat anima, ſed intellectum*

23. *ipſum*. Verè autem ab intellectu (agente,) habet anima (ſenſitiva) hunc habitum, quippe à quo habet ipſam rationem, ſeu dijudicandi ſpeciesque intelligibiles formandi facultatem, Hinc velut patiens intellectus talis, ut fiat omnia; ita agens talis eſt, ut omnia efficiat: qui ideò habitui cuidam eſſentiali ac lumini comparatur, ab Ariſt. 3. de anim. cap. 5. text. 18. nam & lumen, inquit,

24. colores qui ſunt potentiâ, actu colores quodammodò facit. Atque ita Diſſert. præced. ex Plotino etiam ſeu Platonicis Philoſophis, rationalem animam cum ſenſitivo corpore conſociari diximus, veluti cum aëre lumen. Velut autem lumen, quo illuſtratur aër, in ſingulis aëris particulis eſt participata quædam imago primævæ lucis ac nativæ in Sole exiſtentis; ita certè in ſingulis hominibus mens propriè dicta, ſeu intellectus agens, eſt imago primævi intellectus, nempe ſummi Dei, qui nunquam ab intelligendi operatione ceſſat, à quo intelligentiam mutuantur ipſi

25. etiam Angeli. Ut verè eâ ratione Deus ipſe communis quidam omnium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

omnium intellectus dici queat, à quo mentes hominum particulares dependent, ſecundùm fieri & eſſe, ſecundùm conſervari atque intelligere: non ſecus, ſi neceſſitatem dependentiæ ſpectemus, ac à Sole lumen; cùm interim hoc intercedat differentiæ, quòd ſingulæ mentes hominum ſubſtantiæ à Deo conſtitutæ ſunt, quæ propriam quandam in ſe habent ſubſiſtendi rationem, ſecus atque lumen quod diffunditur à Sole.
Sic ergo verè animarum rationalium ac Spirituum Pater ipſe 26.
Deus eſt, qui ita fermè præſidet humanæ menti; veluti hæc ipſa, quatenus abſtracta eſt, hoc eſt, ſecundùm intellectum, humano animali præſtituta eſt. Ut adeò hoc ſenſu non prorſum nugetur Alexander, quod in eum pronunciat Scaliger Exerc. 307. ſ. 19. quando in libro de Intellectu Deum Opt. Max. intellectum omnibus communem conſtituit: Et, quod ibidem dicit Scaliger, potuiſſe Deum, cùm intellectum fabricaret, eidem quantum ſatis eſt inſinuare lucis, ut adeò non cogatur aſſiſtere præſens miniſterio, tanquam præfectus quidam prætorio: id equidem perinde eſt, ac ſi quis Solis præſentiam ſuperfluam aſſereret ex eo quòd in ſeſe aër ſit illuminatus: lumenque proprium obtineat, à nativa luce Solis diverſum. At interim in eo peſſimè hallucinatur 27.
Alexander quod intellectum illum, quem extrinſecus advenire profitetur Ariſtoteles, credat eſſe ipſum Deum, nec proprium ſingulis hominibus intellectum decernat præterquam mortalem, hoc eſt, quem patientem Ariſtoteles appellat. In qua ſententia meritò Alexander à Themiſtio reprehenditur: qui tamen ipſe haud magis ſanam prodidit opinionem. Quippe, referente Eu- 28.
gub. lib. 9. de peren. phil. cap. 31. cùm agentem intellectum quidem immortalem ſtatuat Themiſtius, eumque Deum eſſe neget: quærit tamen, utrúmne ſit unus an plures? Videri autem unum, inquit, ſecundùm Ariſtotelem, quia lumini eum comparavit: unum namque eſſe lumen Univerſi; imò verò & fontem luminis à quo omnes animalium oculi deducantur ex poteſtate ad actum. Et quemadmodum nihil facit ad unumquodque animalium luminis incorruptibilitas, ita non prodeſſe nobis intellectus agentis æternitatem. Hanc Themiſtii perverſam ſententiam pluribus 29.
exponit cit. loc. Eugub. eamque feriò refellit. Quo autem modo procedat comparatio cum lumine ab Ariſtotele inſtituta, ex antè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISS. VII. dictis conſtat, ac pleniùs ex ſequentibus patebit. In eum autem errorem lapſus eſt Themiſtius ex eo, quò crediderit, immateriales ſubſtantias quaſvis, niſi ſpecie vel eſſentia diſtinguantur, neceſſariò numero convenire: Nam in his, inquit, quæ ſunt eadem ſpecie, diviſiones eſſe per materiam. Cùm ergo intellectus agentes immateriales ſint, neceſſe eſt omnes unam eandemque eſſe ſubſtantiam. Si enim non eandem ſed diverſam, quæ erit ſeparatio?

30. Sat ardua ſanè difficultas iis, qui mentem noſtram, quæ eſt intellectus agens, propriâ carere ſubſiſtentiâ contendunt. Quod ſanè ſi pro vero ſit habendum, nullam prorſum rationem capio, quâ ſit ſubſtantiarum aliqua diſtinctio: At nunc ſubſtantiæ modo proprio, ſeu ſingulari propriâque ſubſiſtentiâ, ab invicem diſtinctas eſſe noſtras mentes, non ambigimus: adeóque eâ ratione eſſentiarum verè eſſe aliquod diſcrimen; licet non ſit aliquod eſ-

31. ſentiale. Pulcherrimè autem Plato Dial. 6. de Republ. prope finem, inter viſum & intellectum comparationem inſtituit. Quippe cùm reliqui ſenſus præter objectum nullo indigeant alio quo ſentiant; viſus tertio quodam veluti præſidio opus habet, nempe lumine, ſine quo color viſu non percipitur. Sol ergo lumine illuſtrans oculos, ipſoſque colores actu viſibiles reddens, princeps aliqua cauſa ſenſui viſus præſtituta eſt, quæ efficit, ut viſus noſter optimè cernat, ac ea quæ ſub viſum cadere poſſunt videantur. Sic ergo Plato primùm tria hæc, Solem ipſum, ſive ejus lucem, lumen quod à ſole eſt diffuſum, ipſamque viſus facultatem, com-

32. modè diſcernit. Ac porrò, Soli ſeu ejuſdem luci ipſum Bonum comparat, qui eſt Deus Opt. Max. hac ratione: ut, quemadmodum in rebus viſibilibus ſe habet Sol ad ipſum viſum, & ea quæ videntur; ita Bonum in intelligibilibus ſe habet ad intellectum (νοῦν) & ea quæ intelliguntur. Veluti ergo oculi in quibus viſus ineſt, niſi convertantur ad ea, quæ lumine Solis illuſtrata ſunt, non vident, perinde ac ſi viſu eſſent deſtituti; at ſi ad ea convertantur, quæ lumine ſolari colluſtrantur, rectè ſuo munere funguntur: ſimiliter de anima (ψυχὴν vocat, nempe ἀπὸ τοῦ νοὸς diſtinctam,) fas erit cogitare: (ac tria quoq; hæc, intellectũ ipſum, intellectualem facultatem luminis inſtar animę communicatã, ipſamq; animam,

33. ab invicem diſtinguere.) Anima enim, quando illi firmiter inhæret, in quo veritas & ipſum ens emicat, (h.e. intellectui agenti ſe

accom-

accommodat, & ab eadem in actum excitata attendit ad ea quæ illius lumine illuſtrata ſunt,) intelligit illud ac cognoſcit, (ſeu ſpeciem intelligibilem, & quaſi intellectus agentis expreſſam imaginem ſuſcipit) ipſaque intellectum habere videtur: Sed, cùm ad id fertur, quod tenebris eſt permixtum, quod videlicet generatur ac corrumpitur, (hoc eſt, cùm ſolis ſenſibus indulget, nullo admiſſo ab intellectu lumine,) ejus obtunditur acies, opinioneſque verſat varias, & intellectus expers eſſe videtur. Illud igitur, inquit, quod 34. veritatem iis quæ cognoſcuntur præbet, (ſeu quaſi lumen affundit rebus intelligibilibus,) & cognoſcenti vim tribuit ad cognoſcendum, (hoc eſt, ſenſitivam animam rationis participem reddit,) Boni ideam eſſe dicito, (hoc eſt, ipſius Dei imaginem:) Et quod mox ſubjungit, *lumen ac viſum ſpeciem quidem aliquam habere Solis*, ſeu lucis in Sole radicatæ, *at minimè eſſe ipſum Solem*; id rectè per analogiam ex eodem applicamus in hunc modum: ſcilicet agentem intellectum, (qui aſſimilatur lumini,) ac patientem, (qui à mente dependens in ſenſitiva anima perinde eſt, ac in oculo viſus dependens à ſenſitiva,) ſeu, ut ille exprimit per proprias affectiones, ἀλήθειαν & ἐπιστήμην *veritatem & cognitionem*, *Boni ipſius ſpeciem habere quidem aliquam*, (hoc eſt, imaginem Dei geſtare,) *ipſum verò bonum eſſe minimè*. Sic ergo Deus ſummus 35. rectè quodammodò communis omnium intellectus appellatur, à quo tamen reipsâ proprius ſingulorum hominum intellectus eſt diſtinguendus. Quod non ſatis commodè verbis exprimens Plotinus Ennead. 1. libr. 1. cap. 8. fortè dubitationi alicui locum dare potuit. Quippe, inſtitutâ diſquiſitione, *an communem aut proprium habeamus intellectum? fortè & communem omnium*, inquit, *atque proprium: Communem quidem, quoniam impartibilis & unus & ubique idem; proprium verò, quoniam unuſquiſque eum in anima prima totum habet.* Quæ ſanè verba parùm 36. abludere videntur à peſſimo eorum errore, qui ita mentes noſtras proprias ex divina mente, ceu communi omnium, decerptas ſtatuiſſe feruntur, ut ſint quaſi radii à Deo diffuſi, qui propriam extra Deum ſubſiſtentiam non habeant; ſed ad Deum in ſubſtantiam illius revertantur: quam quidem opinionem A- 37. verroï aſcribit Eugub. libr. 9. de per. philoſ. cap. 30. in fin. A quo Themiſtius non niſi ea parte diſſidet, quòd communem

illam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISSERT. VI. illam mentem hominum à divina mente diſtinguat ; adeóque Dæmonem quendam ſeu Intelligentiam à Deo diverſam faciat: Alexander verò, qui particulares intellectus non agnoſcit, præter eos quos mortales ſtatuit, h. e. qui ſunt in ſenſitiva anima, ſeu intellectus patientes, is inquam hac parte inſuper diſſentit, quòd ſecus ac Themiſtius & Averroës communem illum intellectum ſimpliciter hominis formam informantem ſtatuat, non aſſiſtentem interim. At meritò Marſilius Ficinus comm. in dict. loc. duriora verba Plotini mitigare ſtudet, & obſcurioribus quodammodò affundit lucem: quamvis ne ſic quidem, ſi rigidiùs cenſere quidvis lubeat, verba rebus æquet. Deus, inquit, *quodammodò ipſius intellectus eſt forma, ſemperque deinceps gradus inferior ſub actu ſuperioris gradus quaſi formæ conſiſtit & agit. Proinde intellectus ipſe divinus tum communis dicitur, quantum ipſe individuus, totuſque eſt ubique; tum proprius, quantum à ſingulis animabus ſingulis quoque propriiſque modis accipitur.* &c. *Intellectum verò, qui jam eſt forma quadam in anima, non ſolùm præſidens, ſed & inſita,* nimirum hominem informans, ac illi eſſe tribuens,) *nemo dixerit eſſe communem*, &c. *Unum commune Solis lumen ubique præſens intellectum præfert divinum animarum intellectuumque patrem: Lux tamen ipſa Solis, in ipſo Sole conſiſtens, ipſum Bonum mentis patrem nobis oſtendit.* Rectiùs, pro ſententia Plotini ac Platonis declaranda, Lux quidem Solis Bonum ipſum ejuſve intellectum repræſentat ; commune verò Univerſi lumen, à Sole diffuſum, communem omnium intellectuum eſſentialem rationem, ac veluti Ideam: quod tandem ut ſingulis pellucidi particulis communicatur proprium, ſic propriis in ſingulis hominibus aſſimilatur intellectibus, lumine ipſo longè nobiliorem exiſtendi rationem obtinentes, (quippe propriam habentes ſubſiſtentiam,) velut ipſa quoque mens divina nobiliorem exiſtendi rationem habet quàm Lux Solis, cùm illa per ſeipſam ſit ὑπόστασις. Sic verò rectè Marſilius Ficinus porrò: *Intellectus igitur animabus ingeniti, etſi non unus ſunt intellectus, ſunt tamen unum ſecundùm eſſe intellectuale, redditum actu intelligens, ab uno mentis illius lumine: in quo velut in communi forma objectoque ſunt unum; quamvis etiam ſint pro animarum multitudine multi. Hanc,* inquit, *Platonis & Plotini ſententiam Themiſtius Ariſtoteli & Theophraſto accommodare*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

dare videtur; & Avicenna, Algazeleſque ſequuntur. Sed de ſen- DISS. VII.
tentia Platonis & Ariſtotelis ſat clare conſtat ex jam antè dictis: 41.
quibus certè metuo ut Themiſtius ſat commodè queat concilia-
ri: Plotinus autem niſi hîc ſententiam, quam ex Platone antea ex-
poſuimus, ſequatur, haud ſibi ſatis conſtat alibi: Ac illud equi-
dem ex eodem certo certius colligitur, loco antea cit. præter
communem omnium intellectum, quem vocat, (quem in idea
diximus concipere,) & proprium quorumvis hominum, agno-
viſſe Deum ab utroque diverſum. De iis enim cùm dixiſſet, quæ-
rit inſuper? *At Deum quomodo habemus?* Reſp. autem: *Fortè tan-
quam intelligibili natura, veraque eſſentia* (hoc eſt, menti nobis
propriæ,) *incubantem.* Quibus ſatis innuit, Deum ipſum omnium 42.
ac ſingulorum proprio intellectui præſidere, à quo ut eſſe no-
ſtrum, ita quoque intelligere dependet: Agentem verò intelle-
ctum, ſeu qui eſſentiam humanam tribuit, ac poſſibilem in ſenſi-
tiva anima producit, eſſe à communi illo propriâ naturâ atque
ſubſiſtentiâ diverſum. Ex iis autem, quæ à nobis hactenus expo- 43.
ſita, liquet officium agentis intellectus in homine eſſe, 1°. Senſi-
tivam animam actuare ac perficere, veréque poſsibilem intelle-
ctum illi indere, ſeu potentiam agendi proximam actumque pri-
mum illi communicare, veluti à lumine viſus actuatur, & in agen-
di potentiam proximam deducitur. 2°. Speciebus rerum ſenſibi- 44.
lium in animam admiſsis, nempe phantaſmatibus, intellectuale
quaſi lumen aliquod affundere, quo actu intelligibiles reddan-
tur, hoc eſt, quo eſſentiæ rerum à rebus ipſis, prout in phantaſ-
matibus repræſentantur, in intelligendi actum evocentur; velut
lumine colores ſeu colorum ſpecies à rebus coloratis evocantur
in actum videndi: adeóque quod in phantaſmate ob materialita-
tem, quam etiamnum habet qualemcunque, intelligibile erat po-
tentiâ, hoc intellectus agens à materia purificat, & quaſi è tene-
bris educit; ſuoque lumine intellectuali ita illuſtrat, ut actu in-
telligibile reddatur. Atque ita dicitur intellectivum ipſas formas
in phantaſmatibus ipſis intelligere, 3. de anim. c. 7. t. 32. veluti vi-
ſivum ipſas ſpecies in coloribus cernit. Conſtat autem duplicem 45.
ineſſe nobis intelligendi modum: Vel enim I°. per ſenſus rerum
ſimulachra in Phantaſiam admittimus, unde phantaſmata for-
mantur, quæ ipſa intellectus patientis per agentẽ actuati, ſeu Co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISS. VII. gitativæ, objectum evadunt, & per ſpecies intelligibiles ab intellectu apprehenduntur; non ſecus atq; à ſenſu per ſpecies ſenſibiles
46. objecta externa. Hinc veluti ſenſus non patitur propriè, quà ſentit, ſed perficitur, & quaſi formę ſuſceptivus evadit; ita pars illa animæ, quę phantaſmata cognoſcit, paſsione propriâ vacat, ſed ab in-
47. telligibili perficitur, & ad habitum informatur. Et, veluti ſenſus ex ſe ſpecies ſenſibiles non habet, ſed tantùm in potentia eſt ad eas recipiendas; ita intellectus ex ſe ſpecies intelligibiles non obtinet, ſed eſt ad eas admittendas in potentia: ut haſce comparationes inſtituit Ariſt. 3. de anim. c. 4. in initio. Hoc tamen inter ſenſum & intellectum intercedit differentiæ, quòd cùm ab organo corporeo ſenſus dependeat, utut per ſe non lædatur, vel patiatur, læſo tamen ab excellentia rei viſibilis organo, ipſe quoque malè habeat; at intellectus, cùm per ſe organo careat, in phantaſmatum contemplatione occupatus, à vehementia rei intelligibilis non læditur, ſed magis perficitur, & ad cognoſcendum aptior
48. redditur. ibid. Quatenus tamen in intenta intellectus operatione, phantaſiam quoque, quæ corporea eſt, & ab organo pendet, intendi neceſſe eſt, hac quidem ob fatiſcens organum impeditâ, per accidens hebetari intellectum eſt neceſſe. Quin & phantaſiæ ſeu æſtimativæ organo malè affecto, per accidens intellectum patientem turbari ac vitiari contingit: Unde illud Hippocratis: ſect. 2. aph. 6. *Quicunque aliquâ corporis parte dolentes, do-*
49. *lorem fere non ſentiunt, iis mens (γνώμη cogitatio) ægrotat.* Equidem, cùm intellectus agens, ſeu mens vera hominis, intellectum communicet ſenſitivæ animæ pro modo recipientis, hæc verò materialis ſit, & ab organis corporeis pendeat, fieri aliter non poteſt, quin vitiato organo lædatur quoque ipſe intellectus patiens,
50. ſeu diſtorqueatur veræ mentis imago. Et quamvis mens vera hominis, ſeu ipſa rationalis anima, quoad eſſentiam propriam ejuſdem dignitatis ſit in omnibus hominibus, adeóque intellectus agens naturaliter æquè in omnibus illuſtris exiſtat; (ut falſum ſit quod ſtatuit Marſ. Ficin. comm. in Plot. Ennead. 4. lib. 8. cap. 2. eſſe inter animas hominum, ſcilicet rationales, differentias quaſdam quodammodò ſpeciales, ſicut in ſtellis, quæ videntur aſpectu conſimiles; differreque inter ſe animas noſtras non ſicut pyrum à pomo perſico, ſed ſicut pyrum à pyro;) eſt tamen ma-

gna

gna diverſitas in intellectu patiente, non prout ab agente dependet, ſed prout in ſenſitivam animam recipitur: velut idem Solis lumen aliter purum aërem, aliter nebuloſum illuſtrat. Hîc verò patiens intellectns nobis convenit, quà homines ſumus ad genus animalium pertinentes; adeóque quà mortales exiſtimus: Et, cùm in hoc intellectu cognitio noſtra per ſenſus externos conquiſita inſit, ſeparato quidem à corpore intellectu agente, ſeu animâ per ſe rationali, ceſſat rerum corporearum cognitio, velut ipſe intellectus patiens exſtinguitur: nec reminiſcimur poſt mortem eorum quæ in corpore per organa corporea cognoveramus, cùm & ipſa illa reminiſcentia ad partem organicam pertineat, ſeu ad memoriam in ſenſitiva anima per mentem illuſtrata exiſtentem, quæ unà cum patiente intellectu per mortem interit. Quod & ipſe notat Ariſtot. 3. de anim. cap. 5. text. 20. Ut adeò verè fruſtra ſit Sanctorum demortuorum invocatio, propriéque loquatur Scriptura S. inquiens, *Abraham neſcit nos, Iſraël non agnoſcit nos*. Eſa. 63. At reminiſcimur tamen eorum quæ in corpore abſque organis corporeis didiceramus, ſcilicet rerum incorporearum & à materia non dependentium: quippe mens ipſa vera hominis in ſemetipſa memoriam intellectualem ſervat. Etenim alia II°. in nobis intelligendi ratio ineſt, quâ nos ipſos à ſenſibus adducimus, & ad ſuperiora convertimus, ac per mentem ipſam veram propriamque, ſeu agentem intellectum, Deum ipſum divinaque contemplamur, ac immortalium rerum veritatem agnoſcimus. Hic intellectus ne per mortem quidem aboletur: hic verè initium eſt futuræ æternæque beatitudinis. Per hunc intellectum *oportet nos ipſos, quoad fieri poteſt, à mortalitate vindicare, atque omnia facere, ut ei parti noſtri, quæ in nobis eſt optima, convenienter vivamus.* ut Ariſt. monet 10. Eth. ad Nicom. cap. 7. In hoc ipſo intellectu vera noſtra *vita* conſiſtit, *melior quàm hominis* animalis *natura ferat. Non enim quà homines*, animales ac mortales, *ita vivimus; ſed quà divinum quiddam in nobis ineſt*. ibid. Ex dictis quoque manifeſtum eſt, ad patientem intellectum, ſeu potiùs ad hominem quà animalis naturæ eſt, intellectu agente illuſtratus, pertinere id quod habet Ariſt. 3. de anim. cap. 8. t. 39. *Intelligentem oportere ſpeculari phantaſmata:* &, quod dici ſolet, *Nihil eſſe in intellectu, quod non fuerit*

DISS. VII.

51.

52.

53.

54.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

DISS. VII.

55. *prius in ſenſu.* Neque hoc diſſimulavit ipſe Ariſtoteles, qui cit. libr. cap. 7. de intelligendi modo agens, poſtquam expoſuiſſet, quomodo intellectus, cùm immaterialis ſit, phantaſmata ſeu alia materialia, quæ nullam proportionem cum ipſo habent, intelligat? nempe per abſtractionem à materia: (quæ tribus modis fit, ut alibi expoſuimus:) dubitat tandem in fine cap. An intellectus, dum eſt in corpore, res per ſe ſeparatas, & abſolutè immateriales aſſequi valeat, ne ne? Quod ſe alibi conſideraturum pollicetur. Quippe ad Philoſophiam naturalem, ſeu ad doctrinam de anima, quæ quidem natura ſit, id non pertinere alibi monuerat. At promiſſioni tamen, vel morte præventus, non ſatisfecit; vel ſi id factum ad nos contemplatio illa injuriâ temporum

56. non pervenit. Duas autem patientis intellectus operationes tradit Ariſt 3. de anim. cap. 6. Simplicium apprehenſionem, quâ res ſolitariæ cognoſcuntur; & compoſitionem ſeu diviſionem, quâ res ſibi invicem junguntur, aut ab invicem disjungurur, hoc eſt, de ſe affirmantur, aut negantur. Ab hac ſecunda operatione dependet Ratiocinatio, quam tertiam adjiciunt Interpretes; at quæ Ariſtoteli ex compoſitione & diviſione facilè colligitur, vel ſuâ ſponte ex priori, in anima per mentem illuſtrata, reſultat.

57. In priori autem operatione reperitur quidem verum, hoc eſt, entis ſimplicis cum intellectu apprehendente conformitas; ac falſum in ea nullum eſt: quippe, quod in eadem falſum apparet, ad ens ipſum non ſpectat; ſed in ipſo intellectu eſt hallucinatio:

58. de qua re videre licet 9. Metaph. cap. 12. In ſecunda autem operatione verum & falſum locum habet: verum quidem, quatenus inter intellectum & rem intellectam, prout extra reperitur, eſt conformitas: falſum verò duobus modis: vel quòd conjungantur quæ dividenda ſunt, aut dividantur quæ ſunt conjungenda; vel ex tempore haud bene rebus coaptato, veluti cùm id quod præſens eſt quaſi præteritum aut futurum exprimitur, & viciſſim.

59. Quamvis autem patiens intellectus tum in acquiſitione ſpecierum intelligibilium, tum in uſu earundem, quoad operationem à ſenſu & phantaſmate dependeat, (quæ cauſa eſt potiſſima quòd non continuè intelligat;) magna tamen inter operationem hujus in-

60. tellectus atque phantaſiæ eſt diverſitas: Nam 1°. In ſecunda intellectus operatione propriè veritas vel falſitas ſpectatur; in ope-

ratione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ratione phantaſię non item. 2°. Simplex intellectus notio ſeu conceptus eſt ſimilitudo rei univerſalis; at phantaſma rei ſingularis. 3. de anim. cap. 8. t. 39. Atque hinc eſt id, quod dici ſolet, *ſingularia ſub ſcientiam non cadere.* Singularia ergo intellectus per ſe 61.
non intelligit: quatenus tamen phantaſia eſt ſubordinata intellectui, & actio inferioris facultatis rectè etiam ob principatum attribuitur ſuperiori; ita quoque iutellectus ſingularia percipere pronunciatur, ſcilicet per ſenſum miniſtrantem. Cùm verò intel- 62.
lectio abſtractione fiat differentiarum à naturis, in prima equidem ſcientiæ acquiſitione ex univerſalibus ea prlùs cognoſcuntur ab intellectu, quæ ſingularibus viciniora ſunt; (hîc enim pauciores differentiæ ſunt abſtrahendæ;) quæ remotiora ſunt poſteriùs. Sic verò, ut expoſitum, ſenſui in anima præſtituto in- 63.
tellectu, eodemque è potentia in actum exurgente, rectè anima quodammodò omnia fieri dicitur. cit. loc. text. 37. Cùm enim omnia quæ ſunt vel ſenſibilia ſunt, vel intelligibilia, ſenſus quidem animæ fit omnia ſenſibilia quodammodò, dum è potentia in actum excitatur, ac ſpecies ſeu formas rerum ſenſibilium admittit; intellectus autem in eadem anima exiſtens dum admittit ſpecies ſpecierum, quodammodò intelligibilia ipſa evadit. Nec 64.
tantùm ea quæ ſunt extra cognoſcit intellectus per abſtractionem; ſed & ſeipſum per reflexionem: hoc eſt, quatenus ex objecto actiones ſuas, & ex actionibus ſeipſum contemplatur & agnoſcit. Velut autem ſenſus, dum objectum ſuum apprehen- 65.
dit, & à rebus aliis diſtinguit, (colorem ſcilicet agnoſcit ſub coloris notione, ſaporemque ab odore diſcernit, &c,) quodammodò affirmare aut negare videtur; ita intellectus ſuum objectum apprehendens, & convenientiam aut diſconvenientiam rerum ad invicem percipiens, propriè affirmat vel negat. Et velut ſenſus objectum ſuum apprehendens illud æſtimat vel ut dilectabile, vel triſte; ita intellectus apprehendens rem intelligibilem eandem judicat vel bonam vel malam. Ex qua duplici intellectus operatione, ſeu pro diverſo objecti 66.
conſiderandi modo, diſtinctio oritur *intellectus theoretici* & *practici*: qui adeò haudquaquam duæ ſunt intelligendi facultates, nec diverſæ intellectus differentiæ vel gradus. Nimirum intelle- 67.
ctu theoretico exercetur actio, quâ ſimplicia quidem intelle-

DISS. VII. ctus apprehenditur ut ſunt, compoſita autem aut diviſa cum affirmatione vel negatione; at utraque abſque reſpectu ad noſtrum bonum: per practicum autem intellectum ea intellectus ejuſdem actio exercetur, quâ dijudicantur vel bona vel mala, ac imprimis
68. vel honeſta vel turpia, adeóque vel agenda vel omittenda. Ut autem hîc rectè judicet intellectus practicus, ac verè honeſta ſuadeat, à turpibus verò praxin ſeu actionem avertat, notiones quædam certæ ac indubitatæ, & veluti principia ac regulæ naturales, menti agenti impreſſæ ſunt à Deo, quibus intellectui patienti ille præſidet, ut ad eas patiens componatur, adeóque ita naturaliter
69. intelligat. Ejuſmodi notiones ſunt, v.g. parentes honorandos eſſe, abſtinendum à furto, cæde, adulterio, &c. Ad quas ſi vitæ actiones expendantur, & quaſi ad examen revocentur, ratiocinatio in intellectu reſultat, quæ *Conſcientia* vocatur: eaque vel malè facti hominem damnat, & animi anxietatem incutit; vel innocen-
70. tem jucundâ animi tranquillitate perfundit. Veluti autem ſenſus, quando objectum delectabile vel triſte æſtimavit, ſtatim illud appetit vel fugit; ita quoque intellectus practicus, ubi ſuum objectum dijudicavit vel bonum vel malum, protinus idipſum vel amat ac proſequitur, vel deteſtatur ac fugit. Appetitus autem ille intellectualis *Voluntas* appellatur; quam impoſſibile eſt ferri in malum ſub ratione mali; aut averſari bonum ſub ratione boni: quippe cùm ſit de eſſentia Voluntatis appetere bonum, & averſari
71. malum. Eſtque hic naturæ ordo, ut non exurgat Voluntas, niſi poſt judicium intellectus practici abſolutum: imò voluntas eſt ipſe intellectus practicus, quatenus ad bonum dijudicatum ſe
72. convertit, à malo ſe avertit. Quamvis autem naturaliter judicium intellectus practici præcedat ejus declinationem, ſeu ipſam voluntatem, hoc tamen divinæ potentiæ limites non ponit, qui
73. hunc ordinem à ſe conſtitutum poteſt invertere. Et cùm bonum ac malum ſint vel vera vel apparentia, fieri poteſt ut voluntas appetat verum malum, ſeu in ſe malum, ſub ratione apparentis boni; averſetur autem verum bonum, ſub ratione apparentis mali.
74. Contingit etiam, id quod verè malum eſt in ſe ſpectatum, habere rationem boni, reſpectu majoris mali: unde *volitione* qui-
75. dem id appetitur; *velleïtate* interim vergente in contrarium: Aliter autem verſatur voluntas circa finem, & ea quæ in poteſtate
noſtra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

noſtra ſita non ſunt; aliter circa media ad finem tendentia. Circa illa verſatur voluntas ἀπροβουλεύτως, ſine prævia deliberatione, at interim non niſi prævio intellectus practici judicio: vocaturque hæc voluntatis actio βούλησις ſimpliciter. Circa media autem cùm verſatur, ſeu ea quæ in noſtra poteſtate ſunt, præviam deliberationem ſequitur, vocaturque προαίρεσις. Huc item ſpectat *Liberum arbitrium*, quod nihil aliud eſt, quàm rationalis animæ facultas, objectum vel appetendi vel fugiendi, prout ab intellectu practico illud eſt dijudicatum vel bonum vel malum. Haud magis igitur homini, in quo eſt uſus rationis, Liberum arbitrium, circa ea quæ ſub rationem cadunt vel agenda vel omittenda, denegandum eſt, quàm ipſe Intellectus aut Voluntas: quippe quod eſt ipſamet Voluntas, modificata per intellectum, naturaliter bonum & malum decernentem. Nec verò hominis libertas ἀδιαφορία quædam eſt, quâ voluntas appetat vel non appetat, hoc vel illud appetat, poſitis omnibus ad appetendũ requiſitis; ſed eſt facultas hominis appetendi id quod ratio dictat. In multis ergo etiam arbitrii libertas locum habet naturaliter, in quæ non cadit noſtra deliberatio: nempe in iis omnibus quæ non appetimus ſine prævio judicio. (Hîc ergo ſupernaturalia excludimus.) Adeóque Liberum arbitrium non excludit omnem neceſſitatem; ſed neceſſitatem tantùm naturalem & coactionis. Magis tamen propriè vocatur Liberum arbitrium, quod verſatur circa ea, quæ deliberationi noſtræ ſubmittuntur: Eſtque hîc *Libertas* duplex, *Exercitii*, ſeu contradictionis, & *Specificationis*: quarum illa eſt, quâ vel appetimus, vel non appetimus; hæc verò, quâ vel hoc vel illud appetimus, ſeu ex pluribus objectis unum conſultatione præviâ eligimus, aliud repudiamus. Libertas autem noſtri arbitrii ad actiones tantùm, & ad ea quæ cum actionibus connexionem habent neceſſariam, non ad eventus quoque actionum, ſe extendit. Hi enim pendent ab externis cauſis, quæ in poteſtate noſtra ſitæ non ſunt, nec à ratione noſtra pendent. Haud verò tollunt Liberum arbitrium inordinati appetitus ſenſitivi motus, qui ſæpenumerò prævertunt ac pervertunt meliorem rationem. Nam prout affecti ſumus ac morati, ita in objecta concitamur: At ſuorum morum quiſque ſibi cauſa eſt. Rationis nempe ipſius vitium & culpa eſt, ſi affectibus ſe patiatur abripi.

Nec

DISS. VII.

81. Nec evertit animi noſtri libertatem Dei immutabile decretum: nam & illud inter Dei decreta neceſſaria exiſtit, ut ſit homo liber. Decretum ergo Dei de rebus contingentibus, & ſub humanam libertatem venientibus, includit ipſam libertatem hominis, ac rerum contingentiam. Quippe infinitâ ſuâ ſapientiâ, per ſempiternum Providentiæ ſuæ decretum, ita Deus moderatur omnia, ac ſingula determinat, ut interim naturam rebus à ſe ipſo contributam neceſſario decreto non evertat; ſed dum exequitur rem ipſam, modum quoque executionis, quam ſimiliter

82. determinavit, interim non negligat. Sic igitur decreto ſuo omnes actiones concitat, ut cauſæ neceſſariæ neceſſariò operentur, contingentes contingenter, liberæ cum prævia electione: adeóque æquè liberæ ac contingentes, in ſua libertate atque contingentia, à decreto Dei pendeant, ac ipſæ neceſſariæ; cùm ipſe ſolus Deus interim à nemine dependeat, abſolutè liber ſit & αὐ-

83. τεξούσιος, ſoluſque abſolutus ſit ſuarum actionum Dominus. Hîc verò fruſtra miſelluli homunciones longiùs progredimur, qui finito intellectu infinitos ſapientiæ divinæ theſauros non capimus. Abyſſus illa infinita eſt, quæ omnes cogitationes noſtras, quæ intellectus etiam angelicos abſorbet, nec menſuram tamen

84. interim admittit. Inſignis autem intellectus noſtri quædam ἀῤῥωςία eſt, ſeu voluntaria potiùs everſio, ſi, quòd non capiamus Infiniti ſapientiam, de ipſa rei natura dubitemus, quam ſat exactè comprehendimus. At ſumma arrogantia dicenda eſt, ſi ex eo, quòd de certis rebus & ex ſeſe evidentibus ſit nefas dubitare, conemur infiniti Dei cogitationes, ne quid usquam videamur i-

85. gnorare, finito debilique noſtro intellectui ſubmittere. Naturam rerum finitarum finitâ ratione noſtrâ utcunque perluſtramus: at in myſteria profundiſſima infinitæ Dei ſapientiæ ſolâ fide nos immittimus. Hîc niſi conquieſcat animus, HUMANAM ANIMAM, adeóque noſmetipſos, nondum ſatis novimus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

COROLLARIUM.

Adject. olim ad Diſſert. ultimam de Anima Humana,

EX origine rationalis animę, à nobis tradita, conſtat, omnino fabuloſum eſſe, quod perſuaſum tamen multis, poſſe Satanam per ſemen alicui fortè Veneris Nepoti ſurreptum ſagas imprægnare. Quamvis enim ita fortè fieri queat, cauſis naturalibus per artem diabolicam impulſis ac compoſitis, ut monſtri quid in ſenſitivo genere producatur, (quod tamen rarò admodùm contingere neceſſe eſt, Deo non permittente multoties ordinem naturæ machinatione diabolicâ turbari vel in minimis,) haud tamen rationalem animam conferre Dæmon poteſt, adeóque nec humanam eſſentiam tribuere. Sed nec in unionem hypoſtaticam ſeipſum Satanas cum ſenſitivo corpore conſociare valet: (quod nec bonis Angelis, in ſpecie appellatis, eſt conceſſum:) at arte tamen ſuâ ac præſtigiis vel larvam aliquam geſtare, vel ex ſenſitivo corpore, ſuprà dictâ ratione genito, mentiri hominis perſonam eum poſſe, non eſt abſonum: cui ſimile quid innuimus Diſſert. 3. de Animæ humanæ origine § 48. Vt autem abſolutè completa ac perfecta ſubſtantia ſpiritualis creata, non eſt apta cum corpore in unam perſonam uniri; ita nihil impedit, quò minùs rationalis anima, quæ naturaliter ad ſubſtantiam corpoream & ad unam cum eadem ſubſtentiam determinata eſt, in corpore ipſo eſſe queat, ut tamen hominem reipsâ non informet: ſolutâ nempe unione hypoſtaticâ, ſeu naturali, vel, ſi ita Deo viſum foret, nondum inchoatâ. Huic ſimile quid an D. Paulo obtigerit cùm in ecſtaſi eſſet Act. 22. 17. cùm raperetur in tertium cœlum, neſciens an in corpore, an extra corpus 2. Cor. 12. v. 2. fortè dubitari poteſt. At dubitari nequit, quin vivum corpus Pauli interea ſupereſſet, non planè mortuum cadaver: Quod ſi verò nihil præter rationalem animam, materiæ primæ vel nudis tantùm qualitatibus inſtructæ junctam, ſit in homine concipiendum, quo, quæſo, animari potuit ipſum corpus, ſi quidem extra corpus potuerit extitiſſe rationalis Pauli anima? Hoc diſquirendum aliis relinquimus. [Per ea quidem, quæ jam antè expoſuimus, haud difficulter nobis illa difficultas poteſt expediri.]

SENECA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

SENECA

Epiſt. 65.

SApiens aſſectatorque ſapientiæ adhæret quidem in corpore ſuo; ſed optimâ ſui parte abeſt, & cogitationes ſuas ad ſublimia intendit: & velut ſacramento rogatus, hoc quod vivit ſtipendium putat: & ita formatus eſt, ut illi nec amor vitæ, nec odium ſit; patiturque mortalia, quamvis ſciat ampliora ſupereſſe. Interdices mihi inſpectione rerum Naturæ, ac toto abductum redigesin partem? Ego non quæram quæ ſint initia Univerſorum, quis rerum formator, quis omnia in una maſſa & materia inerti convoluta diſcreverit? &c. Ego neſciam unde deſcenderim? Neſciam quo hinc iturus ſim? quæ ſedes exſpectet ANIMAM, ſolutam legibus ſervitutis humanæ? Vetas me cælo intereſſe, id eſt, jubes me vivere capite demiſſo? Major ſum, & ad majora genitus, quàm ut mancipium ſim mei corporis: quod equidem non aliter adſpicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum. Hoc itaque oppono Fortunæ, in quo reſiſtat; nec per illud ad me ullum tranſire vulnus ſino. Quicquid in me poteſt injuriam pati, hoc eſt in hoc obnoxio domicilio: ANIMUS liber habitat. Nunquam me caro iſta compellet ad metum, nunquam ad indignam bono ſimulationem; nunquam in honorem hujus corpuſculi mentiar. Cùm viſum fuerit, diſtraham cum illo ſocietatem: & nunc, dum hæremus, non erimus æquis partibus ſocii: ANIMUS ad ſe omne jus ducet.

Ariſt. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Ariſt. 2. Metaph. cap. 1.

Cum difficultas duobus ſit modis, fortaſſis cauſa ejus non in rebus, ſed in nobis ipſis ineſt. Quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt. Verùm, non ſolùm illis agendæ ſunt gratia, quorum opinionibus quis acquieſcet; ſed etiam illis, qui ſuperficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam iſti: habitum namque noſtrum præparârunt. Si enim Timotheus non fuiſſet, multum melodiæ nequaquam habuiſſemus. Si tamen Phrinis non extitiſſet, ne Timotheus quidem fuiſſet. Simili modo & de illis eſt, qui de veritate aſſeruerunt.

Series

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Series Diſſertationum,

In Illuſtri Schola Academica Tetrarchiæ Gelro-Velavicæ, Hardervici, publicæ ventilationi ſubjectarum.

&

Reſpondentium Nomina.

I. De Animæ Humanæ Subſtantia.
Reſp. Marino Goderis, Lugd. Bat. A° 1644. 4. Sept.

II. De Animæ Humanæ Origine, Prima.
Reſp. Daniele Ortwein, Lutræo-Palat. 13. *Decemb.*

III. De Animæ humanæ Origine, Secunda.
Reſp. Joh. Franckholt, Elberveldo-Mont. 28. *Decemb.*

IV. De Animæ humanæ Origine, Tertia.
Reſp. Gerhardo Everhardi à Stenhuys, Aren. Gelr. A° 1645. 16. *Ian.*

V. De Animæ humanæ Immortalitate.
Reſp. Iohanne Pott, Steinfurt-VVeſtphal. 6. *Febr.*
& *Iohanne Neuber, Crucenaco-Palat.* 8. *Febr.*

VI. De Animæ humanæ Unione cum Corpore.
Reſp. Caſparo VViddemeyer, Marco-Mulheim. 22. *Febr.*

VII. De Animæ humanæ Facultatibus.
Reſp. Engelberto Schulenio, Camenn. VVeſtph. 6. *Mart.*
& *Abrahamo Balck, Rotterdamo-Bat.* 12. *Mart.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ANTONII DEUSINGII
Familiares & Amicæ
DISQVISITIONES
Epiſtolares,

Habitæ

Cum Reverendo ac Clariſſimo Viro

D. JOHANNE SANTENO
Theologo eximio, ac L. A. M. Gymnaſii
Veſalienſis Moderatore,

De

ORIGINE FORMARVM NATURALIUM.

&

ANIMÆ HVMANÆ SVBSTANTIA.

Vbi multa de Creatione *ac* Conſervatione *rerum,*
aliaque contemplatu digniſſima,
immiſcentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Objectiones Primæ.

ANTONIO DEVSINGIO
JOHANNES SANTES
S. P.

HAbes quidem, Excellentiſsime D^e. Doctor, Amice integerrime, juſtam expoſtulandi mecum de tam diuturno ſilentio cauſam. Debuiſſem enim ſaltem, fateor, hoc unicum, ſi alia nequiviſſem, ſignificare, quòd & tuas literas & munera chartacea, (Philoſophiæ tum moralis tum naturalis,) tui ingenii & in nos priſtini affectus monumenta, accepiſſem. Sed ſi intellexeris cauſas moræ, pro tua humanitate & ἐπιεικείᾳ æquiori animo illam feres, & ſi quid peccatum eò promptiùs ignoſces. Non jam prætendam, quod ad Vos tabellario- 2.
rum copia non detur, & ſi quid literarum ad Vos dandum, hoc oneris Cognatis veſtris imponendum, quod ægrè facio; ſed hoc, quòd tempus ea, quæ volui, ſcribendi, hactenus mihi non ſuffecerit. Inter ea enim, quæ ſatis accuratè pro ingenii tui acumine in diverſis tuis exercitationibus enodas dubia, occurrunt tamen quædam, quibus meo judicio non uſquequaque ſatisfactum eſſe puto. Hæc quia plura erant, conabar aliquanto fuſiùs tibi ſol- 3.
venda objicere. Sed aliæ occupationes, quæ moram non ferebant, id non permittebant. Habes hîc ſilentii mei, hactenus quidem pertinacis, ſed inviti, cauſas. Verùm nec hæ quidem etiamnum remotæ. Ne tamen tibi videar planè memoriam amicitiæ 4.
noſtræ excuſsiſſe, cum debita gratiarum actione ingenii tui partus, ad me & D. D. Monhemium miſſos binâ vice nos accepiſſe profiteor, ita ut jam in tuo Naturæ Theatro Univerſali nihil deſiderem, niſi Tertiam Diſputationem, de mutua principiorum internorum in productione Univerſi cauſalitate, & ordine creationis, ac primi & ſecundi diei operibus. Hanc lacunam, quæ corpus tam pulchrum aliquâ deformitate inficit, ſi explere poſſes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

5. me novo beneficio beares. Alterum, quod præterire nunc non
potui, hoc eſt: In Diſputatione tua Phyſica de Natura & Origine
formarum in brutis, publicæ cenſuræ proximo 24. Febr. & 2.
Mart. expoſita, formas brutorum, quod ad eſſe abſolutum atti-
net, Mundo coævas, adeóque à Deo in illius primordio creatas
eſſe; nec generari demum, cùm ipſa bruta initium capiunt, nec
interire, cùm occidunt, ſtatuis: hac, ut video, præcipuâ causâ
motus, quia formas producere & deſtruere vires cauſarum ſe-
6. cundarum tranſcendat. Cùm enim inter ens & nihil infinita di-
ſtantia intercedat, formæ autem antequam fiant, ſi in ſe ſpectentur,
ſint prorſum nihil, at factæ vera entia, cenſes infinitæ virtutis
fore, vel tali modo ex nihilo formas producere; vel cùm nulla
ſit ratio inter finitam virtutem & nihil, ex nihilo per finitam vir-
7. tutem formas non poſſe produci. In hac tua ratiocinatione tri-
bus uteris principiis mihi ſuſpectis. I°. Quod ex nihilo aliquid
producere tranſeat cauſarum finitarum virtutem. Quòd ſi hoc,
certè etiam quævis alia accidentia, aut formas accidentales, quæ
certè ſunt aliquid, nec Mundo coævæ, producere, imò ipſi for-
mæ ſubſtantiali eſſe reſpectivum, conjunctionemque illius cum
materia addere, adeóque & Compoſitum efficere, ſuperabit o-
8. mnem vim creaturarum: quo nihil abſurdius. Deinde ita argu-
mentaris, ac ſi illa productio formarum ex nihilo penderet tan-
tùm à viribus cauſarum finitarum: cùm tamen conſtet, ut ad
quaſvis alias res, ſic etiam ad formas introducendas Deum, qui
infinitæ virtutis eſt, concurrere. Unde patet, non ſimpliciter no-
vam formarum productionem à viribus tantùm finitis pendere.
9. Tertiò ſtatuis formarum naturalium productionem ex ſimpli-
citer nihilo inſtitui: quod nego. Cùm enim illæ è potentia mate-
riæ eliciuntur, ex ſimpliciter nihilo fieri non puto. Nam, licet
ipſæ formæ, quà tales, in materia iſta non ſint, cenſendum tamen
eſt, aliquid earum in hac latere, quod per creaturarum actionem,
quæ generatio dicitur, in talem formam tranſeat. Plura de his
10. addere non licet. Si hæc præludia reſponſione tuâ dignatus fue-
ris, plura, Deo volente, in hac materia perplexiſſima etiam oc-
cupatiſſimo extorquebis. Quæ D. Monhemius de tua Contro-
verſia nobis ignota urget, eadem expeto. Et quia filius meus jam
ad Medicinam propendet, quando per otium licet, quæſo, ra-
tionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tionem ejus ſaltem aggrediendæ commodiſsimam adumbra, illi communicandam. Hoc ſummi beneficii loco habebo, qui ſum tibi & tuis addictiſsimus. Veſaliæ XIV. Calend. Junii Gregoriani MDCXLIV.

Reſponſiones Primæ.

IOANNI SANTENO

Theologo eximio, ac L. A. M.
Scholæ Veſalienſis Moderatori

ANTONIUS DEUSINGIUS

Ὑγιαίνειν.

Gratiſſimas tandem abs Te literas accepi, Vir Re- 1.
verende ac Clariſſime, ſat diu dederatas, à quibus pro amica diſquiſitione anſam arripuiſſem ocyùs, niſi unà malè feriatum hominem, Adverſarium meum, veſtris oculis & judicio ſubmittere fuiſſet animus, quo tunc ſudabat prælum. Quid ſentias de tali ingenio vel indole, quid unà Tecum Viri docti, pii, ac religioſi, proximis, quæſo, expone. Quòd ſi patientiâ meâ abuti pergat illud animal ad contentiones genitum, propediem ita exornatum dabo, ut quem puerum depoſcebat, majorennem deprehendat. Tu verò, Virorum doctiſſime, Apologiam hanc meam ita expende, ut cum meis ſcriptis eam conferas, quo
de candore meo queas eò rectiùs teſtari. Diſputationem illam 2.
Tertiam, quam exigebas, tandem alibi obtinui. Plurimorum deſideria id faciunt, ut penè cogar aliquando recudenda ea tradere, quorum copia non datur ampliùs: At neſcio an urgear, quòd doctioribus placere mea quædam videantur; an verò quod con-
tentiones inde ortæ ſint, quin imò tempeſtates ſummæ. Certè 3.
Tibi, Vir Clariſſ. non diſplicere admodùm quæ hactenus vidiſti, (quod dudum pleniùs nunc obiter oſtendis,) eſt quod mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

gratulari queam. Tua exinde in me ſemina agnoſce; ex quibus, ſi vitam & otium mihi dederit Deus Opt. Max. fortaſsis aliquando plura pullulabunt. Sed utinam minori cum tædio, quàm hactenus evenit ex laſciva unius hominis ambitione & arrogantia. Sed hanc fortunam cum bono Deo ſuperabimus.

4. Pulcherrimam mihi moves difficultatem ſuper * Diſp. mea de Orig. formarum naturalium, quâ ratiocinationem non rectè procedere contendis, dum dico, infinitæ virtutis eſſe, ex nihilo ens producere; atque ex hac hypotheſi conſtituo formas ſecundùm eſſe ſubſtantiale Mundo coævas eſſe. *Si*, inquis I°. *ex nihilo producere tranſcendat cauſarum finitarum virtutem, etiam quævis alia accidentia, aut formas accidentales, quæ certè ſunt aliquid, nec Mundo coævæ, producere, imò ipſi formæ ſubſtantiali eſſe re-*

* Ea nunc eſt in Theatr. Nat. univerſ. part. I. diſp. 7.

5. *ſpectivum conjunctionemque illius cum materia addere, adeóque & compoſitum efficere, ſuperabit omnem vim creaturarum.* Hîc antequam reſpondeam, quid termini valeant videndum eſt. Interdum *Entis* vocabulum ita latè accipitur, ut illud omne, quod non eſt omnino nihil, dicatur Ens: ſic ea omnia, quæ in Metaphyſica principiorum & affectionum locum obtinent, Entia quoque appellantur. Interdum *Ens* ſtrictiùs ſumitur, pro ente reali, ſeu pro eo Ente, quod ſolum Metaphyſicæ Objectum ſtatuitur, à quo principia & affectiones diſtinguuntur: quæ licet ſint *non entia*, ſc. non ſint pars objecti Metaphyſ. non ſunt ta-

6. men omnino nihil. Ita quoque *Aliquid* vel denotat illud, quod realem aliquam quidditatem habet, & ſic ab ente reali non differt; vel latiori ſignificatione accipitur pro omni eo quod non omnino non eſt, ſeu non omnino nihil eſt,: Et ſic quoque affectiones & principia Metaphyſicæ *aliquid* ſunt; haud tamen Entia, quippe ita à ſubjecto Metaphyſicæ haud diſtinguerentur. Inter *Ens* ergo & *Nihil* datur medium, quod neque Ens ſit, ne-

7. que nihil, ſed *Aliquid*. His præmiſſis, concedo ex nihilo *aliquid* producere, non excedere cauſarum finitarum virtutem; at ex nihilo *verum Ens* producere, omnino ſoli Deo convenire affirmo. Quod ergo *Accidentia* attinet, ea ſunt vel vera entia, ut quantitas, & aliqua ſaltem qualitatis ſpecies; vel ſunt entium verorum modi, denominationes, relationes, aut ſi quid aliud: quæ certè licet non ſint omnino nihil, vera tamen entia non ſunt.

Quod

Quod autem quantitatem ſpectat, illa certè à nullo finito agente 8.
producitur, cùm materiæ coæva ſit; ſed varii quantitatis modi ab agentibus finitis producuntur. Ita in qualitatibus ſola potentia naturalis videtur eſſe verum ens, hæc autem partim à materia, partim à forma naturali pendet, quæ utraque vera & realia entia ſunt. *Eſſe reſpectivum* formæ in relatione conſiſtit, quæ verum ens non eſt; *Conjunctio formæ cum materia*, eſt entium verorum modus, (velut τὸ per ſe ſubſiſtere, quod tribuitur ſubſtantiæ, nec ſubſtantia eſt nec accidens, nec tamen planè nihil, cùm ſubſtantiæ eſſentialem differentiam conſtituat; ſed eſt modus entis.) IIo. 9.
Inquis, *me ita argumentari ac ſi illa productio formarum ex nihilo penderet tantùm à viribus cauſarum finitarum, cùm tamen conſtet, ut ad quasvis alias res, ita etiam ad formas introducendas, Deum, qui infinitæ virtutis eſt, concurrere.* Equidem, hoc perinde mihi dictum videtur, ac ſi ſtatuere liceret, creationem propriè dictam ulli creaturarum poſſe attribui, quòd non ſola creatura operetur; ſed ut eadem in ſuo eſſe à Deo dependet, ita quoque in ſuo operari dependeat à Deo, tum conſervante, tum cooperante. Equidem ad ſingulos ſingularum rerum effectus 10.
producendos concurrit Deus Opt. Max. at interim non ut cauſa partialis, ſed ut cauſa totalis: totus enim effectus à Deo dependeat; at idem interim totus à cauſa naturali proficiſcitur: ſunt enim ipſæ etiam cauſæ naturales ſuorum effectuum totales cauſæ, quatenus ſufficientem virtutem à Deo nactæ ſunt ad producendum effectum ſibi æquali proportione reſpondentem, nimirum, æquè in fieri à Deo dependentem, atque ipſa naturalis cauſa in ſuo eſſe, conſervari, ac operari, à Deo dependet. Sic ergo, ſi quid 11.
virtute creaturarum ex nihilo produci diceretur, licet vel Deo Opt. Max. cooperante, totum certè illud quod produceretur, in naturalem cauſam producentem referri deberet, veluti operationi divinæ ſubordinatam ac univocam. Adeóque vis creandi ſoli Deo propria non foret. IIIº. *Negas formarum naturalium pro-* 12.
ductionem ex ſimpliciter nihilo inſtitui. Cùm enim illæ è potentia materiæ eliciuntur, ex ſimpliciter nihilo eaſdem fieri non putas. Nam licet ipſæ formæ, quà tales, in materia iſta non ſint, cenſendum tamen eſſe, aliquid earum in hac latere, quod per creaturarum actionem, quæ generatio dicitur, in talem formam tranſeat. Hîc equidem

concedo

concedo totum: & in eo demonſtrando totus ipſe eram occupatus. At interim non video, quid illud *aliquid formarum* eſſe queat, præter ipſam formæ ſubſtantiam, (ſi quidem formas ſubſtan-
13. tiales admittis, quòd hîc præſuppono,) abſolutè ſpectatam. Hæc ita, quantùm fieri potuit pauciſſimis, dum aliis paſsim plurimis divellor occupationibus, ad tua dubia reſpondere haud gravatus ſum. Filium ad Medicinam aſpirare intelligo. Pulcherrimum ſanè inſtitutum, cui Deus feliciſſimum adjiciat ſucceſſum. Quod à me exigis, de commonſtranda Methodo, levi ſaltem digito,
14. prout hæc occaſio fert, adumbrabo. Poſt Philoſophiam, imprimis naturalem, Inſtitutiones Sennerti Medicas volvat, unico interim collato Fernelio, tum ob elegantiam Latinitatis, tum præſertim ob inſignem cùm in Philoſophicis tum Medicis ſoliditatem, ut unus penè inſtar omnium eſſe queat. Hunc ergo Fernelium primâ meritò poſtremâque manu volvendum commendo. Sed animum ad Philoſophiam rectè compoſitum poſſit. Senner-
15. tus captui aliquantulum commodior exiſtet ſub initio. Interim Anatomia vel Bauhini, vel Bartholini ult. edit. 1641. Lugd. Bat. conjungatur; nec verò negligatur Botanicè; ac Pharmacopæorum officinæ frequententur ſæpius, tum pro ſimplicibus medicamentis cognoſcendis, tum pro obſervanda paulatim ratione
16. eorundem ordinandi ac componendi. Prædictis autoribus ter quaterve luſtratis, (nam ſi vel decies volvatur Fernelius ſemper plura ſuggeret,) ad practicam, ſeu Methodum curandorum morborum particularium, ſe conferat, ubi (luſtrato priùs utriuſque prædicti autoris tractatu de febribus,) ſub initio commodiſſimus erit Franciſcus Joël, qui breviter, ordinatè, & exquiſitè perſcripſit, & elegans Chirurgiæ compendium addidit. Mox. practica Sennerti perluſtrentur, non tam pro ipſo medicamine, quàm pro variis Variorum ſententiis in uno volumine cernen-
17. dis: nec abs re erit Heurnii practica tunc ſimul adjungere. Interim Aphoriſmi Hippocratis haudquaquam negligendi, collatis, præter expoſitionem Galeni, commentariis Heurnii & Hollerii. Cúmque jam proprium in Medicina judicium viget, ſpatioſiùs animum licebit diffundere, ac paſſim varios Autores, quos tunc uſus ſuppeditabit, perveſtigare. Et cùm ad ipſam praxin exercendam tandem propiùs aſſurgit animus, Obſervationes Medic.

Amati

Amati Luſitani multum emolumenti conferent, nec non Conſilia Cratonis: ac imprimis vaſtum illud Obſervationum Medicinalium Volumen Foreſti. Plura dabit uſus: ac dum ipſe Tyroni Methodum præſcribo, nolo eidem magnâ Autorum farragine Methodum turbare. Unum addam: provectior aliquanto cum 18.
perito Chirurgo familiaritatem colat, ut varios caſus Chirurgicos αὐτόπτης obſervet. Vale, & me amare perge, quem tibi tuiſque habes ſemper devinctiſsimum & officioſiſsimum. Hardervici, $\frac{10}{20}$. Jun. 1644.

ANTONIO DEVSINGIO

JOHANNES SANTES.

S. P.

Clariſſime & experientiſſime D. Doctor, Amice integerrime. Faſciculum, quem antehac non traditum eſſe, literis meis prid. Non. Julii miſsis ſignificaveram, accepi VII. Id. Julii: quod, ne ampliùs de eo ſollicitus ſis, ſignificandum duxi, & quidem cum debita gratiarum actione, tum pro chartis miſsis, tum pro conſilio nobis ſuppeditato. Quem illi incluſum ad Fratrem deſtinaveras, proximâ quaque occaſione mittam, & ſi quâ aliâ ratione illis reſpondere poſſim beneficiis, ſemper paratus ero. Haberem quidem quod iis regererem, quæ meis dubiis reſpondere gravatus non fuiſti: ſed quia partim brevibus expediri non poſſunt, (ut enim unda undam, ita controverſia controverſiam trudit,) partim vereor ne tibi occupatiſſimo novas moleſtias creem, gravioraque ſtudia tua interpellem, intempeſtivè ἔλεγχον extorquere non audeo. Si tamen intellexero, meas inſtantias non fore ingratas, eas (ſine bile tamen,) opponam. Apologia tua fecit .... &c. Optimè cum tota familia valebis, & quia ingenii tui fætus nunquam non poſſunt mihi eſt gratiſsimi, Diſputationes tuas Metaphyſicas priores ſeptem, occaſione ita ferente, non dedignaberis mittere. Veſaliæ III. Id. Julii Gregoriani. MDC. XLIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Objectiones Secundæ

ANTONIO DEUSINGIO
JOHANNES SANTES.
S. P.

QUod, excellentiſsime Dn. Doctor, Amice integerrime, cum γραμματοφόρος ultimas literas tuas mihi traderet, facere non licuit ob nimiam ejuſdem feſtinationem, nec hactenus licuit propter alias occupationes, id diutiùs differre aut planè intermittere auſus non fui, præſertim cùm Cognatus tuus, Dn Vermeer, mihi, allatâ à Vobis ſalutatione, aurem velleret. Novum tunc affectus tui in me dediſti indicium. Iniquus eſſem, niſi id mihi gratum fuiſſe, ſignificarem, & quidem eò gratius, quo ita illud moderatus es, ut & ſignificâris, quo loco apud te eſſem, & ſimul nullam invidiam mihi apud alios concitâris, nec me contentioſorum hominum, qui libertatem Philoſophicam malè interpretantur, eidemq; inſidiantur, morſui tecum objeceris. Iſtum affectum ſi continuaveris, mihi gratiſsimum erit. Quem hactenus in te vidiſti animum meum, nunquam in
2. me deſiderari patiar. Et verò, quia mihi ultimis tuis literis poteſtatem feciſti, de iis, quæ mihi in tuis Exercitationibus dubia occurrunt, tecum amicè conferendi, nondum manum de tabula tollere poſſum. Ea autem, quæ in literis, $\frac{10}{20}$ Junii ad me datis, regeſsiſti, tacito primùm pede tranſire nequeo. In iis primæ Reſponſioni meæ indirectæ, quæ retorſionem continet, regeris diſtinctionem *Entis* ſtrictè ſumpti ab *Aliquo*, quorum illud complectatur tantùm Ens reale, ſubſtantiam videlicet, quantitatem, & qualitatis ſpeciem potentiam naturalem; hoc verò, modos, relationes, denominationes, & ſimilia; adſque, ex nihilo *Aliquid* producere, non excedere cauſarum finitarum virtutem; at ex nihilo *verum* ac *reale Ens* pro-
3. ducere, ſoli Deo convenire. Sed datâ, non tamen uſquequaque

conceſsâ

conceſsâ diſtinctione illâ, (quia & Metaphyſici haberent, quibus illam entium realium enumerationem inſufficientiæ redarguere poſſent:) I°. quia in diſtinctione adducta locum Compoſito, cujus in mea Inſtantia quoque mentionem feceram, non aſsignâſti, quæro, quò hoc referas, quod propriè fieri aut produci, adeóque & generari aſſeris Diſput. de Formarum naturalium Eſſentia ac Orig. q. 2. n. 12. 13. An homo ſeu equus genitus non eſt ſubſtantia, ſed vel modus, vel relatio, vel denominatio, vel ſimile quid? Si eſt ſubſtantia, utique eſt Ens verum & reale. 4.
Si hoc, verum & reale ens, (quod non erat antequam produceretur, adeóque ex tua argumentatione nihil erat,) producere, non ſuperat creaturarum facultatem. Si neges eſſe ſubſtantiam, ſed vel modum, vel relationem, aut ſimile quid dicas, generationis terminus non erit ſubſtantia, imò & aliquid accidente inferius, quæ omnia hactenus in Philoſophia ſunt inaudita. 2°. Si 5.
creatura poteſt *Aliquid* ex nihilo producere, quare non poteſt *Ens aliquod reale* producere? Dices, quia inter *Nihil* & *Ens* ſit infinita diſtantia. At, quæro, quare inter *nihil* & *ens* infinitam diſtantiam reperias, & non inter *nihil* & *aliquid*? præſertim cùm inter hæc major videatur eſſe diſtantia, quàm inter illa: Contradicentium pugna & oppoſitio, adeóque & diſcrepantia eſt omnium maxima, quòd irreconciliabilis pugna inter ea intercedat, cùm nullum intercedat medium, ut ipſe inquis diſput. Metaphyſ. 3. th. 22. Atqui inter nihil & aliquid, præſertim quibus hoc etiam Entia realia complectitur, (Ens enim reale eſt aliquid,) nullum intercedit medium, ne quidem negationis, quod intercedit inter nihil & Ens reale, diſp. 1. Metaph. th. 10. Secundæ 6.
Reſponſionis meæ vim conaris enervare, abſurdum colligendo, videlicet, (ut brevibus repetam,) iſtâ ratione ſoli Deo vim creandi propriam non fore. Sed ita reſpondendo meam inſtantiam non tangis. Meâ Reſponſione negare non volui, creare ex ſimpliciter nihilo eſſe ſolius Dei; ſed indigitavi, negandam eſſe conſequentiam illius argumenti, quo ex infinita diſtantia Entis & Nihili colligebatur infinita vis in qualibet cauſa, etiam ſuperiori, infinitæ ſubordinata. In cauſis ſubordinatis non ſemper requiritur æqualis vis. Non eadem vis eſt in ſerra ad ſerrandum, quæ eſt in ſerrante, & nec hujus nec illius facultate ſeparatâ id fieri

 poteſt,

7. poteſt, quod conjunctâ commodè fit. Tertiam Reſponſionem
concedis: ſed non eo, quo tu, modo eam interpretor. Cùm e-
nim aliquid formarum in materia actu eſſe dico, non intelligo
formæ ſubſtantiam abſolutam, ſc. ſecundùm ſuam ſpecificam
eſſentiam, ut accipis: ſed id, quod, qualecunque etiam ſit, tranſ-
it in formæ beſtialis ſubſtantiam, ſive ſit alia quædam ſubſtan-
tia incompleta, eſſentiâ ſpecificâ à producenda differens; ſive ſint
accidentia, quæ ad diſponentes formas reducuntur; ſive utra-
8. que ſimul. Et ſi hoc ſtatuatur, quid inde abſurdi emerget? Nam
inter illos terminos non eſt infinita diſtantia. Non inter accidens
& ſubſtantiam; multò minùs inter ſubſtantiam & ſubſtantiam,
licet ſpecie diverſas. Ergo nec ad mutationem illam requiretur
vis infinita: adeóque totum robur tui argumenti, meo judicio,
peribit. Vides nodos, qui me adhuc conſtrictum tenent, quò
minùs in tuam ſententiam ire poſſim. Hos dubia tua, quæ in
proximis literis ſignificas, tibi in hac materia ſupereſſe, auctu-
9. ros credo. Sed necdum manum de tabula. Duabus præcipuè ra-
tionibus ad probandam animarum in homine diſtinctionem u-
teris. Iª. Quia à Philoſophis animæ tribuantur duæ facultates
contrariæ, rationalis ſcil. & irrationalis; quarum illius ſit impe-
rare; hujus verò parere. 2ª. Quia anima rationalis non ex ſemine
traducatur; ſed corpori poſt convenientem apparatum, ab ani-
ma aliqua præſtandum, ſuperveniat, idque ut celebriores quique
10. volunt, circa quadrageſimum diem circiter. Sed, meo judicio,
hinc duplicem animam ſequi arbitraris conſequentiâ fallaci.
Nam dicitur animæ facultas ἄλογος, quatenus anima inſtar bru-
torum ſenſum ſequitur, adeóque ab hoc ſæpe tranſverſum rapi-
tur, non in conſilium adhibitâ ratione: λογικὴ verò, quatenus
ratione præviâ aliquid appetit, ut videre eſt apud Burgerſdicium
in Idea Philoſ. moral. cap. 7. th. 8. Qui certè reſpectus diverſus
11. veram contrarietatem, quam urges, tollit. Deinde, quòd ſi ani-
ma ex alia, ut lumen de lumine, propagari, vel in ipſo concep-
tionis momento infundi, nec ad hoc à Deo quadrageſimum di-
em exſpectari cenſeatur, quid cauſam tuam juvabit tanta ratio-
num congeries, huic uni fundamento innixarum, quòd anima
circa quadrageſimum diem infundatur? præſertim, cùm hujus
αἰτήματος tam controverſi nullam certam ac evidentem ratio-
nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

nem dederis, nec ullam dari poſſe arbitrer. Inter alias rationes, quæ mihi unitatem animæ humanæ perſuadent, hæc præcipua ſemper viſa eſt, quòd experientia teſtetur, cùm anima in iis, quæ ad vegetativas & ſenſitivas functiones perficiendas eſt occupata, rationales evidenter impediri: Et vice verſâ, quò magis anima hiſce eſt intenta, eò magis illas hebetari; & adeò quidem, ut ſi eædem intentiſſimæ ſint, aliæ ſuſpenſæ, ſi non ſuffocatæ, videantur. Ut alios Ecſtaticos prætercam, ablego te ad Triſmegiſtum & Platonem, quos introducis in eadem Diſput. n°. 5. tale quid de ſe prædicantes. Sed hæc pro tempore ſufficiant, quia & ad alia vocor, & ne intempeſtivâ fortè meâ prolixitate tibi moleſtus ſim, vereor. Tu, pro tua æquitate hanc meam libertatem in optimam partem interpretaberis; ac unà cum tua familia valebis. Veſaliæ. Poſtrid. Non. Xbris. M D C. XLIV. 12.

Reſponſiones Secundæ.

IOANNI SANTENO

ANTONIUS DEUSINGIUS.

Ὑγιαίνειν.

ANimum mihi addis, Virorum Clariſſime & amiciſsime, pleniori diſquiſitione tuâ, ac doctiſsimis, quibus noſtra urges argumentis. Gratulabor mihi, ſi cum ratione tibi ſatisfecero: nec enim, te acquieſcente forſan, à vulgo Philoſophorum quicquam mihi periculi in eadem materia eſſe metuendum, putabo. Ac eo quidem nunc majori per te voluptate fruor, quòd occaſione à te datâ, difficiliora ita revocentur ad examen, ut quæ olim aſpera ac dubia videri forſan potuiſſent, nunc mihi penitus evadant plana ac indubitata. Ad 2.
primam autem Reſponſionem meam, (quâ inter *verum ac reale ens* & *aliquid* diſtinguendum monui, poſſeque finitâ potentiâ ex nihilo *aliquid* produci, at non niſi à potentia infinita *verum ens*,) ad hanc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ad hanc, inquam, unam atq; alteram Inſtantiam reponis: Nempe, Præſuppoſitâ quidem diſtinctione veri entis, &ejus quod quidem non eſt nihil, non tamen verum ens eſt; datâque enumeratione, quâ verorum entium ſpecies poſui, *ſubſtantiam, quantitatem, & aliquam* ſaltem *qualitatis ſpeciem*, (nihil equidem determinatum hîc eſt ex profeſſo, cùm pro negotio noſtro expediundo exactiſſimâ enumeratione hîc non fuerit opus, ſaltem *in qualitatibus ſolam potentiam naturalem verum ens* videri poſſe innui: cæterùm magna hîc fortè nulla nos urgebit difficultas:) quæris 1°. quò referam *Compoſitum*, cujus è te erat facta mentio, cùm in adducta illa diſtinctione locum illi non aſsignaverim? Reſp. *Compoſitum*. (v. g. hominem vel equum,) reverà
3. ſubſtantiam eſſe, & quidem duplicem, ſc. materiam & formam, adeóque *verum ens*. At interim hoc addo, ſubſtantiæ huic duplici *aliquid* ſuperaddi; nempe formæ quidam relationem per ſe, ac propter formam materiæ, ac utrique ſimul conjunctionem, quæ eſt entis modus, quo illud ipſum, quod ſubſtantiam, adeóque verum ens eſſe fatemur, reipsâ ſit *Compoſitum*. Atque illud ſat ma-
4. nifeſtè expreſsi, quando *eſſe reſpectivum formæ, quâ forma eſt, in relatione conſiſtere dixi; at conjunctionem formæ cum materia, eſſe entium verorum modum: veluti τὸ per ſe ſubſiſtere eſt formalis ratio ſubſtantiæ, quâ ſubſtantia id eſt quod eſt, cùm tamen ipſum neque ſubſtantia ſit, neque accidens, ſed modus entis.* Non ergo ex nihilo productum eſt verum illud ens, quod *Compoſitum* vocatur; ſed ſolummodò modus iſte entis, qui licet ens verum ac reale non
5. ſit, eſt tamen *aliquid*. Sed urges porro: *Si id quod in generatione compoſiti producitur, non ſit ipſa ſubſtantia; ſed vel modus, vel relatio, vel ſimile quid, generationis terminus non erit ſubſtantia*, &c. Reſp. Quando terminus generationis ſubſtantia dicitur, ſit reſpectus non modò ad id quod ſtrictè loquendo ex nihilo producitur, ſc. modum illum entis, ſeu relationem; ſed ſimul ad ſubjectum, cum quo idem certam ſpeciem conſtituit. Ita v. g. quando generari dicitur equus vel lapis, non ſolummodò ſpectatur nova illa formæ relatio, quâ ad materiã refertur, ut nec illa unio formæ cum materia: ſed ipſa ſimul forma & materia, quæ non de novo generantur, ſed habitudinem ad invicem adſciſcunt, ac ita partes
6. eſſentiales fiunt ejus quod generari dicitur. Ac de materia certè non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

non eſt dubium, quin illa ante generationem extiterit, quippe quę nec generatur nec corrumpitur, ut in Philoſophia eſt notiſsimũ: nec verò inauditum in Philoſophia eſt, per ſubjectum præexiſtens ipſam generationem à creatione diſtingui. Atque hinc definitur generatio, mutatio totius nullo manente ſenſibili ſubjecto eodem, (hoc eſt, ejuſdem ſpeciei,) 1. de gen. & corr. cap. 4. Quod autem materiæ hac parte convenit, idem quoque formæ quoad ſubſtantiam attribuendum opinabimur, donec rationes noſtræ, in diſputatione expoſitæ, evertantur. Uno verbo dicam, 7. quando generationis terminus *ſubſtantia* eſſe dicitur, (potiùs *Compoſitum*,) ſeu *ipſum eſſe ſimpliciter*, 5. phyſ. c. 1. intelligitur *ſubſtantia* ſeu *eſſe ſubſtantiale certæ ſpeciei*: Huic enim ſoli determinatè ac ſimpliciter eſſe convenit. Haud ergo pugnant, fieri generationem ſubſtantiæ, nec tamen interim partes eſſentiales rei genitæ ab ipſo generante produci. Seu, quamvis in generatione producatur verum ac reale ens, quod ſecundùm eſſe ſpecificum non erat antequam produceretur, non tamen inde ſequitur, (quod perperam ex mea argumentatione elicis,) id fuiſſe ante ſui generationem ſimpliciter nihil. Et, quamvis in ſubſtantiarum gene- 8. ratione nulla pars Compoſiti ex nihilo producatur, differt tamen ipſa generatio talis ab alteratione, ſeu generatione quacunque mera accidentis, quòd ſubjectum ſenſibile, quod quidem erat antè generationem, non maneat idem, ſeu ejuſdem ſpeciei, mutatâ nimirum ratione eſſentiæ, quatenus non quidem nova formæ ſubſtantia, ſed ſubſtantialis forma nova oritur, ſeu formæ rationem induit ac verè forma evadit, quæ antea non erat forma. Haud verò ſatis capio, quâ ratione modos entis, vel relationes, vel 9. ſimilia, dicas eſſe aliquid accidente inferius, cùm ego potiùs reliqua, quæ præter modos entis, relationes, & ſimilia ſunt, ac tamen inter accidentia cenſentur, veris accidentibus ſuperiora appellarē. 2°. Quæris, *Si creatura poteſt aliquid ex nihilo producere, cur non* 10. *queat Ens aliquod reale producere?* Et, ſi quidem hæc ratio à nobis reddatur, *quia inter nihil & ens ſit infinita diſtantia*: quæris porrò, *quare inter nihil & ens infinitam diſtantiam reperiam, & non inter nihil & aliquid?* &c. Dabo cauſam, cùm primùm ἀμφιβολίαν vocabuli expoſuero. Quando dico, *aliquid* ex nihilo poſſe produci ab agente finito, cùm interim nequeat ab eodem pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

duci ex nihilo *verum ens*, tunc utique *illud aliquid*, quod ex nihilo produci dicitur, præſupponit ſubjectum quoddam, adeóque verum ens, cui ipſum accidat, ſeu cui ut modus entis, vel ut relatio, vel ut ſimile quid, tribuatur; dicitur tamen ex nihilo produci, nimirum ex nihilo ſui, ſeu ex nulla ſui parte vel gradu, aut ſimili aliquo, ceu termino à quo reali, præexiſtente; non verò fit ex nihilo, ſi ex nihilo fieri accipiatur propriè pro eo quod eſt fieri nul-
12. lo penitus præexiſtente ſubjecto. Ita, v.g. unio formæ cum materia ex nihilo ſui producitur, quippe nihil ipſius unionis præcedebat, antequam conſtituebatur compoſitum; at interim illa unio præſupponit formam & materiam, ſine quibus implicat contradictionem fieri unionem: non ergo ſimpliciter ex nihilo produ-
13. citur unio. At quando dico, *verum ens* ex nihilo produci, neceſſe eſt, præſupponi nihilum ſimpliciter & abſolutè: Cùm enim verum ens ſit vel radix omnium eorum, quæ non ſunt omnino nihil, (veluti ſubſtantia;) vel à radice ipſa neceſſitate quadam naturæ promanet, (velut quantitas, & qualitatis aliqua ſpecies, aut ſi quid inſuper,) adeóque neceſſariò radicem ipſam, nempe ſubſtantiam, præſupponat: ſi verum ens ex nihilo produci dicatur, non modò intelligi debet ex nulla ſui parte, vel gradu, aut ſimili
14. aliquo; ſed ne quidem ullo præexiſtente ſubjecto. Licet ergo ante generationem unio materiæ & formæ reverà nulla ſit, nulla item ſit ipſius formæ ad materiam relatio, adeóque licet unio illa, ipſaque formæ ad materiam relatio, ſi in ſe ſpectentur, ante generationem reverà *nihil* ſint, poteſt tamen facilè, vi cauſarum finitarum, inter formam & materiam unio inſtitui: atque ita aliquid ex nihilo ſui produci: At ex nihilo ſimpliciter aliquid ſeu verum ens produci, niſi ab infinita virtute, omnino nequit, ob eam cau-
15. ſam quam in Diſp. indicavi. Ex dictis autem conſtat, qua ratione inter nihil & ens major ſit diſtantia, quàm inter nihil & aliquid. Apparet item, quâ ratione, licet inter nihil abſolutè & aliquid ſit irreconciliabilis pugna, poſſit tamen ex nihilo alicujus, v. g. figuræ, unionis, relationis, &c, fieri figura, unio, relatio, &c. nimirum, quatenus vera illa entia, quibus antè modus entis, vel relatio, vel ſimile quid, nullâ ſui parte vel gradu præexiſtens, non competebat, modum vel relationem vel ſimile quid induunt.
16. Similiter patet, non fieri oppoſitionem ſecundùm idem, ſeu ad idem,

idem, quando quæritur, cur inter *nihil* & *ens* ſit infinita diſtantia, at non ſimiliter inter *nihil* & *aliquid*? *nihil* enim, ut jam dictum, ex quo *aliquid* produci dico, intelligitur ſolummodò reſpectu ejus quod producitur, v.g. unionis; at interim ut fiat illa unio præſupponitur *verũ ens*, cui illa accidat: *nihil* verò, ex quo *verum ens* producatur, *ſimpliciter nihil* eſt, & abſoluta omnis ſubjecti negatio. Porrò ad ſecundam Reſponſionem meam regeris, *me inſtantiam* 17.
tuam non attingere. Quippe te negare noluiſſe, creare ex ſimpliciter nihilo eſſe ſolius Dei; ſed indigitâſſe, negandam eſſe conſequentiam illius argumenti, quo ex infinita diſtantia entis & nihili colligebatur infinita vis in qualibet cauſa, etiam ſuperiori infinitæ ſubordinata. Equidem, ni fallor, rectè vim argumenti percepi, quod nec aliter nunc percipio, quàm antè: ſcilicet, quamvis ipſe Deus infinitâ virtute ex nihilo ens producat, non tamen ideo in cauſis ſecundis, illi divinæ actioni ſubordinatis, infinitam virtutem ſpectari debere. Namq;, ut aïs, *in cauſis ſubordinatis non ſemper requiritur æqualis vis. Non eadem vis eſt in ſerra ad ſerrandum, quæ eſt in ſerrante, & nec hujus nec illius facultate ſeparata id fieri poteſt, quod conjuncta commodè fit.* Sed, jam antè manifeſtum reddidi, in crea- 18.
tione propriè dicta, quâ verè ex nihilo ens producitur, non poſſe cauſis ſecundis dari locum, ſed hanc Deo Opt. Max. non tantùm ut cauſæ principali, ſed & ſoli, convenire. Idque eâ ratione demonſtravi, quòd ſubordinatæ cauſæ ſingulæ ſint cauſæ totales ſui effectus, adeóque ſi Deus Opt. Max. in productione entis ex nihilo ſecundarum cauſarum miniſterio uteretur, tota illa productio entis ex nihilo ſecundis quoque cauſis attribuenda eſſet, forentq; hæ cauſæ totales productionis entis ex nihilo æquè atq; Deus, licet in alio genere, & quidem ignobiliori: non aliter atque totus ſerræ effectus ipſi ſerræ attribui debet, ac totus idẽ ſerranti, quamvis aliâ atq; aliâ ratione: ac licet ſerrans cauſa principalis ſit, haud magis tamen ipſe talẽ effectũ ſine ſerra potuiſſet producere, quàm ſerra ſine ſerrante. Cùm ergo nihilũ ab ente infinito inter- 19.
vallo diſtet, inferre nuper volui, actioni divinæ, quâ ex nihilo abſolutè ens producit, non poſſe cauſam ullã ſecundã ſubordinari, cùm & eidem ſubordinatæ cauſæ totus illo effectus, nimirum productio entis ex nihilo abſolutè, æquè atque Deo, eſſet attribuendus: adeóque hac ratione concludendum foret neceſſariò,

20. *creare ex ſimpliciter nihilo non eſſe ſolius Dei.* Non poſſe autem
ſubordinari Deo cauſam ſecundam in productione entis ex ni-
hilo ſimpliciter, adeò verum eſt, ut ne quidem in creatione ſecun-
daria ullæ cauſæ ſecundæ ſint ſubordinatæ, quatenus Deus creat
appellatione primâ, ſeu ex nihilo ſimpliciter aliquid producit; ſed
tantùm quatenus naturalis aliqua actio vel paſſio cum ipſa crea-
tione eſt implicita, quæ interim reverà ab ipſa Dei creatione, ſeu
productione ex ſimpliciter nihilo, eſt diſtincta.
21. Pro tertia objectione tua non admittis id quod largiebar totum;
quippe quòd non ſit utrobique idem ſenſus: *Cùm enim*, ut inquis,
*aliquid formarum in materia actu eſſe dicis, non intelligis formæ
ſubſtantiam abſolutam ſc. ſecundùm ſuam ſpecificam eſſentiam, (ut
ego*, te judice, *accipio;) ſed id, quod qualecunque etiam ſit, tranſit in*
22. *formæ beſtialis ſubſtantiam*, &c. Certè neſcio an hîc ſit ſola ambi-
guitas in verbis, an mihi quid præter meam mentem attribuas,
adeóque hanc non ſatis fueris aſſecutus? Ais enim, ni fallor, me id
formarum, quod in materia eſſe dico, ſc. antequam è potentia ma-
teriæ ſint eductæ, *ſecundùm formæ ſpecificam eſſentiam* accipere:
23. quod omnino à mea mente alienum eſt. Nec enim ita poſſet fieri
ulla generatio aut corruptio: ac ipſe ſat expreſsè diſtinxi Diſp. de
Eſſent. & Orig. form. nat. q. 2. § 14. 15. inter *id quod formæ no-
mine* indigitatur, ſeu id quod in materia ineſſe dico, *& eſſe for-
mam*, ſeu *formalitatis rationem*, hoc eſt, ſpecificam formæ, quâ
forma eſt, eſſentiam: ſeu, inter *eſſe abſolutum*, in eo ſimpliciter
conſiſtens, quod ſit ſubſtantia incorporea, incompleta, diſtincta
à materia, & *eſſe reſpectivum* ſeu *formale*, in quo ſpecifica formæ
24. eſſentia conſiſtit. Sed quid ergo ipſe ſentis in materia ineſſe, ſi hîc
à me diſſentias? Nihil certi determinans, *id*, inquis, *quod, qua-
lecunque etiam ſit, tranſit in formæ beſtialis ſubſtantiam, ſive ſit
alia quadam ſubſtantia incompleta, eſſentiâ ſpecificâ à producenda
differens, ſive ſint accidentia, quæ ad diſponentes formas reducun-
tur, ſive utraque ſimul. Et, ſi hoc ſtatuatur*, quæris, *quid inde abſurdi*
25. *poſſit emergere?* Equidem ſubſtantiam quandam incompletam &
ipſe ego ſtatuo, quæ eſſentiâ ſpecificâ à producenda diſtincta ſit,
ut jam ſtatim commonſtravi. Sed quid abſurdi emergit, ſi
hæc ſubſtantia dicatur ipſa forma, non ſub eſſe ſuo formali, ſed
ſub eſſe entitativo ſpectata, quæ poſtmodùm in generatione ſpe-
cificam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

cificam formæ eſſentiam induat? aut, quâ ratione, quæſo, hæc alio ſenſu poteſt concipi? Vel an credis illam ſubſtantiam incompletam, quæ in compoſito formæ rationem ſuſtinet, ne quidem ſubſtantiæ incompletæ perfectam rationem ſuſtinuiſſe priùs in materia, ſed ſolummodò ſecundùm *eſſe inchoatum & imperfectum*, hoc eſt, ſecundùm gradus quoſdam ſuæ entitatis in eadem extitiſſe, at per generationem demum incepiſſe eſſe in materia ſecundùm incompletæ ſubſtantiæ *eſſe ſubſtantiale completum* & conſummatum? At quæ neceſſitas urget, ſtatuere ejuſmo- 26.
di inchoationem *eſſe ſubſtantialis* ſubſtantiæ alicujus incompletæ? Quin imò, quâ ratione talis inchoatio concipi poteſt? An etjam ſubſtantiæ gradus intenſionis & remiſsionis habent? Vel quid tandem intelligis per *ſubſtantiam incompletam, eſſentiâ ſpecificâ à producenda differentem?* Quod verò accidentia attinet, ea 27.
quidem in formas ſubſtantiales mutare haud minùs infinitæ virtutis crediderim, quàm ſubſtantiam ex nihilo producere. Cùm enim accidentium eſſe ſit ineſſe, adeóque in ſe ipſis proprium eſſe non habeant, ſi quidem ex iis fierent ſubſtantiæ, reverà ex non eſſe ad eſſe tranſirent. Quicquid ſit, nihil aſſerendum in Philoſophia puto, purè quidem philoſophicum, quod clarè & diſtinctè nequeat ab aſſertore concipi. Et unde tandem materia ejuſmodi 28.
accidentia obtineret, (cui ſanè ex propria natura nullum accidens convenit, præter unicam quantitatem, quam & ipſam nonnulli à materiæ ſubſtantia non diſtinguunt,) niſi beneficio ſubſtantiæ alicujus alterius eidem junctæ? Et quæ tandem cauſa materiam diſponeret, ac variis rerum naturalium ſpeciebus organa, (in viventibus ſaltem,) ſuis operationibus convenientia, formaret in generatione, cùm accidens non agat niſi virtute alicujus ſubſtantiæ. Vel, an materia ſe ipſam concinnabit in naturale corpus? Vel an fortè à cauſa aliqua externa ipſi materiæ diſpoſitio & conformatio contribuetur? At cùm eæ ſint naturæ operationes, ab interno principio dependere eſt neceſſe. Ut ergo quæſtio- 29.
ni veſtræ ſatis fiat: Ego equidem utraque in materia actu entitativo ineſſe ſtatuo; ſubſtantiam nempe aliquam incompletam, qualem antè expoſui; & accidentia, quæ ad diſponentes formas reducuntur, à ſubſtantiis aliis, ſimilibus prædictis, quaſi formis ſubordinatis, dependentes. Talibus autem ſubſtantiis in materia

 negatis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

negatis, manet omnino robur mei argumenti, ut ex dictis patet,
quo ad talem mutationem, qualem præſupponimus, infinitam
30. requiri virtutem intuli. Ac vides ergo nodos, qui te conſtrictum
tenebant, à me, ni fallor, diſſolutos, ut nihil jam obſtare videa-
tur, quò minùs tutò in meam ſententiam condeſcendas. Certè
dubia, quæ mihi propria habebam, hactenus non tetigiſti. quæ
nulla quidem metuebam ſummopere à Philoſophis; ſed ab iis
quædam præconcipiebam, qui univerſa noſtræ myſteria Religio-
nis ad humanæ normam rationis revocare non verentur: ſed ea i-
pſa quoque tandem minùs urgent; & illis meis Adverſariis, à
quibus novas machinationes metuebam obiter, ex parte os jam
credo obturatum. Reverà autem tuis argumentis me in ſententia
mea multò certiorem reddidiſti; ut meritò pro amiciſſima hac
31. collatione eò tibi gratias majores agam. Progrederis ad Diſſert.
de Anim. Hum. Subſt. ubi animarum in homine diverſarum, (ut
loquendi mos eſt apud Philoſophos, propriè enim non ſunt re-
verà animæ diverſæ, ſed ſaltem ſubſtantiæ realiter diverſæ, vid.
quæ noſtra mens ſit cit. diſſert. à § 89. uſque ad finem,*) harum,
inquam, in homine diſtinctionem evertere conaris, evertendo
mea argumenta: Duabus autem aïs me uſum rationibus. 1°. *Quòd
à Philoſophis animæ tribuantur duæ facultates*, &c. 2°. *Quia anima
rationalis non ex ſemine traducitur, ſed corpori poſt convenientem
apparatum, (ab anima aliqua præſtandum,) ſupervenit, idq́; ut ce-*
32. *lebriores quiq; volunt, circa quadrageſimum diẽ circiter.* Antequam
ad hæc objectiones tuas perpendamus, nonnulla præmonenda
ſunt. 1° Non ex autoritate Philoſophorum, utut nobiliſſimorum,
me veritatem Philoſophicam eruere conari; ſed ipſam veritatem,
per ſe ratione ſolida ſuffultam, autoritate etiam Philoſophorum
illuſtrare. Rationes ergo ſæpenumerò ex Philoſophis nobiliori-
bus adduco, ne nimium propriis conceptibus ac rationibus vi-
dear tribuere, utque eà ratione tutò queam novaturientis animi
33. ignominiam evitare. 2°. Nonnulla hîc ſimpliciter me præſuppo-
nere, quæ ſciebam eſſe in confeſſo apud Adverſarium meum,
contra quem imprimis Diſſertationem illam adornavi: quæ cùm
fotaſſis aliis ſint dubia, ſuo tandem loco evidentiùs demonſtra-
bo, nempe Diſſertationibus, quas nunc ſubjicere inſtituo, de A-
nim. Hum. Origine. At interim nec deſunt rationum ſemina in
præſenti

* confer. diſſ. de anim. hum. union. cum corp. à § 56. uſque ad § 64.

præſenti Diſſert. quibus, quod in dubium vocatur, ſat queat confirmari ſolidè: ut ad Objectiones tuas mox patebit. 3°. Nec illud 34.
prætermitti debet, non citatis ſolùm à te rationibus duabus, me ſententiam firmare meam; ſed multò pluribus, &, quantùm ipſe judicare queo, longè urgentiſſimis. Expende, quæſo, animo attentiore, quæ poſui paſsim à § 57. uſque ad § 74. item à § 54. vel paulò antè, uſque ad § 56. & alia ſparſim interjecta autoritatibus adductis, nec dubito quin iis tibi oriatur nodus. Sed veniamus ad 35.
Objectiones. In priori argumento arguis fallacem conſequentiam. At reverà argumentum meum perperam aſſumis. Non enim inde, quòd dicatur facultas rationalis & irrationalis in homine, colligo diverſitatem animarum; ſed, quòd reverà ſint in ipſa anima contraria, (quod rationibus, experientiâ, & autoritatibus Philoſophorum ac Theologorum confirmo à § 22. uſque ad § 29.) exinde colligo, non eſſe ſimplicem in homine ſubſtantiam, quæ appellatione animæ indigitetur, ſeu, ad quam omnes facultates primò ac per ſe pertineant. Sed, inquis, *dici ani-* 36.
mæ facultatem ἄλογον, *quatenus anima inſtar brutorum ſenſum ſequitur, adeòque ab hoc ſæpe tranſverſum rapitur, non in conſilium adhibitâ ratione*; λογικὴν *verò, quatenus ratione præviâ aliquid appetit*. Nempe, hæc quoque mea eſt ſententia; veluti ſenſitiva anima in homine, ob communionem cum rationali, rationis particeps dicitur, quando ductum ejus ſequitur; ita rationalem quoque ſeu mentem hominis rectè irrationalem dici, ſi dictamen ſenſuum ſequatur, feraturque equis auriga. Non autem unam eandemque facultatem ſeu animam ita diverſimodè appellari à Philoſophis, (quod tu intendis,) ex Philoſophorum Principe Ariſtotele ſat manifeſtum dedi, citato à me loco § 26. ubi *duplex* id pronunciat *quod rationis particeps eſt: alterum quidem principaliter, & rationem habens in ſe ipſo; alterum veluti quod parentis dicto audiens ſit*. Quam duarum in anima partium, reipsâ ac ſubſtantialiter diverſarum, diſtinctionem, Calvinus apertiſsimè innuit cit. à me loco § 27. Quod autem Burgerſdicium attinet, ejus ſanè 38.
autoritas, à te citata ex Philoſ. mor. cap. 7. th. 8. planè contra te facit: quippe ille inter τὸ λογικὸν καὶ τὸ ἄλογον, id quod rationale eſt per ſe, at à ſua ratione poteſt abduci, & id quod per ſe rationis expers eſt, at rationi ſeſe poteſt accommodare, manifeſtè diſtin-

 guit:

guit: atque hæc quidem duo *diſtinctas* diſtinctorum appetituum *ſedes* efficit, quod ſanè abſurdum foret, ſi una tantùm eſſet animæ
39. facultas, quæ non niſi diverſo reſpectu à ſe eſſet diverſa. Sed quæ ſit Burgerſdicii hac de re ſententia, luculenter apparet in ejuſdem Colleg. Phyſ. Diſp. 31. th. 1. ubi τὸ λογικὸν *in homine reipsâ differre* aït *à parte rationis experte*, (ac alioqui ſanè non poſſent eſſe diſtinctæ ſedes, ut eſt loco à te citato,) *quod etiam*, inquit, *illi agnoſcunt, qui trium animarum reipsâ diſtinctarum ſocietatem in homine rejiciunt.* (Quod quidem in Calvino apparet loco à me cit. § 27.) Quâ autem ratione hæc ſententia cum ſimpliciſſima univerſæ animæ noſtræ eſſentia poſſit conſtare, certè nondum capio:
40. Atque hanc meam difficultatem innui § 28. Sed vel ipſa tua verba veritatem ſententiæ meæ confirmant. Nempe, *animam*, inquis, (rationalem intelligo, quam ut rectè ſimplicem, ita inſuper ſolam & unicam in homine concedis,) *inſtar brutorum ſenſum ſequi, adeóque ab hoc ſæpe tranſverſum rapi*, &c. Sed an non ſenſus eſt ipſius animæ facultas, adeóque vel ipſa animæ eſſentia, vel eidem ſaltem penitus eſſentialis? Aut quem actum tribuis materiæ vel organo, præter eum, qui eſt animæ eſſentia? An etiam pura materia ſuam formam in tranſverſum rapit, niſi alio aliquo ipſa materia actuata ſit, quo ſaltem ſecundùm operandi modum impellatur, ſecus atque forma ſpecifica impellit? Aut ſi organa ſenſuum per rationalem actuata, ipſam animam tranſverſum rapiunt, utique à ſemetipſa rationalem animam tranſverſùm abripi neceſſe eſt: Adeóque vera contrarietas, quam antea urgebam, vel per ſolutionem tuam magis confirmatur. Primum ergo argumentum hactenus immotum eſt.
41. Pro ſecundo vero enervando, quæris 1°. *ſi anima ex alia, ut lumen de lumine, propagari*, 2°. *vel in ipſo conceptionis momento infundi, nec ad hoc à Deo quadrageſimum diem exſpectari cenſeatur: quid cauſam meam juvare queat tanta rationum congeries, huic uno fundamento innixarum, quòd anima circa quadrageſimum diem infundatur? præſertim cùm hujus* αἰτήματος *tam controverſi nullam certam ac evidentem rationem dederim?* Ad quæ ut ſatisfiat: pro primæ quidem quæſtionis ſolutione vid. Diſſert. 2. de Orig. hum. anim. * At pro ſolvenda quæſtione altera confer. Diſſ. 3. de Orig. anim. ** quam mox exhibebo. Certè quadrageſimum diem

* à § 35. uſque ad finem, ac ſpeciatim ib § 48.
** § 51 & ſeq. ubi ad

diem ipſe adeò exactè non definio, ut ibid. in progreſſu manifeſtum eſt: at interim cur nequeat dici, ipſo conceptionis momento infundi rationalem animam, rationes ſolidas ibid. deſignabo. (hanc noſtram, quæ eſt de anim. hum. ſubſt. Lectorem remitto.)
Nec tamen interim omnes meæ rationes, quibus ſenſitivam animam in homine demonſtro, ſubordinatam menti, huic uni fundamento innituntur, (ut ipſe urges perperam,) ſed ſolida ſanè ratio eſt, quòd anima non niſi in formatum corpus infundatur, cujus quidem ipſamet formatrix cauſa intus ſit: Et expende, quæſo, rationes reliquas, quas ſuprà ſignavi ſaltem indice, ac longè aliter comperies. Reſtat tandem una difficultas, ab experientia deſumpta, quæ tibi ſemper viſa ſit præcipua. Pulchra ſanè, & quæ pleniorem meretur, quin imò requirit, expoſitionem, ut, ſi queam hanc diluere, quæ potiſſima videtur, reliquæ exinde leviores ultro appareant. Eam ergo, vice Corollarii, tertiæ de Orig. Anim. Diſſertationi ſubnectam. 42.

Accipies autem hæc, quo ſoles, à me animo, quæ inter varias Profeſſionum mearum curas, quà publicas, quà privatas, ſat feſtinanter, & Minervâ fortè rudiori, ſunt in album conjecta: & ſi quid porrò dubii ſuperſit, in eo amicitiæ noſtræ confabulationis novæ anſam præbe. Vale, Vir Clariſſime, & amiciſsime; & perpetuo deinceps me amare perge. 20. Xbris. 1644. 43. 44.

Objectiones Tertiæ.

ANTONIO DEUSINGIO

JOANNES SANTES.

S. P.

Binas tuas, Vir Excellentiſſime, accepi literas; unas cum tribus Diſſertationibus de Anim. hum. orig. V. Iduum Febr. alteras verò cum duabus de Anim. hum. tum immortalitate, tum unione, prid. Calend. Martii. In utriſq; reſponſionem quidem maturandam urges: ſed id nunc demum facere licuit. Adhuc verò experior, verum eſſe id Poëtæ.

Diſſentire

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

——Diſſentire duobus
Incolumi licuit ſemper amicitiâ.

Mentis aliqua diſſenſio affectus noſtros nondum diſtraxit, nec ſpero, ſi ſapimus, diſtrahet. Sed ad rem, idque quantum fieri poteſt breviſſimè:

2. Quemadmodum meæ inſtantiæ te in ſententia tua confirmant, ut ſcribis: ſic & me in contraria tuæ. Nondum enim video, quomodo iſtum entium modum, quem conjunctionem formæ cum materiâ dicis, & inter ea refers, quæ accidentibus veris ſuperiora ſtatuis, imò an reverà à ſubſtantia, reipſa diverſa ſint, dubitas, à creaturâ ex nihilo ipſius produci poſſe, ut *aliquid*; & tamen ab eadem verum accidens, quod verum & reale ens eſt, originem trahere non poſſe aſſeras, hac de causâ, quia enter verum ens & nihil ſit infinita diſtantia. Si enim id, quod inferius eſt, excluditur à potentia & efficacia creaturarum, quare non majorem ob cauſam, eximetur ab illius poteſtate, quod majus eſt? cùm quod majus eſt magis à nihilo diſtare judicandum ſit, quàm quod minus eſt; aut ſi id, quod majus eſt, infinitâ diſtantiâ à nihilo non differt, nec minùs, licet verum & reale ens, differet, adeóque creaturam illius authorem eſſe poſſe, ratio illa non obſtabit. Deinde

3. (ut jam nihil dicam de illa differentia generationis & creationis, quæ à ſubjecto ſumitur, quod in illa, non in hac locum habeat; quàm refellit creatio ſecunda, ut hominis primi, & quævis ſubſtantiarum mutatio miraculoſa, in quibus ſubjectum utique locum habet, nec ſenſibile ſubjectum idem, hoc eſt, eâdem ſpecie manet, nec tamen generationes ſunt,) ſi in generatione producitur verum ac reale ens, quod ſecundùm eſſe ſpecificum & ſubſtantiale, non erat antequam produceretur, non video, quomodo inde non ſequatur benè, id ante ſui generationem non fuiſſe, non quidem ſimpliciter nihil, (id enim ex tuâ argumentatione non elicui,) ſed nihil videlicet ſui, prout hoc ipſe doces, ubi optimâ diſtinctione demonſtras, quare inter nihil ſecundùm quid & aliquid non ſit infinita diſtantia, & tamen inter nihil ſimpliciter & ens verum ſit diſcrimen infinitum; & ſic, quare ex nihilo ſecundùm quid poſſit naturaliter aliquod ens verum & reale fieri, cùm ex nihilo ſimpliciter idem à finita causa non poſſit produci.

4. Sed tum hac diſtinctione nodos inſtantiarum mearum non ſol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

vis, ſed magis adſtringis; imò nodos tuos quibus lectorem conſtringere conabaris, ipſe ſolvere doces. Rationatio tua, remoto ſchemate rhetorico, & defectu Enthymematum expleto, ſi benè intellexi, hæc eſt. Si formæ brutorum ſubſtantiales Mundo non ſunt coævæ, ſed quotidie adhuc à creaturis generantur, tunc producuntur ex nihilo. Atqui non hoc. Ergo nec illud. Minor probatur. Formas ſubſtantiales ex nihilo producere eſt infinitæ virtutis, non finitæ. Atque Creaturæ ſunt finitæ, non infinitæ virtutis. Ergo formæ ſubſtantiales à creaturis ex nihilo non producuntur. Ratio hujus Majoris: Quò longiùs potentia ab actu diſtat, eo major requiritur virtus agens. Atque forma illa producenda ex nihilo, tanquam potentia pura, infinitè diſtat à producta tanquam actu. Ergo & ad illam producendam requiritur virtus infinitè agens. Ratio hujus Minoris. Inter Ens & nihil intercedit infinita diſtantia. Atqui forma antequam producatur eſt nihil, quæ producta eſt ens. Ergo inter producendam & productam
eſt infinita diſtantia. Applicetur jam prædicta tua diſtinctio, ap- 5.
parebit omnes ſyllogiſmos laborare paralogiſmo ſecundùm quid 1°. dico: Si formæ ſubſtantiales non ſunt Mundo coævæ, ſed generantur quotidie, tum producuntur ex nihilo ſui, & ſic ex nihilo, ſecundùm quid, 2°. formas ſubſtantiales ex nihilo ſimpliciter producere eſt infinitæ virtutis, non finitæ. 3°. Forma producenda ex nihilo ſimpliciter tanquam pura potentia differt infinitè à producta ut actu: non autem forma producenda ex nihilo ſecundùm quid. 4°. Inter ens & nihil ſimpliciter eſt infinita diſtantia, non inter illud & hoc ſecundùm quid. Vides quemadmodum ex ſilicum conflictu ignis; ſic ex hac rationum, inſtantiarum & reſponſionum commiſtione, hæc veritas tandem & tantùm reſultaverit à me ſemper conceſſa, quòd nempe formæ ſubſtantiales non ex ſimpliciter nihilo producantur, ſed ex nihilo ſui. Nam quando forma non ſolùm ſecundùm eſſe reſpecti- 6.
vum, ſed & ſpecificum & ſubſtantiam dicitur generari, non docetur, quod ex ſimpliciter nihilo, nullo etiam ſuppoſito ſubjecto, fiat. Fit enim præſuppoſitâ materiâ: fit etiam ex aliquo ſecundùm quid, quatenus è potentia materiæ educitur, imò quatenus forma prioris ſpeciei (quam incompletam vocavi, quia ad complendum compoſitum ordinata eſt,) quæ corrumpitur

(quatenus generatio unius eſt corruptio alterius & vice verſâ) tranſit in formam alterius, non quidem deſerendo entitatem ſuam, ſed ſpecificum eſſe, imò & numericum, (ſi modò illa regula Logicorũ vera ſit; quæ ſpecie differunt & numero differunt,) ut, forma ſubſtantialis alimenti in formam ſeminis, hæc in formam ovi, hæc in formam pulli. Et cùm hoc fieri dicitur, quid inde abſurdi oritur? An adhuc ſuperiores tuæ rationes contra formarum iſtarum productionem militare poterunt? Apud me certè nondum potuerunt. Adeóque quia iſta optimè, meo judicio, concipio, & quidem ſine contradictionis implicatione, iſtam mu-
7. tionem nec antehac aſſerere veritus fui, nec adhuc vereor. Quod autem de accidentibus aut diſpoſitionibus materiæ dixi, non eò dixi, quaſi putem, ex iis aut ſaltem ſolis formas ſubſtantiales elici, ſed ut docerem, ſi id ſtatueretur, non tamen inde colligi, formas ſubſtantiales, ex ſimpliciter nihilo productum iri. Sunt enim reverà aliquid, imò ſunt vera accidentia, adeóque inter illa & formas infinita diſtantia non datur. Quare ſi talis mutatio daretur, licet eorum eſſe ſit ineſſe, tamen ſi ex iis fierent ſubſtantiæ, non à non eſſe, ſed ſolùm ab eſſe imperfecto (ineſſe enim includit eſſe,) ad eſſe perfectius fieret tranſitus: Et ſic ſaltem rationes tuæ, ſuperiùs repetitæ, & enucleatæ, nihil contra hanc mutationem poſſent, ut ex iis, quæ ſupra dixi, ſatis, meo judicio, patet.
8. Reliqua ut examinem huc facientia, non opus eſt, quia theſis de accidentibus, accidentalibuſque diſpoſitionibus merè fuit hypothetica, tantùm ad infringendas conſequentias rationum allata, quemadmodum & illa de creatione. Nam quod ad hanc attinet, tecum & cum omnibus ſanis Philoſophis hactenus ſtatui & adhuc ſtatuo, ſive prima ſive ſecunda ſit, ſolius Dei eſſe; ſed ex eodem tecum fundamento id ſtatuere nondum audeo. Ideoque hujus conſequentiam negavi, & adhuc nego. Nec ſubſidium quod à cauſa totali petitur, illam juvare poteſt. Nam in ovi generatione avis & Sol habent ſe ut cauſæ totales ſubordinatæ Deo, ut cauſæ ſupremæ, nec æquali tamen virtute concurrunt illæ cauſæ, quâ Deus. Illæ enim virtute finitâ proportionatâ tamen ſubjecto patienti: Deus v. infinitâ, quæ niſi illarum cauſarum, licet totalium, defectum ſuppleret, nulla ovi generatio ſuccederet.
9. Vides igitur, quòd cauſa aliqua poſſit eſſe totalis effecti, licet non
æquaſi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

æquali virtute cum prima concurrat. Ideoque ut antehac quoq;
monui potiùs in hac ratione acquieſco, quod nempè in cauſis &
effectis, ſeu potius agentibus & actionum ſubjectis, requiratur
mutua quædam proportio potentiæ activæ agentis & paſſivæ
patientis, quæ ſi defuerit in utroque, vel ſaltem in alterutro, ef-
fectus non ſequatur. Sic quia ignis habet potentiam activam
comburendi lignum, quod & habet potentiam paſſivam reci-
piendi combuſtionem, hinc cæteris paribus, ſequitur effectus:
at quia aurum combuſtionis non eſt capax, nec ignis ad idem
vim habet activam, illud manet integrum. In ſumma: in re con-
venimus, ſed in modo probandi differimus, quod æquo animo
ferre mutuò debemus.

Nunc ad animæ ſubſtantiam tranſeamus. Vidi quidem, te 10.
pluribus, quam quas ego obiter examinandas ſumpſi, rationibus
uſum eſſe. Hinc non dixi, te tantùm duabus iſtis rationibus, ſed
præcipuè iis uſum fuiſſe; verùm quia partim mihi otium non e-
rat, ſingulas examinare, partim quia judicabam, ſi inſtantias
meas, quæ iſtas concernunt, ſat validè infringeres, faciliùs eſſe,
quæ reliqua argumenta tangunt, à me ipſo diſſolvendas. Quas
fortè alio tempore proferam, ſi *illæ* mihi immotæ, ſaltem meâ
opinione, manſerint. Meâ opinione, dico, quia in Diſputatio-
nibus, non ſemper & quæſtioni & quærenti ſatisfit; verùm nunc
quæſtioni quidem, ſed non quærenti; nunc quærenti, ſed non
quæſtioni; nunc neutri. Sed ad rem, & quidem miſſis authorita- 11.
tibus, quas examinare vel conciliare nimis prolixum eſt, & qui-
dem cum exiguo in Philoſophicis fructu, & maximo temporis
detrimento. Ad primum argumentum, à duabus animæ faculta-
tibus ſumptum, dixi, quod veram contrarietatem tollat diver-
ſus reſpectus, quem Burgerſdicii authoritate non tam probavi,
quàm illuſtravi; licet ille fortè eſſe realem formarum differentiam
alibi ſtatuerit, quod hac in re nihil facit ad rem ſeu propoſitum
noſtrum. Sufficit quòd ita declaret duas facultates, ut reſpectum
diverſum agnoſcat. Diverſum autem reſpectum veram contra-
rietatem tollere, quis non Philoſophorum concedit? Hinc u-
tramque facultatem, quæ oppoſitionem propter diverſos reſpe-
ctus exuit, in ſimpliciſſima anima inveniri ſine ipſius diſtinctione
facilè capio. Annon ignorantia & ſcientia ſunt verè contraria? 12.

Et tamen reſpectu diverſorum in eadem ſimpliciſſima anima locum habere poſſunt. Annon aptitudo ad intelligendum & ineptitudo, quæ per ſe ſunt duo contraria, in eadem pueri anima inveniuntur, quam tamen contrarietatem diverſus reſpectus tollit? Quod enim ad potentiam primam attinet, quæ ab anima immediatè emanat, & illa eſt in anima infantis, qui ne quidem inter dextrum & ſiniſtrum diſtinguere poteſt. Jon. 4. Quod autem ad potentiam ſecundam attinet, quæ à diſpoſitione organorum pendet, quia anima infantis adhuc iſtâ deſtituitur, hinc inepta ad

13. intelligendum meritò dicitur. Sed ſumamus exemplum, quod propiùs aliquanto ad cauſam noſtram declarandam facit. Annon in malis Spiritibus fuit facultas ſequendi integræ rationis ductum, quæ animæ facultati λογικῇ reſpondet; item, teſte experientiâ, facultas ſequendi ὁρμὴν quandam à rationis dictamine alienam, quam ἄλογον dicere poſſumus, ſimili animæ facultati reſpondentem? At quia duplex hæc in illis fuit, hinc contraria in illis vera fuiſſe, quis jure dicet? aut, quod amplius eſt, hinc duplicem ſubſtantiam ſpiritualem in illis eſſe colliget?

14. Sed videamus, quid ad arguendam veram contrarietatem argumentum tuum valeat, per retorſionem ex meâ conciliatione deſumptum. Sit ſenſus. (quatenus pro facultate ſumitur, non pro actu,) ipſius animæ facultas, ſit etiam ipſi eſſentialis (nempè à poſteriori, quatenus nempe eſt facultas animæ, ab ipſa immediatè & neceſſariò emanans) eadem etiam anima ſe ipſam in tranſverſum rapiat, occaſione ex ſenſitivæ facultatis actibus accepta, quatenus jucunditate objectorum titillatur, quæ rationis ductum, ſecundùm quem honeſtatem ſpectat, ſecuta, id non faceret; an hæc abſurda videbuntur? imò an eadem in ipſa anima veram contrarietatem ponent? Ego certè propter violatas verorum contrariorum conditiones, nullam contrarietatem hîc in-

15. venio. Applica hîc etiam (cæteris tamen paribus; nam in illis objecta ſenſuum, quà talium, locum non habent,) id, quod de malis Spiritibus attuli, & videbis, ſi illi Spiritus contra dictamen rationis potuerunt ex objectorum, facultate cognoſcente perceptorum, occaſione à ſe in tranſverſum rapi, animam quoque dulcedine rerum ſenſualium allectam contra dictamen rationis à ſe ipſa in oppoſitum abripi poſſe, ſine ulla contrarietatis implicatione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

catione. Sed quid opus eſt hoc ſimili? ipſe in Coroll. ad Diſſertationem tertiam de An.hum.orig. tale quid, aut ſaltem ſimile, ſi modò rectè mentem tuam percepi, in anima ipſa agnoſcis, ubi inquis, quandoque mentem hominis ſe ipſam ex compaſſione naturali à materiâ ſeu facultatibus materialibus abducere ſibi non indulgere; ſed blanditiis corporeis tenaciter adhæreſcere. Et paulò poſt, mentem in luctâ, inquis, partim in ſe ipſa operari, partim in Phantaſiam eſſe intentam. Quod ad primam meam in- 16.

ſtantiam, quam contra alteram rationem tuam non ex mea, ſed ex aliorum opinione attuli, attinet, illam multis, iiſque gravibus incommodis in tuâ Diſſert. 2ª. de Anim. hum. orig. oneras, & onerando opprimis ac ſuffocas, niſi illius opinionis propugnatores illud periculum effugerint hoc κρησφυγέτῳ, quòd, ut ratio operationum rerum ſpiritualium, ſpiritualis eſt, ſic etiam nobis ſit incognita, nec actionibus rerum corporearum menſurabilis, adeóque ex harum differentiis ſublatis & remotis, remotio rei, ſeu operationis animæ ſpiritualis non ſequatur; quemadmodum noſtri Theologi non ferunt à rerum naturalium generationibus ad evertendam generationem Filii æternam procedi. Magnum momentum tuis rationibus addideris, ſi quomodo huic exceptioni occurrendum ſit, docueris. Præterea, quia tempus infuſionis animæ rationalis tantùm ex hypotheſi Adverſarii tui antea urſiſti; nunc verò in Diſſertat. 3 de Anim. hum. orig. incertum ſtatuis, non eſt, quòd de eo, aut iis, quæ illo nituntur, ampliùs quid agam. 17.

Ultimam difficultatem, ad animarum ἑνότητα arguendam, à me 18.
in medium productam, in Coroll. ad dictam diſſert. ita acutè tractâſti, ut niſi nervum hypotheſium tuarum, ibidem aſſumptarum aut poſitarum, quis inciderit, argumentum illud planè omnem vim amiſerit. Illud autem tentare tricæ noſtræ ſcholaſticæ ac triviales, quibus me quotidie implicatum eſſe noſti, non concedunt. Fortè aliàs, Deo volente, tentabitur, quando licebit mentem à trivialibus aliquanto liberiùs avocare, & ad ſublimiores exercitationes attollere. Utinam ſæpius liceret, quam licet! Interim hæc pro tua æquitate in optimam partem interpretaberis, & pancraticè cum tuis valebis, amiciſsimè à Dn. D. Monhemio ſalutatus. Veſaliæ. XVI. Calend. April. CIƆ IƆ C XLV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Reſponſiones Tertiæ.

IOANNI SANTENO

ANTONIUS DEUSINGIUS

Ὑγιαίνειν.

1. Veritatis ſtudioſi ſumùs ambo, vir Reverende ac
Clariſsime, ac pacis & amicitiæ mutuæ ſtrenui
cultores haudquaquam contendendi ſtudio
contendimus: quid mirum ergo, dum ad unum
eundemque veritatis ſcopum utrique collima-
mus, incolumi licere nobis amicitiâ diſſentire.
Philoſophi certè non eſt, ob ſententiæ alicujus diſcrepantiam a-
nimi divortium moliri ab Amico. Et ſi quidem jam aliquanto
propiùs ad invicem accedere videmur, in origine formarum na-
turalium deſignanda, (quippe *in re ipſa* tandem cernis nos con-
venire, at differre in probandi modo,) videamus, quæſo, an & re-
liquum, quod intereſſe putas hactenus diſcriminis, amicâ ani-
2. morum inclinatione queat expediri. Ut verò ordine negotium
aggrediar: Primum quidem, præter meam mentem mea intelli-
gere videris, quando *Entium iſtum modum, quem conjunctionem
formæ cum materiâ appello, enter ea me referre*, ais, *quæ accidenti-
bus veris ſuperiora ſtatuo*, &c. Contrarium ex meis planum eſt:
Quippè, cùm tu dicas, modos entis, vel relationes, ac ſimilia, eſſe
aliquid accidente inferius; ego quidem ea ipſa accidentia ſimpli-
citer pronuncians, *reliqua*, (NB), *reliqua*, inquā, *quæ præter modos
entis, relationes, & ſimilia ſunt, ac tamen inter accidentia cenſen-
tur*, (nempè Quantitatem & fortè aliquam Qualitatis ſpeciem,)
veris accidentibus ſuperiora potiùs appellarem. Potiùs addidi:
quippè hæc mea eſt ſententia, ſi quidem inter ea quæ ſubſtantiæ
non ſunt, vel ſaltem non eſſe creduntur, diſtingui debeat aliquid
accidente inferius vel ſuperius, à vero accidente, potiùs pro veris
accidentibus habendos eſſe *modos entium, relationes, & ſimilia*,
(nempe ea quæ vera entia non ſunt, attamen *aliquid* quod veris
entibus

entibus accidit,) quàm ea, quæ an ipſa ſint ſubſtantia, nec ne, (velut quantitas, potentia naturalis, & ſi quid inſuper,) etiamnum diſceptari ſolet: adeóque, præſuppoſitâ illa tuâ diſtinctione, hæc potiùs veris accidentibus ſuperiora dicenda eſſe ſtatuo. Corruit ergo tota veſtra argumentatio, quæ hypotheſi, velut à nobis conceſſæ, attamen noſtræ menti minimè congruenti, ſuperſtruitur.

Quod ad ſecundam attinet: I°. diſtinctionem illam non admittis, 3.
à ſubjecto deſumptam, quâ creatio à generatione differre ſtatuitur: ac ita tacitè innuere videris, poſſe etiam, (ſaltem in ſecundaria creatione,) creationi divinæ ſecundam aliquam cauſam ſubordinari, nempe, quæ non habeat æqualem virtutem cum causa prima. Sed hanc ſubtilitatem jam antè prævidebam: quare mox difficultatis ſolutionem talem addidi: ſcilicet, ne quidem in ſecundariâ creatione cauſas ſecundas eſſe ſubordinatas, quatenus ea creatio eſt; ſed tantùm, quatenus Deus, dum ſolus Creationis actum exercet, interim ſecundas aliquas cauſas impellit ſecundùm naturam iis inſitam, quà naturaliter (naturaliter, inquam,) agunt vel patiuntur, ſeu, ut mea verba habebant, quatenus naturalis aliqua actio vel paſſio cum ipsâ creatione, (quæ ſolius Dei eſt, & à quâ omnes cauſæ ſecundæ excluduntur,) eſt implicita, quæ quidem naturalis operatio ab ipſa Dei creatione, ſeu productione ex ſimpliciter nihilo, eſt diſtincta. Atque hoc quidem denuo adeò 4.
verum eſt, ut iis, qui in conſtituto naturæ ordine, præter illam Dei circa res naturales conſtitutas operationem, cui cauſæ ſecundæ ſubordinatæ ſint, nihil inſuper operationis ejuſdem, quod cum nulla cauſa ſecunda communicet, agnoſcunt, ii, inquam, ne quidem ullam miraculoſam ſubſtantiarum mutationem admittant. Teſtis eſt Galenus lib. 11. de uſu part. cap. 14. qui ex illa hypotheſi, *neque ſi Creator lapidem repentè voluerit hominem efficere, id in illius poteſtate eſſe ſitum aſſerit*: nec concedit, poſſe Deum, ſi velit, ex cinere bovem vel equum facere; ſed eſſe quædam, inquit, quæ naturâ fieri non poſſunt, ac talia à Deo minimè attentari. Similia ex Seneca & Plinio citata à nobis vid. Diſcurſ. Phyſ. de Mund. Diſp. 2. q. 1. § 14. 15. Dico ergo, ſecundam 5.
creationem involvere primam, nempè eam quæ ex ſimpliciter nihilo eſt, ac ideò ſecundam appellari, quòd cùm prima, quæ ſoliùs Dei eſt, nullo concurrente ſubjecto vel causâ ſecundâ, ἐνέρ-

γεια

γεια quædam vel paſsio naturalis (naturalis, inquam, ſeu quæ ad creationem, quà propriè creatio eſt, non attinet,) concurrat. Atque ita Deus, quamvis ſecundariâ creatione primum hominem crearet, primariâ tamen interim ſine omni cauſarum naturalium concurſu creavit ejus animam rationalem; quin imò terræ pulverem primariâ creatione, (nempè tali actione, quæ in viribus naturæ non erat, ac in quâ ſecundis cauſis nullus tribuebatur locus, quatenus reverà aliquid, quod in univerſa naturæ poteſtate non erat, producebatur,) ita diſpoſuit, ut apta redderetur ad conjugium illud ſpiritualis ac corporeæ naturæ

6. Atque ita ſanè, quatenus conſervatio Dei eſt continua creatio, ita Deus, *immediate, ſolus*, ac ſine omni cauſarum naturalium concurſu continuè agit in hoc Univerſo; at quatenus interim Deus, immediatè conſervans, in naturam influit, hoc eſt, quatenus rerum naturalium effectus & operationes, quæ ab ipſo quidem Deo dependent immediatè, per cauſas tamen naturales proportionatas, ſimiliter à Deo dependentes, exercentur, ſic utique *non immediatè* à Deo proficiſcuntur omnia; ſed mediantibus cauſis ſecundis, tertiis, &c. quæ cum illa actionis Dei parte, Deo propria, quàm propriè creationem nominamus, non communicant. IIo.

7. Ut jam ad rem noſtram propiùs accedamus: Non attingis Elenchum: Quæſtio enim noſtra non eſt, An verum ens *ex nihilo ſui* à finita cauſa queat produci? Etenim, qui id negat, ille utique negat ad cauſas naturales generationem & corruptionem pertinere; ſi quidem *ex nihilo ſui* eo modo accipiatur, quo tu accipis: Nempe, dum modus entis, ſcil. unio formæ cum materia, quæ *verum ens* non eſt, at eſt tamen *aliquid*, à finita cauſa producitur, utique verum ens, ſcil. compoſitum ipſum, quà compoſitum, ex nihilo ſui producitur, quatenus antequã unio fieret, ſeu ante compoſitum, non erat actu compoſitum; ſed interim illud compoſitum, ſi accuratiùs velimus loqui, non producitur propriè ex nihilo ſui, quia & forma & materia, ex quibus fit compoſitum intercedente unione, ſunt aliquid ipſius compoſiti, & quidem partes eſſentiales, vera

8. entia, ac ſubſtantiæ incompletæ. Longè ergo alio modo, atque tu accipis, dicimus unionem formæ cum materia *ex nihilo ſui* produci à finita cauſa: nempè, non modò quatenus antè unionem non erat unio; ſed & quatenus antè unionem nihil erat, quod ad eſſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

eſſentiam unionis, quà eſt unio, requirebatur, utpotè quæ ſolummodò terminativè inter formam & materiam intercedit, non verò *ex* forma & materia fit. Et, cùm compoſitum reipsà non differat à materia & forma ſimul ſumptis & unitis, unio certè ab iiſdem differt: Adeóque quamvis unio non fiat, niſi veris quibuſdam entibus præexiſtentibus, non tamen fit ex veris illis entibus præexiſtentibus, ſeu vera illa entia non ingrediuntur unionis eſ-
ſentiam, quà unio eſt, ſecus ac compoſiti. [Vel ut clariùs enun- 9.
ciem. Unio ex nihilo fit. 1°. tanquam *ex termino à quo*, qui ut nihil eſt ipſius unionis, ita quoque non eſt quippiam reale, ſed mera unionis in abſtracto ſumptæ, negatio. 2°. Eadem ex nihilo fit, habito reſpectu *partium componentium*: intercedit enim quidem unio inter materiam & formam, atque hiſce ut ſubjecto denominationis attribuitur; at non componitur ex hiſce unio, ſed intercedente inter utramque unione fit ex iis compoſitum. Non fit autem ex nihilo unio, ſi intelligatur *è ſubjecto praeexiſtente*: Quippe cùm unio ſit accidens, materia & forma quoad ſubſtantiam præexiſtentis ſubjecti vicem gerunt, cui unio attribuatur. Compoſitum autem utut dici queat ex nihilo ſui fieri, ſi ratio habeatur termini à quo, terminus tamen ille non eſt mera compoſiti negatio, ſed ſubſtantiæ duæ incompletæ, (non poteſt enim compoſitum in abſtracto intelligi ſimiliter ac unio;) Adeóque compoſitum notione ſuâ includit partes componentes, ex quibus genitum ſit. Et cùm ipſum ſit ſubſtantia, præter partes componentes ſui aliquod ſubjectum non agnoſcit. Quamvis autem materia dicatur ſubjectum formę, non eſt tamen ſubjectum illius ex quo ſeu conſtitutionis; ſed ſubjectum in quo ſeu informationis, quo certè
modo impropriè ſubjectum appellatur.] Quęſtio ergo noſtra eſt, 10.
An verum ens, ſc. forma ſubſtantialis, produci queat à finita cauſa, ita ut non fiat *ex aliquo praeexiſtente*, vid. de orig. form. nat. (quæ nunc eſt in Theatr. Nat. Univ. part. 1. diſp. 7.) quæſt. 3. §. 7. Adeóque contra eos, qui ſtatuunt *non praeexiſtere in ipsâ materiâ aliquid formæ, v.g. vel partem, vel gradum, vel ſimile quid* (quod nos appellamus ipſam formæ futuræ ſubſtantiã,) *quod è potentia in actum ab agente educatur*. vid. ibid. §. 5. & conf. §. 14. & 22. h.e. contra eos, qui aſſerunt formas non modò ex nihilo ſui, ſed ex nihilo ſimpliciter fieri, infero, illud arguere in cauſis finitis infinitam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

11. virtutem, §. 9. & ſeq. Quamvis ergo diſtinctionem meam (quare inter nihil ſecundùm quid, & aliquid, non ſit infinita diſtantia, & tamen &c.) ac ipſam meam ratiocinationem univerſam rectè capias, reverà tamen ex iiſdem nodos, quos inſtantiis tuis adſtringebam, nondum ſolvis, cùm ad alium ſcopum, à propoſito noſtro alienũ, illa transferas. Ac vides ita non meos ſyllogiſmos, ſed tuam applicationem laborare paralogiſmo, vel à vero ſcopo derivare. Quòd ſi verò in re ipſa, ut teſtaris, convenimus, opportet utique hanc veritatem ultrò reſultare, quod nempe 1°. inter formas ſubſtantiales, (utpote vera entia,) & nihil ſimpliciter ſit infinita diſtantia. 2°. Adeóque has, ſi quidem non modò ex nihilo fui, ſed ex nihilo ſimpliciter ſint producendæ, non niſi virtute infinitâ poſſe produci. Hæc veritas ſi à te ſemper conceſſa fuit, hactenus utique ignoratio elenchi fuit commiſsâ; & probandi quidem
12. modum meum haud obſcurè hîc admittis. Sed evidentiùs ſingula excutiamus: Hoc ſaltem nobis concedis, *formas ſubſtantiales non ex ſimpliciter nihilo produci.* At ex quonam ſtatuis ergo eas produci? aut quidnam illud eſſe aïs, quod rationem formæ induit, *quando formam non ſolùm ſecundùm eſſe reſpectivum, ſed & ſpecificum,* (quæ duo nobis ſolâ ratione differunt,) *& ſubſtantiam generari* dicis? vel, ſi *formæ ſubſtantiam* in materiâ non concedas ante compoſiti generationem, quæ in generatione veram *formæ rationem*, vel *eſſe formæ ſpecificum* ſeu *reſpectivum* induat, quo quæſo argumento colligis formam ſubſtantialem non ex ſimpli-
13. citer nihilo produci? *Fit*, inquis, 1°. *præſuppoſitâ materiâ*. At quid hoc ad rem? Etiam rationalis anima humana, quamvis ſtatuatur fieri præſuppoſitâ materiâ, nempe creando infundi & infundendo creari, nihilominus tamen ex ſimpliciter nihilo, adeóque infinitâ potentiâ produci aſſeritur. Certè è materiæ ſubſtantia non credis, ut opinor, formæ ſubſtantiam produci: quod quidem multis refutari poſſet, ſed uno tantùm argumento, (utpote magno molimine indignum,) id amovimus quæſt. 3. §. 22. 2°. *Fit etiam*, inquis, *ex aliquo ſecundùm quid, quatenus è potentia materiæ educitur.* At ſic petitur illud quod eſt in principio. In eum enim finem laboramus, ac eo omnem noſtram ratiocinationem dirigimus, ut intelligamus, *Quid ſit è potentiâ materiæ educi?*
14. vid. cit. quæſt. 3. §. 2. & ſeq. Ac noſtra quidem hæc ſententia eſt,

eſſe

eſſe aliquid in materia, quoad ſubſtantiam, quod in generatione compoſiti eſſe ſpecificum formæ induat, eumque ad materiam reſpectum, quo materiam actuet, ac ita eſſentialiter forma evadat. Hoc ſi quis neget, infero eum formæ ſubſtantialis ex ſimpliciter nihilo productionem aſſerere, vel neceſſe habere, ut exponat, quid tandem illud ſit quod è nudæ materiæ potentia in actum educatur, ſi quidem ipſa materia non fiat ſui forma, nec pars ejus in formam vertatur. 3°. *Imò*, inquis, *fit ex aliquo ſecundùm quid, quatenus forma prioris ſpeciei, quæ corrumpitur, tranſit in formam alterius, non quidem deſerendo entitatem ſuam, ſed ſpecificum eſſe, imò & numericum.* Rectè hîc quidem una nobiſcum 15.
ſubſtantiam aliquam in materia largiris à materia diverſam, quæ ſecundùm entitatem ſuam ſit immutabilis, adeóque Mundo coæviterna, at interim rationem formæ & induat & exuat; hoc eſt, ſecundùm eſſe ſubſtantiale ſuum ſit perpetua, at ſecundùm eſſe formale pereat. Hactenus ergo re convenimus: ac contra talem formarum productionem militare nunquam ſum aggreſſus, quam propriis rationibùs omninò propugnavi. At interim in eo à nobis diſſentis, quòd omnium formarum quarumvis ſpecierum unam eandemque communem ſubſtantiam tradas, quæ aliud atque aliud ſpecificum eſſe induat atque exuat: quatenus *formam unius ſpeciei tranſire in formam alterius ſpeciei* ſtatuis, ſervatâ eâdem entitate. Sed quid ergo illud eſt, quod illi ſubſtantiæ 16.
varias ſpecificationes, aut ſpecificandi rationes addat? an inſùper variæ quædam formæ, ab illâ diverſæ ſtatuendæ ſunt, ſi quidem ipſa forma rei ſpecificationem tribuit? vel, dum forma unius ſpeciei tranſit in formam alterius, ſervatâ entitate ſuâ, an illa ſubſtantialis entitas per ſe ipſam à ſe ipſâ differt, vel an per aliud quid differentia illi additur? At id quod rem à re differre facit, illud utique forma eſt: Ergo forma unius ſpeciei, dum tranſit in formam alterius, aliquam formam exuit, & novam aliquam formam entitati ſuæ ſuperaddit. Sic autem fruſtra ac præter o- 17.
mnem rationem entia multiplicantur. Quin imò, ſi forma unius ſpeciei tranſit in formam alterius ſpeciei, adeóque ſervando quidem entitatem ſuam èſſe ſpecificum deſerit, deſerit utique ſimiliter, ut rectè infers ipſe, eſſe numericum. Sed undenam, quæſo, in ſubſtantiis immaterialibus unitas aut diverſitas numerica pen-

 det?

det? Meo quidem judicio, in iis qnæ propriam habent ſubſiſtentiam, ab ipſa ſubſtantiali ſubſiſtentia; (*ſubſtantialem ſubſiſtentiam* dico, quia perſonalem ſubſiſtentiam S. S. Trinitatis in eſſentiæ divinæ unitate, humana ratione non capimus;) in iis verò quæ propriâ ſubſiſtentiâ carent, adeóque prorſum per ſe incompletæ ſunt, (ut formæ naturales,) à ſola entitate. immutatâ ergo entitate, manet unitas numerica, ac per conſequens unitas ſpecifica; Ergo ex veſtra ſententia tranſit. quidem forma unius ſpecici in formam alterius; at interim non tranſit: quod ſanè manifeſtam involvit contradictionem. Quâ ratione ergo illa concipias, non-
18. dum hactenus intelligo. Nos ergo, ut difficultatem illam evitemus, varias, pro ſpecierum multitudine formarum ſubſtantias aſſerimus, haud ſecus ſolâ entitate ſuâ ab invicem diſtinctas ac materia à forma eſt diſtincta: Ut adeò rerum ſpecies variæ per ſolas formas propriâ entitate diverſas differant. de accidentibus autem vel diſpoſitionibus materiæ quæ ad infringendas conſequentias non niſi hypotheticè proponis, (dum interim non putas ipſe ex iis aut ſaltem ſolis formas ſubſtantiales elici,) ea quidem poſſe ullâ ratione concipi, exponendum eſt, antequam ex hypotheſi ejuſmodi incertâ, quin imò, meo judicio, impoſſibili, noſtras rationes infringere coneris. Certè nondum ego capio, quâ ratione potiùs ex accidente, (v. g. lumine aëris, quo hic à Sole perfunditur, aut caliditate ejus, quæ ab aëris forma manare creditur) producatur forma ignis, quam ex nihilo ſimpliciter. Dum verò non intelligo, in Naturæ poteſtate illud eſſe ſitum, pro captu meo quidem, non niſi à virtute infinita illud poſſe effici, jure quodam colligo, donec modus alius diſtinctè
19. declaretur. Sed, in Naturæ poteſtate id non eſſe ſitum, fortè dabo manifeſtum: Quippe, quamvis accidens, cum ſit revera *aliquid*, non videatur infinito intervallo diſtare à vero ente, ſecus atque hoc à nihilo ſimpliciter: omnino tamen, ſi ex accidente fieret aliqua ſubſtantia, ipſum ineſſe, (quòd ſoli accidenti convenit,) aboleretur: Et cum illius eſſe ſit ineſſe, ipſum ſanè accidentis eſſe totum tolleretur: periret ergo accidens univerſâ ſuâ entitate, adeóque ipſamet ſubſtantia quæ ex accidente genita concipitur, ex nihilo eſſet genita. Sed ne fallacia aliqua fucum faciat, expendenda & examinanda reliqua mea argumenta ſunt,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

quæ non attingis; at quibus ego malè præſuppoſitam tuam hypotheſin planè everto, ac inſuper neceſſariò in materia requiri aliquam ſubſtantiam, quæ formæ rationem induat, oſtendo.
De creatione verò etiam jam antè dictum eſt: & in re ipſa quidem tibi mecum convenire profiteris, ſc. creationem omnem, ſivè prima ſit, ſivè ſecunda, ſolius Dei eſſe. Sed neſcio quo fundamento illud aſſeras, ſi quidem in productione entis ex nihilo, hoc eſt, in creatione, quâ creatio eſt, ſecundas cauſas Deo ſubordinari poſſe credas. Equidem, hoc tibi non nego, dum cujuſvis effectus naturalis totalis cauſa ipſa Deus eſt, totales interim eſſe cauſas naturales varias ſubordinatas, quæ non æquali virtute concurrunt vel cum Deo, vel inter ſe, v. g. cùm in ovi generatione avis & ſol habent ſe ut cauſæ totales ſubordinatæ Deo, ut cauſæ ſupremæ: at nego interim, ſecundas illas cauſas ſubordinari actioni divinæ, quatenus Deus & ſecundas cauſas conſervat, hoc eſt, continuè ex nihilo efficit, (ſi quidem conſervatio eſt continua creatio,) & effectum ſimul immediatè producit, æquè in fieri ab ipſo Deo dependentem, atque ipſa ſecunda cauſa in ſuo conſervari atque operari: Concedo autem porrò, ſubordinari Deo ſecundas illas cauſas; quatenus eâdem actione Dei, ſufficientem virtutem à Deo nanciſcuntur ad producendum effectum ſibi æquali proportione reſpondentem. In unâ ergo eademque Dei actione, circa effectus naturales, eſt aliquid quod ſecundæ cauſæ attingunt, & quod reverà cum ſecundarum cauſarum actione coïncidit in unum; ſed & aliquid inſuper, quod omnium ſecundarum cauſarum virtutem tranſcendit. Quod ut ſimili quodam declaretur: Actio hæc ſcriptionis tota à calamo eſt, totaque à manu, ac eſt ipſius calami & manus quoad ſcripturam una eademque actio: At interim, plus actionis eſt in manu ad ſcriptionem producendam, quam in calamo: nempè, voluntarius motus, qui per ſe calamo non convenit; ac motus inſuper contactionis, qui nullo modo calamo cummunicatur: ita certè Deus in ſecundas cauſas influens, partem actionis ſuæ communicat ſecundis cauſis, partem ſibi ſoli ſervat. Huc etiam pulchrè accommodari poteſt exemplum tuum de ſerra & ſerrante. Ac ita quidem ſe res habet in actione Dei, quæ eſt circa effectus naturales: ubi ex mero nihilo quid producitur, illic non

(margin numbers: 20. beside "De creatione verò…"; 21. beside "…In unâ ergo"; 22. beside "ſerrante. Ac ita quidem…")

datur locus ſubordinationi ſecundarum cauſarum, niſi & ex nihilo producere, hoc eſt, creare, creaturis tribuatur, cùm ſubordinatæ cauſæ ſint æquè cauſæ totales ac ſuprema, licet ignobiliores: adeóque ſi ex nihilo ſimpliciter formæ producendæ eſſent, ſoliùs

23. Dei illa foret actio. Ratio nempè mea hæc eſt: quia inter nihilum ſimpliciter & ens infinita eſt diſtantia, adeóque infinitâ opus eſt virtute, quæ in ſolum Deum cadit, nec ſubordinatis cauſis poteſt communicari: quia ita tota actio productionis ex nihilo ſubordinatis quoque cauſis conveniret; quod abſurdum. Tu autem hanc rationem reddis, cur ex nihilo ſimpliciter ſecundæ cauſæ nihil queant producere, (concedis nempè hîc, nihil poſſe à cauſis finitis, ne quidem ut ſubordinatis, ex nihilo ſimpliciter produci, cùm antea mihi videbaris id negare voluiſſe, & productionem ex nihilo ſimpliciter ſecundis cauſis, ut ſubordinatis ſaltem, ac minori virtute concurrentibus, attribuere,) hanc, inquam, rationem reddis, *quod in agentibus & actionum ſubjectis requiratur mutua quædam proportio potentiæ activæ agentis, & paſſivæ patientis, quæ ſi defuerit in utroque vel ſaltem in alterutro, effectus non ſequatur.*

24. Bona equidem ratio, quâ idem probas quod & ego; ſed quæ magis inſuper urgeri poteſt. Nempè, ſi porrò quæram, cur inter Deum agentem, & nihilum ſimpliciter, ſeu negationem omnis ſubjecti ex quo, intercedat aliqua proportio, ſeu ratio potiùs, ac non ſimiliter inter creaturam aliquam & nihilum? An non neceſſariò in meam rationem devenies? nempè, reſpondendo, quia Deus, qui infinitæ virtutis eſt, ad infinitam diſtantiam quæ inter ens & nihilum ſimpliciter intercedit proportionem habet; at creatura, quæ finitæ eſt virtutis, ad diſtantiam infinitam nullam habet rationem. Vides ergo, non modò in re ipſa, ſed & in probandi modo tandem neceſſariò nos convenire: quod certè animos noſtros, indiſſolubili amicitiæ vinculo dudum ſociatos, etiam hac parte magis in unum jungit.

25. Ad humanam animam progrediamur. Vides equidem, me pluribus argumentis eſſe uſum; ſed ex mùltis non niſi duo aſſumens, maximè urgentes prætermittis. Fieri autem potuiſſet, ut inter quàm plurima argumenta fortè demonſtrativa, unum atque alterum probabile poſuiſſem, quæ ſi ſolverentur, non ideo cauſâ caderem, niſi & reliqua, quæ præcipua eſſe judico, ſolvantur. Sed ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

in illos quidem receſſus nunc confugio. Videamus argumentum præſens, omiſſis etiam authoritatibus à te priùs citatis, quas pro me ſtare proculdubio animadvertis, haud contemnendis rationibus ſuffultas. Diverſo reſpectu, inquis, tolli contrarietatem. 26.
Veriſſimè. At nego, non niſi ex diverſo reſpectu τὸ λογικὸν καὶ τὸ ἄλογον in anima humana tradi. Quando enim Philoſophi ac Theologi, (etiam ii, qui trium animarum reipsâ diſtinctarum ſocietatem in homine rejiciunt, ut teſtimonio Burgerſdicii à te ipſo citati, ne hîc plura coacervem, & exemplo Calvini, per reſponſiones meas procedentes manifeſtum dedi,) deſtinguunt in animæ humanæ ſubſtantia id quod *per ſe* rationis expers eſt, at rationi obtemperat, ab eo quod *per ſe ipſum* rationis particeps eſt, (vide Diſſ. de hum. anim. ſubſt. à fine §. 21. uſque ad §. 27.) utique illud *per ſe ipſum* non denotat reſpectum ad aliud, ſed arguit indolem ipſius rei cui attribuitur: adeóque unam eandemque ſimpliciſsimam ſubſtantiam, nempè rationalem animam ſtrictè ſumptam, eſſe *per ſe* rationis participem, & ſimul *per ſe* rationis expertem, quo modo non involvat manifeſtam contradictionem, hactenus non video. Atque ita argumentatio mea ex communi Philoſo- 27.
phorum ac Theologorum (etiam quoad ſenſitivam animam à nobis diſſentientium) conſenſu, vel ſpontanea ſaltem conceſsione, procedebat, diſſert. citat. §. 27. 28. Scilicet, ſi in animâ hominis aliquid per ſe rationale, ab aliquo per ſe irrationali diſtingui poteſt vel debet, etiam rationalis pars animæ humanæ ab irrationali poteſt vel debet diſtingui, hoc eſt, mens ipſa hominis à ſenſitiva anima vulgò dicta. Exempla ergo tua, quæ diverſum reſpectum manifeſtè arguunt, huc non quadrant. Unicum illud, quod 28.
de malis ſpiritibus opponis, explicemus. Equidem ſimplices illæ ſubſtantiæ intellectuales, contrarietate omni in ſe carentes, per unam eandemque ſimplicem ſuam ſubſtantiam rationalem, quæ ſua ipſius eſt facultas, potuerunt pro diverſitate circumſtantiarum vel conceptuum, unum idemque vel bonum vel malum judicare; ac id quod bonum eſt in ſe pro malo habere, quod malum in ſe, pro bono; potuerunt etiam judicium ſuum ſuſpendere, ac pro diverſitate circumſtantiarum denuò immutare; ac pro libertate voluntatis ſuæ potuerunt vel bonum verum vel bonum apparens eligere: Quod idem etiam de ſimpliciſsimâ animæ noſtræ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ſtræ rationalis ſubſtantia dici poteſt ; quæ Intelligentiis aſsimi-

29. latur, ac in qua ideò nulla ineſt contrarietas. At verò contrarietatis manifeſtæ indicium eſt, ſi mens hominis, ſeu rationalis anima, conſtanter (conſtanter, inquam,) idem bonum judicet, voluntas tamen interim, contra dictamen intellectus, à ſenſitivo appetitu ad id quod pejus judicatur, actu abripiatur : cùm nempè *trahit invitam nova vis, aliudque cupido, mens aliud ſuadet*: atque ita ſimul & ſemel contingit, quod illa ait: *video meliora* (ſecundùm intellectus judicium,) *proboque* (actu, ſeu appetitu rationali expeto,) dum interim actu, abreptus per appetitum ſenſitivum, *deteriora ſequor*, deteriora nempè ſecundùm ejuſdem intellectus judicium æſtimata, at quæ interim meliora æſtimantur

30. à facultate ſenſitivâ. Quòd ſi ergo voluntas hominis neceſſariò ſequatur ductum intellectus, adeóque neceſſario appetat id, quòd ab intellectu judicatur bonum ſeu melius ; at interim abripiatur invita ad id quod ab eodem intellectu judicatur deterius, utique vel in una eademque ſimpliciſſima eſſentia contrarietas concedenda eſt, quod abſurdum ; vel appetitus ſenſitivus ab appetitu rationali, adeóque ſenſitiva anima à mente realiter diſtinguenda eſt. Nec aliter *nova* illa *vis*, contra mentem inſurgens, ſeu *cupido*,

31. quæ *invitam trahit*, à mente poteſt diſtingui. Sed, inquis, *eadem anima ſe ipſam in transverſum rapit, occaſione ex ſenſitivæ facultatis actibus accepta, quatenus jucunditate objectorum titillatur, quæ rationis ductum, ſecundùm quem honeſtatem ſpectat, ſecuta, id non faceret.* Nempè ergo, una eademque rationalis anima hinc ad honeſtatem vergit, illinc ad jucunditatem. Rectè quidem: ſed quâ ratione contingit, ut una eademque ſimpliciſſima eſſentia quæ per ſe rationis particeps eſt, adeóque per ſe honeſtatis amans, etjam ab honeſtate ſe avertat, & ad jucunditatem corpoream inclinet? An etiam id per ſe efficit? manifeſta quidem hæc foret con-

32. tradictio. Ais igitur, *id fieri occaſione ex ſenſitivæ facultatis actibus accepta*, &c. At facultas animæ eſt vel ipſa animæ eſſentia, vel ab ea immediatè & neceſſario promanat, (ut concedis ipſe.) Quâ ergo ratione contingit, ut una eademque ſimpliciſſima eſſentia, dum per ſe honeſtatis amans eſt, jucunditate objectorum titilletur, adeóque ab honeſtate declinet? An objecta ipſa vim habent eâ paſſione afficiendi mentem ipſam? At objecta non agunt in

animam

animam rationalem niſi per ſenſus. An ergo ſenſuum organis illa vis ineſt? At horum actus ipſa anima eſt: adeóque omnis ἐνέργεια eorum ab ipsa anima dependet. *Per ſe* ergo ipſa anima jucunditatem ſequitur, honeſtatem deſerens, quæ eadem *per ſe* honeſtatis amans, jucunditatem ſenſuum averſatur. Ecce ergo manifeſtam illam contradictionem. In exemplo autem malorum ſpirituum, 33.
quòd præſupponis potuiſſe eos ex quacunque occaſione in transverſum rapi contra dictamen rationis, id omnino eſt abſurdum. Potuerunt quidem per dictamen rationis ſuæ à vera ratione aberrare, at quomodo contra dictamen rationis ſuæ potuerint quicquam inſtituere, id nemo facilè concipiet, cum ſint puri intellectus: At tales interim ſunt, qui potuerint ſe ipſos ſeducere, propriæ rationis ſuæ dictamine perverſo: potuiſſent etiam meliùs dictamen rationis exercere, ſiquidem liberè lapſi ſunt, adeóque *volentes*: Quòd idem in rationalem quoque animam contingit: at in ſolum hominem cadit, contra dictamen rationis, etiam ſtante & immoto eodem rationis dictamine, à facultate ſenſitiva in transverſum abripi *invitum*.

Quod ex Coroll. ad Diſſ. 3. de anim. hum. orig. citas, id minimè 34.
tuæ cauſæ favet. Quippe id mea verba manifeſtæ ſonant, *mentem hominis ſe ipſam ex compaſſione naturali* (ratione conjugii illius & arctiſſimæ ſocietatis quam cum ſenſitivâ animâ, ſeu corpore ſenſitivâ animâ inſtructo, contraxit,) *à materia ſeu facultatibus materialibus* (nempè ſenſibus ac ſenſitivo appetitu,) *abducere ſibi non indulgere, ſed blanditiis corporeis tenaciter adhæreſcere*: nempè non tantùm, quod ſæpe contingit, mens hominis invita à ſenſitivæ animæ facultatibus abripitur, ac vi quadam novâ trahitur, contra dictamen propriæ rationis; ſed etiam propter intimum cùm eâ conſortium aliquandò ultrò ſequitur, quò ſenſus ducunt; atque ita rationalis anima dictamen rationis ſuæ, per affectus obfuſcata, dictamini ſenſitivæ animæ ſubmittit. Sed, *quando mens* 35.
partim in ſe ipſa operatur, (hoc eſt, quando ſecundùm rationis propriæ, ac non impeditæ dictamen, honeſtatem ſequitur,) *partim in phantaſiam eſt intenta* (hoc eſt, adductum & conatum ſenſitivæ animæ, cujus phantaſia eſt facultas, attendit;) *vehementiſſima ſæpenumero lucta exurgit inter ſenſum ac rationem*, *dum* (licet ſenſitiva anima nihil agat, niſi efficaciter à mente impulſa, nihilominùs,)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

minus,) *longiſſimè modus agendi, qui in mente eſt, diſſidet ab agendi modo qui eſt in ſenſitiva facultate.* Certè mentem meam ubivis, hoc in negotio ſaltem, ſibi congruentem, contextus meus ibidem ſatis luculenter probat. Atque ita etiamnum ſtat prima illa ratio, quam inter multas alias impugnare es aggreſſus.

36. In Reſponſione autem mea ad priorem inſtantiam tuam, ex aliorum ſententia datam, contra rationem alteram, quam ex meis notâſti, videris acquieſcere, niſi quod videaris credere, poſſe forſan propugnatores illius opinionis aliquid refugii in eo ponere, ſi dicant, *rationem operationum rerum ſpiritualium nobis eſſe incognitam,* &c. Sed haſce latebras ſub meridianâ luce detegebam eadem Diſſert. 2. de An. hum. orig. §. 34. ac penitus excuſſi ibidem in progreſſu variis modis, ad abſurdum manifeſtum redigendo illam opinionem, ac oſtendendo abſolutè, nullâ omnino ratione poſſe habere locum id quod urgent. Excutiantur, quæſo, accuratiùs argumenta mea, à cit. §. 34. uſque ad finem, & deprehendes manifeſtè Adverſariorum illam reſponſionem merum ignorantiæ vel pertinaciæ aſylum eſſe, tenui ſufflamine

37. à nobis ſubverſum. Simile autem illud, ab æterna generatione filii Dei deſumptum, ſimile haudquaquam eſt. Quamvis enim naturali intellectus lumine non intelligamus, Deum gignere filium; hoc tamen interim, dum novimus ex lumine Scripturæ, per eſſentiam ſuam generare Deum filium unicum, ex naturali intellectus lumine porrò comprehendimus, continuè ac indeſinenter generare eundem: Quod ſi ergo ex ſententia Adverſariorum, præſupponamus, animam rationalem generare animam, vel per eſſentiam ſuam generabit, ſeu ex neceſsitate naturæ, vel liberè: ſi prius, vel generabit unam tantùm, idque continuè ac indeſinenter, quod nimis abſurdum; vel plures, atque ita ſingulis momentis propemodùm innumerabiles: ut evidentiſsimo argumento diduxi cit. Diſſert: §. 59. Sed nec libere generare dici po-

38. teſt, ut oſtendi ibid. §. 60. Quin &, cùm æternitatis ac divinitatis immenſam abyſſum intellectu noſtro non comprehendamus, mirum utique non eſt, ſi modum æternæ generationis filii Dei non intelligamus; at operatio animæ noſtræ rationalis noſtra eſt ipſius operatio, aut potiſſimæ ſaltem noſtri partis, cujus beneficio intelligamus,: quâ ratione ergo fieri poſſet, ut eâ ipsâ parte ejuſ-

dem-

dem partis, quæ in ſe eſt purus intellectus, operationem (ſaltem quoad τὸ ὅτι) non intelligeremus? Apparet ergo facilè, exceptionem illam eſſe penitus ineptam. Cætera mea cùm in præſentiarum 39.
pluribus non urgeas, plura ipſe quoque non adjungo, præter hoc unicum: ne quidem ab iis, quos celebriores nominaveram, exactè tempus infuſionis animæ rationalis definiri quadrageſimum diem: undè antea Diſſ. de Anim. hum. ſubſt. § 28. quò reſpicis, ex eorum ſententia poſui *circa quadrageſimum diem circiter* : quod quidem ita ſe habere poſtmodùm Diſſert. 3. de anim. hum. orig. probabiliter demonſtro. Ac ſaltem illud, cujus causâ hæc tangebas, & quod poſſe objici exiſtimabas, ſcil. infundi fortè animam rationalem mox ipſo conceptionis momento, ut adeò non opus ſit aliquâ ſenſitivâ, quæ ante rationis adventum naturæ munia exequatur, ſat evidenter refello ibid. à §. 51. uſque ad §. 55.

Hæc verò ita obiter, inter remiſſas aliquantò graviores curas, no- 40.
tare volui ad Objectiones tuas tertias, nudius tertius demũ mihi oblatas, quibus ſpero animum tuum poſſe parte aliquâ difficultatum, nondum planè exemptarum præcedentibus noſtris ſolutionibus, ſublevari. Sin minùs, hoc per noſtram amicitiam te rogo, ne novi oneris loco reputes, quod animum tuum, ad altiora genitum, è tricis illis trivialibus ſubindè expediam, & ad conſuetas olim cogitationes ſublimiores attollam. Utinam in alia, ac minùs moleſta Tibi Sparta liceret familiarem tuam amicitiam amplecti ſæpius! Utinam te ipſum trivialibus illis curis aliquando expedires, & ad altiora, ad quæ natus es, ingenium, dum per ætatis vigorem adhuc licet, attolleres. Equidem multa tibi debet Veſaliæ civitas, pro fideliſſimo & indefeſſo ſui Gymnaſii moderamine; multa tibi debent plurimi privati, (inter quos me ipſum lubens meritóq; agnoſco,) quorũ animos ad altiora adipiſcenda erexiſti: at longè plura publicus tibi orbis, ac univerſa literaria Reſpublica deberet, ſi ſeriò tandem, neglectis vulgaribus ad ſublimiora illa, quæ in tua poteſtate ſunt, animum & operam adjiceres. Quod ut contingat aliquando ex intimo pectore voveo : ac interea me ipſum conſtanti amori tuò, te verò clementiæ divinæ reſigno; ac cum omnibus tuis & communi noſtro Amico Clariſſ. D. D. Monhemio, ex animo ſalvere & valere jubeo. Hardervici. XIV. Cal. April. St. Jul. 1645.

Objectiones Quartæ.

ANTONIO DEVSINGIO

JOHANNES SANTES

Εὖ πράττειν.

CLariſſime ac Doctiſſime Vir, Amice colende, quod plurimis ſæpe contingit, id & nobis in exercitatione noſtra contingere video. Animus & animorum conceptus ſæpe arctiùs cohærent, quàm verba, illorum indices. Sic propiùs etiam convenimus animis, quam verbis. Hinc in plurimis videmur diſſentire, cùm tamen in iis maxime conſentiamus, quod Inſtantiarum ac Reſponſionum colliſio in lucem producit. Age experiamur, num reliquis verborum corticibus apertis & diſſolutis, ampliorem conſenſum enucleare & in apertum producere poſsimus.

2. Primùm urges, me tuam mentem non percepiſſe, cùm *per reliqua*, quæ præter modos entis, relationes, & ſimilia ſunt, ac tamen inter accidentia cenſentur, veris accidentibus ſuperiora ſtatuis, intellexi conjunctionem formæ cum materia: cùm tamen indigitaveris, quantitatem, potentiam naturalem, & ſi quid inſuper. Sed quis Oedipus potuiſſet hanc mentem tuam videre? Nam ſi nomine *reliquorum* non intellexiſti conjunctionem formæ cum materia & ſimilia, quorſum in præcedentibus exceptionibus illam comparationem imparium inſtituiſti, quam meis verbis oppoſuiſti? cùm dixiſſem: *Si neges eſſe ſubſtantiam, ſed vel modum, vel relationem, vel ſimile quid dicas, generationis terminus non erit ſubſtantia, imò & aliquid accidente inferius.* Hîc quid dixi eſſe accidente inferius? Non certè accidentia illa, quę hactenus tantùm accidentia vocâſti, ſed terminum generationis, unionē videlicet for-
3. mæ. Liceat, quæſo, tuâ pace argumentũ illud repetere hac formâ: Generationis terminus eſt vel ſubſtantia vel accidens, (ſumendo accidens, prout verum Ens in ſubſtantiam & accidens, à modis

&c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

&c.diſtinctum,dividitur,) vel modus aut relatio aut ſimile quid. Si illud,h.e. ſi vel ſubſtantia vel accidens,utique eſt verum & reale Ens, adeóque id producere non ſuperat creaturarum virtutem: Si hoc, ideſt, ſi, quod producitur, eſt modus Entis aut ſimile quid, eſt aliquid etiam iſto accidente inferius. Ut verò melius adhuc vim argumentationis meæ, quam urgeo, percipias, puto hîc eſſe diſtinguendum inter ſubjectum actionis & hujus terminum, qui rurſus duplex, vel à quo vel ad quem; hic verò vel minùs principalis,vel principalis. Subjectum eſt id, quod mutatio- 4.
nem vel actionem recipit, ut E. G. in calefactione is,qui calefit; terminus à quo qui perit, ut frigus in eadem; terminus ad quem, & quidem minùs principalis,calor; principalis verò calidum. A termino igitur ad quem actionis diſtinctio ſumitur, præcipuè verò, quem minùs principalem vocavi, quia alter illius indolem ſequitur. Ille igitur ſi ſit ſubſtantia vel aliquid ſubſtantiale, dicitur generatio vel corruptio; ſi quantitas, accretio vel diminutio; ſi qualitas, alteratio; ſi locus, motus localis; ſi modus, mutatio modalis. Confer. Burgerſd.Log.lib. 1.c. 8.th. 5. & 15. Hæc jam 5.
applicemus ad generationem: ſubjectum illius eſt materia prima. Unde in generatione dicitur manere non ſenſibile ſubjectum h. e. compoſitum, ſed materia. Terminus à quo eſt privatio formæ introducendæ. Terminus ad quem principalis eſt compoſitum ſeu totum; minùs principalis, forma. Vide, ſis, Connimbr. lib. 1. de generat. & corrupt. c. 4. q. 9 art. 1. Hæc igitur forma niſi producatur ſecundùm eſſe ſubſtantiale ſpecificum, ſed illius tantùm reſpectus ſeu unio cum tali materiâ,quæ modus eſt, nec terminus principalis ſubſtantiale quid eſſe poterit, ſed modale; quia minus principalis terminus, ut auditum, per ſe formaliter ſpeciem tribuit generationi, ut iidem loquuntur d. l art. 2. Qua- 6.
re & hinc ſequitur, ſi forma non de novo generatur, ſed per unionem ſolùm novam habitudinem adſciſcit ad materiam, eam non eſſe terminum generationis; ſed potiùs, prout materia quoque ſubjectum. Mutationem enim recipit, eamque non ſubſtantialem, ſed modalem, accidentali inferiorem. Hæc volui altius & quidem cum auctario repetere, quò mentem meam & nervum διανοίας ſuperioris meliùs percipere poſſis

Porro cùm per ἀπόφασιν in parentheſi obiter dixi, differentiam 7.

generationis à creatione non petendam eſſe à eſſe ſubjecto, quod in illâ præexiſtat; in hac verò non, ut volebas, cum diceres: *Nec verò inauditum in Philoſophiâ eſt per ſubjectum præexiſtens generationem à creatione diſtingui*; non volui, ut putas, innuere, poſſe etiam, ſaltem ſecundariò, creationi divinæ ſecundam aliquam cauſam ſubordinari. Ne quidem per ſomnium hoc intendi; ſed indigitavi, poſſe etiam aliquam creationem, puta Adami & Evæ, habere ſubjectum præexiſtens; adeóque ex ſubjecti præexiſtentia vel negatione, generationis & creationis differentiam petendam non eſſe; ſed aliunde, nempe ex ſubjecti præparati vel diſpoſiti, & nullius vel ſaltem non diſpoſiti, diſtinctione, quorum
8. illud in generatione, hæc in creatione habeant locum. Quare illa, quæ prolixiùs & ſubtiliùs in ultimis literis, de non ſubordinatione cauſarum ſecundarum in creatione & primariâ & ſecundariâ, diſſeruiſti, hæc, quæ per præteritionem innuebam, non tangunt. Interim tamen non poſſum, quin hîc tria tangam. Nempè 1°. quâ ratione dicas, Deum terræ pulverem, (videlicet ex quo Adamus conditus eſt) primariâ creatione ita diſpoſuiſſe, ut apta redderetur ad conjugium illud ſpiritualis ac corporeæ naturæ? cùm tamen in Univ. Theat. part. 2. diſp. 1. q. 1. primariam creationem voces productionem ex nihilo per immediatam & ſolitariam omnipotentiæ divinæ creationem, quâ ratione Deus creaverit cœlum cùm angelis, & rerum naturalium principia: ſecundariam autem, productionem formæ eſſentialis aut accidentalis in præſuppoſita, ſed omninò indiſpoſita, materia, Deo per cauſas quidem ſecundas agente, at eaſdem immediatè virtutis ſuæ operatione ita impellente, ut naturæ ſuæ ductum ſequentes, naturæ tamen vires tranſcendant: quomodo producta ſunt opera quinque dierum, animâ rationali exceptâ; & etiamnum ordine naturæ conſtituto, pleraque opera miraculoſa. Certè illam pulveris mutationem Deus inſtituit, præſuppoſito ſubjecto, licet indiſpoſito, & quidem abſque ullis cauſis ſecundis, non primo ſed ſexto creationis die. Quomodo igitur ad prima-
9. riam creationem reduci poſſit non video. 2°. Non video quomodo omnis rerum conſervatio vocetur à te, & vulgo Theologorum, continua creatio? conſervatio enim rerum ordinaria, nec primaria nec ſecundaria eſt creatio, ut ex definitionum tua-

rum

rum applicatione patet. Non primaria, quia non eſt ſolitaria omnipotentiæ divinæ operatio, nec eſt in indiſpoſita omninò materia, imò per cauſas naturæ ſuæ ductum ſequentes, nec illius vires tranſcendentes inſtituta, adeóque nec, ordine naturæ jam conſtituto, opus miraculoſum. 3°. Vide quomodo poſſit evitari 10.
hoc abſurdum, quòd creatura aliqua poſſit in creandis rebus cum Deo concurrere? ſi rerum naturalium conſervatio, quæ ab ipſo quidem Deo dependet immediatè, per cauſas tamen naturales proportionatas, ſimiliter à Deo dependentes, fit: Aut enim iſta operatio, quæ tum à Deo tum à creaturis dependet, & quidem ut cauſis totalibus, non veniet nomine creationis; aut ſi hoc, non video, qua ratione ad creationem aliquam Dei non poſſint ipſæ creaturæ concurrere. Vides alium nodum, qui me antehac ſæpius urſit.

Præterea licet tuum argumentum, quod hactenus ultrò citróque 11.
agitatum eſt, hoc quidem evincat, & tantùm, meo judicio, evincat, quòd creatura ex ſimpliciter nihilo non poſsit formas producere; non tamen evicit, quod in diſputatione tuâ intendere mihi viſus es, quod illa formam tantùm producat ſecundùm eſſe reſpectivum, ſeu relationem & unionem, non autem ſecundùm illud eſſe ſpecificum, ſecundùm quod novam ſpeciem entis conſtituit, & ab aliis diſtinguit. Hactenus igitur nondum à propoſito aberravi, quatenus argumentum tuum poſteriora hæc arguere negavi, &, ut puto, ſatis evici. Et licet quidem edocere evidenter non poſſem, quodnam illud poſitivum ſit, quod rationem formæ producendæ induat: tamen inde non ſequeretur, vi argumenti tui, jam examinati, formas tantùm ſecundùm eſſe reſpectivum produci. Sufficiebat, diverſas rationes dari poſſe, quę, præter tuum modum, productionem ex ſimpliciter nihilo removerent. Sed ne 12.
videar ſuffugia quærere, quid ad illas exceperis, videamus. Dixeram præſuppoſitâ materiâ produci formas. Quæris, quid hoc ad rem? En ita facit ad rem. Dixeram; *non doceri, formas ex ſimpliciter nihilo, nullo etiam ſuppoſito ſubjecto, fieri.* Hoc poſterius, non prius demonſtravi, indicando præſuppoſitâ materiâ fieri. Annon bene? Non diffiteberis, ni fallor. Ἀπροσδιόνυσα igitur ſunt, quæ ſubjicis. Non enim illis verbis, ex materia formam produci, indicare volui, ut ipſe vides. Sic quoque, cùm dixi, *ex aliquo ſecundùm* 13.

quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

quid formas oriri, non dixi disjunctim, aut è potentia materiæ educi, aut formam prioris ſpeciei tranſire in formam rei generandæ, ut accipis; ſed conjunctim enunciavi, ut utrumque conjungendum eſſe docerem. Niſi enim materia ita fuerit diſpoſita, ut ad formam hanc, v. g. pulli, recipiendam ſit idonea, potiùs alia forma per actionem agentis elicietur, quàm iſta. Niſi etiam in certa materia fuerit forma ovi, nunquam vi naturali pullus inde orietur. Conjungenda igitur ſunt, non ſejungenda.

14. Quando autem in generationibus rerum, formam, retentâ ſubſtantiali (quamvis incompleta) entitate ſuâ, eſſe ſpecificum mutare dixi, intellexi, ut ipſe interpretaris, quòd, quamvis ſecundùm eſſe ſubſtantiale ſit perpetua, tamen ſecundùm eſſe formale aut potiùs ſpecificum pereat, & ſic novum aſſumat. Et cum hac in re nos convenire dicas, miror, cur neges, omnibus formis quarumvis ſpecierum unam eandemque communem ſubſtantiam eſſe, quæ aliud atque aliud ſpecificum eſſe, exuat & induat; præſertim cùm non ſentiam, iſtam ſubſtantialem entitatem formæ prioris in ſui mutatione aliam formam propriè dictam recipere; ſed ſolùm eſſe ſpecificum, h. e. formalitatem à priori formalitate diverſam. Undè facilè quoque patet, quòd non ſtatuam, entitatem i-
15. ſtam per ſe ipſam à ſe ipsâ differre. Ut autem conſtet, formam poſteriorem non differre à priore per formam aliquam propriè dictam, notandum eſt, non omnem differentiam ſpecificam à formâ propriè dictâ ſumi. Annon enim anima rationalis, quæ ſpecifica hominis differentia, ab aliis formis, cum quibus ſubſtantiali entitate convenit, differt ſecundùm eſſe ſpecificum, h. e. formalitatem ſubſtantialem? Et tamen non differt per aliam aliquam formam propriè dictam, nec etiam per relationem aliquam
16. aut unionem. In ſumma hujus generis formalitatem & eſſe ſpecificum aliquid ſubſtantiale eſſe puto, qualecunque tandem ſit, modò non ſit purè modale. Undè & patet, cùm dico, formam unius ſpeciei tranſire in formam alterius, quâ ratione ſine contradictione dicatur tranſire & non tranſire. Non tranſit, id eſt, non mutatur ſecundùm eſſe ſubſtantiale quaſi genericum, (dico quaſi genericum, quia propriè dicta ratio generis in incompletis non habet locum,) tranſit verò, id eſt, mutatur ſecundùm eſſe ſpecifi-
17. cum & formalitatem ſubſtantialem. Undecunque verò numerica diffe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ea differentia formarum iſtarum petenda, ſufficit quòd, mutatâ ſpecificâ, etiam ſecundùm regulam Logicorum, numericam mutatam eſſe neceſſe ſit, quæ tamen, quomodo in iis, quæ propriâ ſubſiſtentiâ carent, adeóque incompleta ſunt, à ſola entitate petenda ſit, non video, cùm ratio unitatis & convenientiæ, qualis eſt entitas, non poſſit eſſe ratio differentiæ, ut ſatis notum eſt.

Quemadmodum non video, quâ ratione dicere poſſis, ſubſtan- 18.
tias formarum pro ſpecierum multitudine ſolâ entitate eſſe varias, haudque ſecus entitate ſuâ ab invicem diverſas, ac materia & forma eſt diverſa: non ſolùm quia ratio communitatis non poteſt eſſe ratio diverſitatis; ſed etiam, quia Theatr. Univerſ. p. 1. Diſp. 7. q. 3. n. 37. & 43. aſſeris, unamquamque talem rerum naturalium eſſentiam ſeu ſpeciem, unicam ſeu indiviſam eſſe in ſe, diviſam autem tantùm, quatenus ad diverſas materias accommodata, diverſa individua formali aſſumptâ ratione conſtituit.

Quod autem ad Accidentia & diſpoſitiones attinet, quarum me- 19.
mini ſolùm ex hypotheſi, ad infringendam rationis tuæ conſequentiam, non concedo, ſi ex accidente fieret aliqua ſubſtantia, licet ipſum ineſſe tum aboleretur, interim totum accidentis eſſe abolendum, aut universâ ſuâ entitate periturum, multò minus ipſam ſubſtantiam, quæ ex accidente genita conciperetur, ex ſimpliciter nihilo gignendam. Nam etſi formalis ratio accidentis aboleretur & periret, non tamen materiale ejus, entitas videlicet, quæ pars illius, periret, adeóque nec ex ſimpliciter nihilo forma fieret, quod ad infringendum argumentum tuum, quod hactenus tractavimus, ſufficit.

Quod alias tuas rationes ſpectat, fortè & illas alio tempore, cùm 20.
otium tulerit, examinandas ſumam. Ab hac enim materia de formarum Origine multa alia pendent. Ideoque illâ examinatâ & illuſtratâ, multa alia illuſtrabuntur: ideoque digna eſt, in qua Philoſophorum ingenia deſudent.

De Creatione ſum aliquoties proteſtatus, me in ipſa re tecum 21.
convenire, ſc. eam eſſe ſolius Dei: ſed in modo probandi differre, quod & adhuc, ſalvâ tamen animorum noſtrorum conjunctione, dico. Multis quidem doces, quomodo Deus etiam in producendis rebus naturalibus concurrat inæquali virtute. Sed quia hoc eſt id ipſum, quod in ſuperiori meo ſcripto urſi, non opus eſt,

 ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ut examinetur. Licet autem quædam etiam miſceantur, quæ, meo judicio, aliquam cenſuram merentur aut, ulteriori explicatione indigent : tamen quia ad hanc cauſam noſtram non faciunt , ne hæc etiam exercitatio noſtra in opus aliquod prolixum excreſcat,
22. prætereunda ſunt. Videamus igitur an modus meus probandi in eundem, quem tu adhibuiſti, ut putas, recidat. Putas meam rationem , quam ad probandum , creaturam non poſſe creare quicquam, attuli (quia *videlicet in agentibus & actionum ſubjectis requiratur mutua quædam proportio potentiæ activæ agentis & paſſivæ patientis, quæ ſi defuerit in utroque vel ſaltem alterutro, effectus non ſequatur, adeóque, quia in creatione rerum illa proportio agentis creaturæ & rei creandæ deſit , creatio de creaturis neganda ſit ,*) ſi ampliùs urgeatur , quare ſequatur , ſi ad creationem regula iſta applicanda ſit, putas, inquam, rationem iſtam hac ratione ulteriùs probandam eſſe, quia creatura, quæ finitæ eſt virtutis, ad diſtantiam infinitam, qualis eſt inter ens & ſimpliciter nihil, ſeu negationem omnis ſubjecti ex quo, nullam habeat rationem ſeu pro-
23. portionem. At quanquam quidem hæc ratio valet , ſi applicetur creationi ex ſimpliciter nihilo ; non habet tamen locum in creatione ſecundaria ex præſuppoſito aliquo ſubjecto. Videlicet, probandum ſit , quòd homo grana hordei non poſsit mutare in ovum , quòd Deus per miraculoſam tranſmutationem , adeóque creationem ſecundariam poteſt. Si tum ratio illa afferatur, quia inter vim humanam & potentiam paſsivam granorum non eſt proportio, quæraturque ampliùs, quare hoc ſequatur? an tum ad ulteriorem vim argumento addendam, dicendum eſt , quia inter granum & ovum ſit infinita diſtantia? Minimè verò. Nam quando vis gallinaria illam mutationem naturaliter facit, non certè ab uno termino ad alterum infinitè diſtantem progreditur. Ergo nec quando Deus miraculosè illam mutationem inſtituit. Vides igitur meam rationem eſſe generaliorem, quàm ut creationi tantùm primæ ex ſimpliciter nihilo applicari poſsit , adeóque magis ad primorum principiorum naturam accedere, in quibus ſemper tutiùs acquieſcitur.

24. Sed miſsis his accedamus ad Animam. Primùm autem miror (ut aliquid de Authoritatibus agam, quia eò , digitum rurſus in illas intendendo, me trahis,)te ad illos authores me remittere, cùm illi tibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tibi è diametro repugnent, mihi faveant. Scaliger certè Exercit. 307. ſ. 5. tibi maximè contrarius & in tuo argumento ſolvendo planè totus eſt. Nam tum expreſsè inquit, Platonem tres animas diſpeſcentem, ut ex Ariſtotelicis quoſdam, non ſine validiſsimâ ratione aberrâſſe; tum explicat, quomodo animæ quædam pars ἄλογος dici poſsit, nempè quatenus ipſa per ſe divina, ſuapte naturâ ſibi ſerviens, ſibi imperans, ſi à corpore abſolvatur, implicita corpori per ejus efficiales atque adminiſtras partes recipiat impreſsiones, adeóque fiat talis, quales illæ ſunt. Ejuſdem indolis 25.
ſunt illa, quæ Calvinus habet. Annon enim lib. 1. Inſtit. c. 15. §. 6. inquit: Qui plures eſſe volunt animas in homine, hoc eſt, ſenſitivam & rationalem, etſi videantur aliquid afferre probabile, quia tamen in eorum rationibus nihil eſt firmum, repudiandi nobis ſunt, niſi in rebus frivolis & inutilibus nos torquere libeat. Magnam repugnantiam eſſe dicunt inter organicos motus & rationalem animæ partem, quaſi non ipſa quoque ratio ſecum diſſideat & ejus conſilia alia cum aliis non ſecus ac hoſtiles exercitus confligant. &c. Nimis prolixum foret, omnia hîc producere quæ 26.
uterque author contra te ſuppeditat. Reliqua igitur accuratiùs expendantur, & ſi ſine judicii glaucomate, præjudicio, legantur, id verum eſſe, quod dixi, animadvertetur. Quod eos authores attinet, quos Burgerſd. in Colleg. Phyſ. diſp. 31. th. 1. notat, non memini me legiſſe, qui, negantes trium animarum realem diſtinctionem, τὸ λογικὸν (prout in hac cauſa ſumitur) reipsà à parte rationis experte differre dicant, niſi differentiam realem latè accipiant, prout ſtrictè ſumptæ, videlicet rationis ratiocinantis diſtinctioni opponitur.

Deinde licet inveniantur, qui ita ſenſerint, hi tamen conſequen- 27.
tiam illam negârent, quòd ex appetituum reali differentia, ſequatur animarum diſtinctio, quam tu urges. Sed antequam ulteriùs progrediar, nec Ariſtotelem intactum relinquere poſſum. Ille lib. 1. ad Nicom. c. 13. tractans illam diſtinctionem, primùm ſe non determinare aït, an τὸ ἄλογον ἀπὸ τῷ λόγον ἔχοντι reipsâ differat. Deindè, non appetitum ſed animam ſeu illius facultates ita diſtinguit, quod contra Burgerſdicium & alios notandum, ſi ex allegato loco fundamentum diſtinctionis ſuæ petant. Partem vero τὴν ἄλογον diſtinguit in communem ſeu vegetabilem, ſcil: fa-

cultatem nutriendi augendique, quæ cum ratione nullo modo communicat; & in eam, quæ quidem ἄλογος, ſed quadam ex parte rationis particeps, ut facultas concupiſcibilis & appetibilis, quatenus rationi ipſi obedit, imperioque ejus obtemperat, licet & quandoque reſiſtat. Additque, ſi hanc quoque rationem habere, quia videlicet rationem ſequitur, dicendum ſit, tum duplicem fore τὸν λόγον ἔχουσαν, alteram quæ propriè & in ſe eam
28. habeat, alteram ut is, qui patris dicto obediens eſt. Ubi notandum, Ariſtotelem etiam voluntatem ſub illo genere facultatis comprehendere, quæ irrationalis per ſe, ſed rationis particeps, quia imperio illius obtemperat: ſolam autem facultatem intellectivam eam vocare, quæ per ſe & principaliter rationis eſt parti-
29. ceps. Quo etiam collimat Calvinus, ſi bene perpendatur. Ne autem videar Ariſtoteli ſiniſtram affingere mentem, vide proximè ſequentia, ubi dicit ſecundùm hanc facultatum diſtinctionem virtutes quoque diſtingui in intellectivas, ut ſapientiam, perſpicacitatem ac prudentiam; & morales, ut liberalitatem, ac temperantiam. Si igitur ſecundùm Ariſtotelem ſola facultas intelligendi ad quam ſapientia, perſpicacitas & prudentia referuntur, dicitur per ſe λόγον ἔχουσα, omnis appetitus, etiam ipſa voluntas, quo pertinent virtutes morales, dicetur irrationalis ſeu ἄλογος per ſe, ſed particeps rationis, quia quandoque illius imperium
30. ſequitur. Quod ſi ita eſt, hinc tale ex Ariſtotele contra te necto argumentum. Si diſtinctio animæ ſeu facultatum ejus & in λογικὰς & in ἀλόγους, infert diſtinctionem realem animarum, tum etjam ipſa anima rationalis in homine erit diſtincta realiter. Atque hoc abſurdum. Ergo & illud. Ratio conſequentiæ, quia anima propriè λογικὴ dicitur propter facultatem intellectivam, ἄλογος propter facultatem appetitivam & voluntatem, quæ aliquandò rationi reſiſtit, aliquando obtemperat. Undè præterea vides, quòd meam diſtinctionem, quam ad tollendam verã contrarietatẽ à diverſo reſpectu ſumpſi, non benè tuâ inſtantiâ, ab eo, quòd *per ſe* rationis expers & *per ſe* rationis particeps dicitur, deſum-
31. ptâ, evertas Nam duo hic accuratè diſtinguenda ſunt ex Ariſtotelis manuductione. I°. In animâ duplex eſt δύναμις, una per ſe ἔχουσα τὸν λόγον particeps rationis & διανοητικὴ dicitur ſeu intellectiva; altera per ſe ἄλογος expers rationis: eaque vel κοινὴ & φυτικὴ communis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

communis & vegetabilis, vel ἐπιθυμητικὴ ſeu ὀρεκτικὴ concupiſcibilis & appetibilis. 2°. In poſtrema hac facultate, quæ per ſe rationis expers, quatenus non eſt intellectiva, μετέχουσα δὲ μέντοι τοῦ λόγου ut Ariſtoteles loquitur, id eſt, quadam ex parte ſeu aliquatenus particeps rationis, quatenus nempè rationi obtemperat, in ea, inquam, facultate tamen eſt etiam aliquid, ut Ariſtoteles loquitur, παρὰ τὸν λόγον, quatenus rationi quandoque adverſatur
atque reſiſtit. Vide igitur, an hîc *per ſe*, licet indolem ejus, cui at- 32.
tribuitur, arguat, diverſum reſpectum excludat, adeóque contradictionem veram implicet. Si hoc adhuc ſentis, vide, ne vi hujus tuæ opinionis, quando intellectus *per ſe* rationis particeps, & voluntas ejus *per ſe* expers ab Ariſtotele dicitur, excluſo à te omni reſpectu, contradictoria etiam in una humana anima invenias, eamque in duas re diſtinctas dividas. Quamvis mea diſtin-
ctio, à diverſo reſpectu deſumpta, non priorem animæ diſtin- 33.
ctionem reſpexerit, ſed poſtremam hanc per ſe rationis expertem, ὀρεκτικὴν videlicet, quam tum participem rationis, cùm rationem ſequitur, cùm verò illi repugnat, illius expertem eſſe cum Ariſtotele dixi, adeóque verè propter diverſum reſpectum, & ſic ſine contradictione, dixi. Quâ diſtinctione accuratiùs penſitatâ, me omnibus quę prolixiùs ſubjicis, abundè ſatisfeciſſe puto, ita ut longiori eorum examine opus non ſit. Summa 34.
autem huc redit. Judicium de rebus appetendis vel fugiendis aliquando eſt verum & bonum; aliquandò fallax & perverſum; aliquando, in lucta, miſtum, id eſt partim bonum, quando nempè honeſtum ſequendum docet, partim malum, quando à ſenſuum objectis ſeductum, utile & jucundum ab honeſto ſejunctum, appetendum judicat. Si appetitus & voluntas primum ſequatur, 35.
jure meritóque, λογικὴ dicitur; ſi verò alterum, ἄλογος cenſetur, prout judicium ἄλογον eſt. Si autem in illa judicii luctâ, relicto utilitatis & jucunditatis judicio, appetitus obtemperet judicio honeſtatis, hic λογικὸς audit. Sin verò hoc relicto, abripiatur à judicio utilitatis & jucunditatis, itidem ἄλογος meritò nominabitur, prout & hoc ἄλογον eſt, utpote cum vera & ſincera ratione pugnans. Et tum verè fit id, de quo Medea olim conqueſta fuit: Video meliora proboque, ſcil: judicio ſincero præeunte; ſed tamen, judicio fallaci perſuadente & abripiente, deteriora ſequor. Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

cum quibuſdam conceſſeris, addendum eſſe, quod appetitus quandoque vehementi & cæco impetu omne intellectus judicium prævertat, iſtius ἀλογίας, adeóque & diverſorum reſpectuum rationes auctas judicabis, quibus omnibus contradictionis vitium abundè evitari poterit.

36. Hîc Manum de tabulâ tollere cogor, rurſus aliis negotiis, quæ moram non patiuntur, avocatus. Hæc autem in bonam partem accipies pro humanitate & amore in me tuo, quem inſignem eſſe, ut alia antehac, ſic extrema literarum tuarum, ſuperioribus diebus mihi traditarum, præcipuè produnt. Quos intentiſſimè amamus, de iis etiam ea, quæ eorum viribus ſuperiora, nobis pollicemur. Utinam non idem amore inductus feciſſes! Sed quicquid ſit, perge modo me amare, & me beaveris. Vale cum omnibus tuis. Veſaliæ V. Calend. Maji. ſt. Gregor. CIↃ IↃC XLV.

Reſponſiones Quartæ.

IOANNI SANTENO

ANTONIUS DEUSINGIUS

Ὑγιαίνειν.

SAlve eruditorum Virorum decus, & Amicorum gratiſſimæ deliciæ.

Literas tuas V Cal. Maji ad me datas, VIII. Cal. Julias demum vidi, Embricâ miſſas à Rev. D. Coſtio, per noſtri Athænei quendam Studioſum. At nullam in iis mentionem facis mearum, quas in itinere nuper urbem veſtram prætervectus, cum è Patriâ huc in ſtationem meam properarem, Embricâ ad vos dedi, ut nec carminis gratulatorii veſtris ad me literis adjecti. Languentem verò propemodum à curis animum denuò nobis erigis, & jucundæ contemplationi novum addis nervum. Dignam ſanè tuâ ingenii fertilitate materiam elegiſti, de *Origine formarum naturalium*, ac *Subſtantiâ rationalis animæ*, in qua ingenium quoque noſtrum exacueres. Digna

gna fortè res eſt, quæ aliquando publicâ condecoretur luce, ut
doctioribus ſit anſa pro veritate evidentiùs è tenebris eruendâ,
vel in aliis ſimiliter, quæ hominum ingeniis haud ita plana ſunt,
enucleandis, capeſcendâ alacritate. Quod quidem noſtrum judi-
cium ſi tibi non diſpliceat, conſenſus tui indices per literas, cùm
viſum fuerit, nobis exhibebis. Interim ſine culpâ in hac arenâ 2.
concertamus, quemadmodum & ſine ambitione. Bono publico
nati ſumus uterque: atque huic, unicè propemodùm, ſtudemus.
Quod ſi fortè ſæverioribus & ab humanitate alienis Judicibus
videamur ſine fructu otium abſumere, exiguam unius aut alterius
horulæ jacturam nobis ipſis imputabimus: haud tamen interim
id periiſſe totum cenſebimus, quod eſt in amicitiam collatum:
Ac interim dicemus cum Scaligero, *multæ nugæ, multa temeritas,*
multæ ineptiæ, inter quas & noſtræ. Eò ſaltem faciet hæc noſtra 3.
diſquiſitio familiaris, ut noſtrâ mente luculentiùs expoſitâ, hîc
ſaltem non inveniant in poſterum naſutuli, in quod fabam cu-
dant acriùs, cùm ex facinore ſibi gloriam affectabunt; tuoque ex-
emplo in poſterum, cum Chriſtianis ſaltem, Chriſtianè agere ad-
diſcent: nec in ignominiam (ne quid dicam gravius) imputabunt
quicquam, ubi fortè mentem non ſunt aſſecuti. Sed ad rem no-
ſtram accedamus.

Quod primo loco urges, id leviter ſolummodò attingam, cùm 4.
non ſit de noſtræ controverſiæ ſubſtantia. Perindè equidem no-
bis eſt, ſivè libuerit modos entis, relationes, &c. accidentia ap-
pellare, ſivè accidente quid inferius, aut alio quocunque nomi-
ne, modò de re ipsâ conſtet. Hæc ſaltem mea eſt ſententia, ad
quam ex præcedentibus Reſponſionibus eruendã nullo opus erat
Oedipo: Cùm accidentia in Categoriis diſtinguuntur à ſubſtan-
tia, vocabulo *accidentium* denotari & ea, quæ verè accidentia
ſunt, & ea quæ talia non ſunt. Sed cùm ambiguum fortè haberi
queat, quænam pro veris accidentibus habenda ſint, in Meta-
phyſicis equidem, ne longiùs à receptâ opinione me abducerem,
quantitatem & qualitatem accidentia appellavi, quod ſint vera
entia; reliqua, ſc. relationes, modos entis, denominationes, &
ſi quid inſuper, cùm vera entia non ſint, ne quidem accidentium
appellatione, ratione habitâ quantitatis, & qualitatis, ſum digna-
tus. Interim, ſi ex mente propria loquendum ſit, reverà dubito 5.

(quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

(quod non diſſimulavi,) an quantitas & qualitas reipsà differant à ſubſtantia cui tribuuntur: haſce tamen accidentia appellavi in Metaph. ex vulgari opinione, eo quod dubitem, nec talem rationem hactenus pro contrariâ opinione inveniam, quæ faciat ut apertè me abducam à vulgo, aut in qua planè conqui-
6. eſcat animus. Quod autem noluerim te hîc ad mea Metaphyſica reſpicere, indeque contra me formare argumentum, velut ex conceſſis, indè liquet, quòd tibi non ignota ſit mens mea dubia, An nempè Quantitas & qualitas (quas in Metaph. Accidentia appellavi,) non ſola tantùm ratione à Subſtantia diverſa ſint. Ut ergo pro vulgari opinione, à me ipſo poſita, tuenda, à te fortè ſat ſolidam rationem docerer, profeſſus ſum, *me non ſatis capere, quâ ratione modi entis, vel relationes, vel ſimilia dicenda ſint aliquid accidente inferius*, & non potiùs ipſa vera accidendentia, (ut adeò accidentia non ſint vera entia;)*reliqua verò, quæ inter accidentia vulgo referri conſuevêre* (quæ nempè vera entia pronuncio, ſc. quantitas & qualitas,) *non potiùs ſint ſtatuenda veris accidentibus aliquid ſuperius*, nempè ipſa ſubſtantia, non niſi
7. noſtro concipiendi modo à ſeipsa diſtincta. Cùm ergo *terminum generationis*, (ſc. in abſtracto ſumptum,) *unionem videlicet formæ cum materia*, dixiſti, *quid eſſe accidente inferius*: quæſivi, num fortè aliquam habeas rationem, ob quam non potiùs illa unio, velut & relatio, & ſi quid ſimile, verum accidens dici debeat, atque adeò potiùs ea, quæ hactenus accidentia appellari conſuevêre, & quæ ipſe in Metaph. talia appellavi, ſc. quantitas & qualitas, dici queant aliquid accidente ſuperius? Vides ergo quorſum illam comparationem imparium inſtituerim: in qua non ſatis meam mentem, ſatis, ut mihi quidem videtur, manifeſtam, aſſecutus es, quando in tuis inſtantiis in hunc modum aïs: *Nondum video, quomodo iſtum entium modum, quem conjunctionem formæ cum materia dicis, & inter ea refers, quæ accidentibus veris ſuperiora ſtatuis, imò an reverà à ſubſtantia reipsâ diverſa ſint, dubitas &c.*
8. Certè, ubi ego conjunctioni formæ cum materiâ, aut ulli entium modo, talem eminentiam tribuerim, ne Oedipus quidem per conjecturam poterit elicere. Cur autem ſuperet creaturarum virtutem verum ens ex nihilo producere, & non ſimiliter producere modum quendam entis, aut ſimile quid, in præcedentibus, niſi me

me fallat judicium, aut tuæ rationes contrarium evincant, ſatis
ſuperque demonſtravi; & in progreſſu nova de hac re dicendi
dabitur occaſio. Ad reliqua ergo, quæ mox ſubjungis, hoc uni- 9.
cum reſpondeo: Perperam à te comparari terminum alterationis
cum termino generationis. Neque certè in illa tua comparatione
vel Burgerſdicium, vel Connimbricenſes, quos citâſti, tibi ullibi
invenies patronos. Quamvis enim rectè ſentias, in generatione
terminum ad quem principalem eſſe compoſitum, minùs princi-
palem formam; haud tamen ſimiliter in alteratione, v. g. calefa-
ctione, terminus principalis calidum, minus principalis calor, ap-
pellari debet vel poteſt: ſed omnino in calefactione terminus
principalis calor eſt; calidum verò non niſi per accidens eſt ter-
minus. Non enim datur alteratio per ſe ad ſubjectum ipſum quod 10.
calorem recipit, velut ad terminum, quippè illud unum idemque
manet, (undè dicitur alteratio mutatio eodem ſenſibili ſubjecto
manente,) ſed accidit illi ſubjecto terminus alterationis, qui per
ſe eſt calor. Et, ſiquidem, te ipſo fatente, quando terminus ad
quem ſubſtantia eſt, vel aliquid ſubſtantiale, actio dicatur gene-
ratio, calidum autem procul dubio ſubſtantia ſit, annon calefa-
ctio erit generatio, ſiquidem terminus ejus ad quem ſit calidum?
Vel undè, quæſo, ſumenda erit diſtinctio generationis & altera-
tionis? Certè ea quæ à te poſita eſt ex Burgerſd. Log. non manebit
rata. Potiùs ergo dicendum, quemadmodum in generatione 11.
terminus principalis, & quidem qui per ſe ſit, ſubſtantia eſt, (un-
dè in generatione non dicitur manere idem ſenſibile ſubjectum;)
ita in alteratione principalis terminus, & qui per ſe terminus al-
terationis ſit, eſt qualitas, ut ipſe etiam teſtaris, nimirum in cale-
factione calor. In alteratione ergo totum illud, quod calidum
dicitur, non producitur, ipſum quippè ſubjectum non produci-
tur, ſed id quod ſubjecto accidit: At in generatione producitur
totum ſenſibile ſubjectum; non materia, non forma, neque hæc
magis quoad ſubſtantiam quàm ipſa materia. Undè Ariſt. 12. 12.
Metaph. cap. 3. nec materiam, nec ſpeciem ſeu formam generari
ait. Et 7. Metaph. cap. 8. *Id quod ſpecies ſeu eſſentia dicitur, non
fit; ſed connexio, quæ ſecundùm hanc dicitur, fit.* Atque hinc Sca-
liger Exercit. 346. *Formam qui dicat generari, is ſeſe in Philoſo-
phia parum prodat exercitatum: generatur namque ſolùm compo-
ſitum.*

13. *ſitum.* Forma tamen finis quoque generationis ſeu terminus ejus ad quem, dicitur, quòd in productione compoſiti productio formæ, non quidem quoad eſſe ſubſtantiale, ſed quoad eſſe ſpecificum, includatur: ſeu clariùs, ipſius compoſiti productio conſiſtit in unione eſſentiali duarum ſubſtantiarum incompletarum, quoad ſubſtantiam præexiſtentium, quâ ipsâ unione ſubſtantia illa altera, quæ materiam actuat, ipſumque compoſitum in certa ſpecie conſtituit, formæ rationem, ſeu ſpecificum eſſe formæ, in-
14. duit. Terminus ergo generationis minùs principalis, nempè forma, quæ antè generationem formæ rationem non obtinebat, ſed per generationem demum eam induit, formaliter utique ſpeciem tribuit non tam generationi, quàm rei genitæ, at interim non ſine materia: quòd enim res genita reverà ſit, ſeu quòd compoſitum exiſtat, & quidem reverà genitum dici queat, hoc æquè materiæ atque formę acceptum ferendum eſt; quod autem ſit hujus aut illius ſpeciei, à ſola forma dependet. Haud ergò magis formam de novo generari ſubſtantialiter neceſſe eſt, quàm materiam; ſed ſufficit per unionem ſolùm novam habitudinem
15. adſciſcere ad materiam. Nec tamen hinc ſequitur, non eſſe, dicto ſaltem modo, terminum generationis: quippè, ut verbo repetam, generatio ad determinatæ ſpeciei compoſitum tendit, at ſpeciem tribuit forma, quà eſt forma: hæc autem quà eſt forma
16. in generatione oritur. Neque verò hinc, veluti materia ita quoque forma ſubjectum generationis inferenda eſt: materia enim diſponitur, configuratur, actuatur, ac formam & ſpeciem ſuſcipere dicitur: forma autem illa non aliâ mutatione ſui, formæ rationem induit, niſi quòd ipſamet, à cauſis etiam externis adjuta, ac ſuſcitata è potentia materiæ, materiam diſponat, conformet, & actuet, ut hâc ratione apta reddatur materia, cum qua eſſentialiter ſeipſam forma uniat, ac convenientes per eam operationes exercere queat: atque ita dicitur forma è potentia materiæ emergere; ipſum verò Compoſitum dicitur generari.
17. Quòd ſi verò alio quocunque modo mutationem admitteret forma, (quam ipſe jam antè dixiſti ſaltem ab eſſe imperfectò ad eſſe perfectiùs tranſire,) quandò è potentia materiæ dicitur educi aut emergere, omninò ſubjectum foret generationis æquè ac materia; vel de novo genita etiam ſubſtantialiter dicenda foret:

quod

quod poſterius tantoperè reprehendit Ariſtoteles, quod admodùm ridet Scaliger, quod eſſe ἄτοπον tot rationibus à nobis demonſtratum eſt, quod ipſe tandem non admittis: at prius, ut opinor, ne tu ipſe quidem urges. Ex hiſce puto ſat evidenter ac per- 18.
ſpicuè poſſe nervum Reſponſionum mearum ſuperiorum animadverti. Ad ſequentia progredior: ſed illud interim monendus es: Ne fortè aliquando authoritatem Connimbricenſium, vel Burgerſdicii, aut ſimilium, pro ratione eductionis formarum è potentia materiæ, contra me valere credas. Argumentum enim illud admodum inartificiale eſt, in re ſubtilioris ac ſublimioris contemplationis. Connimbricenſes equidem, & alios complures Philoſophos, quod attinet, eos ignoràſſe quid ſit è potentia materiæ educi formas, apertè profiteri non vereor: At Burgerſdicius à noſtra ſententia haud videtur eſſe alienior, Colleg. Phyſ. Diſp. 3. th. 11. 12. quamvis nec ubique forſan ſibi ea in re videatur conſentire.

Ad ſecundum, quod urges, hoc in genere præmitto: Creatio- 19.
nem primariam, in qua nullum præexiſtat ſubjectum, & ſecundariam in qua objectum aliquod, ſed indiſpoſitum, præſupponitur, non eſſe duas creationis ſpecies invicem oppoſitas; ſed omnem creationem, verè propriéque dictam, ſeu quà eſt creatio, primam eſſe: diciturque ſecundaria creatio, quòd præter creationem veram propriéque dictam, accedat aliquod ſubjectum, non quidem *ex quo*, quippe omnis creatio propriè dicta ex nihilo eſt, ſed ſimpliciter *in quo*, aut *cum quo*, quod per immediatam ac ſolitariam Dei operationem, adeóque per creationem primam ſubjecto illi applicatam, ita adornetur, ut in nullius cauſæ ſecundæ facultate ſit, ſubjectum idem ita ordinare, ac tales illi facultates indere: [vel ſecundaria appellatur ideo, quod illud ipſũ quod creari dicitur per partes ſaltem ſit ex nihilo productum ab eodem qui ſupernaturali facultate partes unit.] Et quamvis fortè *cum* illa Dei primaria creatione, quâ partes ſunt creatæ, concurrãt cauſę aliquæ ſecundæ, (quarum etiã reſpectu Dei creatio, ſecundaria dicitur,) haud tamen illæ concurrunt *ad creationem*, ut nempè eſt creatio; ſed dum naturæ ſuæ ductum ſequuntur, ita à Deo ſolo, per primariam creationem ſubjecto tali applicatam operante, impelluntur, ut naturæ ſuæ vires omnes tranſcendant, ſeu potiùs, ut omninò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

cum viribus naturæ earundem conſpiret vis quædam Dei extra-
20. ordinaria, eaque ſola propriè creans. Quatenus ergo in ſecun-
daria creatione ſecundarum cauſarum aliqua vel actio vel paſſio
locum habet, eatenus non eſt vera propriéque dicta creatio; qua-
tenus verò inſuper aliud quid ineſt, quod omnem naturæ po-
teſtatem tranſcendit, adeóque quod à ſolo Deo eſt, eatenus ve-
ra propriéque dicta creatio dicenda eſt. Secundaria ergo
creatio primariam includit, non ab ea oppoſitivè contradiſtin-
guitur. Atque hanc meam mentem mihi viſus ſum ſat clarè in ul-
timis ad tuas inſtantias Reſponſionibus aperuiſſe. Quæ illic poſui,
ſi lubet, denuò conferantur, & conſenſum manifeſtiſſimum inve-
nies: ſimulque deprehendes, cur ex ſubjecti præexiſtentia vel ne-
gatione, generationis & creationis propriè dictæ, (quæ propriè
dicta creatio in ſecundaria quoque creatione ineſt, & ſine quâ ſe-
cundaria creatio ne quidem eſt creatio,) omninò ſit petenda.
21. Quod quidem à me tangi omninò ad negotium ſpectabat no-
ſtrum, ubi *τὸ κρινόμενον* eſt, An ſine aliquo ſubjecto *ex quo* (quod in
omni omninò creatione, qua creatio eſt, nullum exiſtit,) formæ
ſubſtantia, (ſi quidẽ non præexiſtat,) in generatione per ſecundas
cauſas divinæ actioni ſubditas, produci poſſit? Quæ, meo quidem
judicio, eâ ratione à ſecundis cauſis ſtatueretur creari. Huc er-
go cùm detorqueri fortè potuiſſet illud, quod per *ἀντίφασιν* pa-
rentheſi includis, & velut pro confeſſo adhiberi, neceſſariò illud
obiter attingere adductus ſum. An autem rectè id tetigerim, jam
22. denuò dijudicandum præbeo. Sed videamus tria, quæ à te tan-
guntur. I°. Miraris, quâ ratione dicam, *Deum pulverem terræ, (ex
quo Adam conditus eſt,) primariâ creatione ita diſpoſuiſſe, &c.* Ra-
tio manifeſta eſt ex antè dictis: Quia nempè in ſecundaria crea-
tione primaria includitur. Primariâ autem creatione hîc uſus fuit
Deus, quatenus ipſi pulveri vitalem atque animalem facultatem,
ſeu verè id quod vegetativa ac ſenſitiva anima appellatur, indidit,
ad quas pulvis ille naturaliter in potentia non erat: atque ita Deus
Opt. Max. non ex ſolo pulvere terræ hominem fecit, ſed pulve-
rem terræ dicitur formâſſe hominem: ita ut homo etiam, hoc
eſt, animal humanum appellaretur illud, in quod deinceps inſpi-
ravit Deus ſpiraculum vitæ, ſeu eſſentialem animam hominis, quâ
23. homo eſt. Sed, ne quid ſcrupuli hîc ſuperſit, dicam uno verbo ple-
niùs,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

niùs, quâ ratione differentia generationis & creationis à ſubjecto ſit petenda, ſi vel in creatione ſecundaria ſubjectum aliquod præexiſtere dicatur. Nimirum, cùm non ilico, ſi quando ex ſubjecto præexiſtente quid producitur, generatio dicenda ſit; omninò tamen, ſi nullo penitus præexiſtente ſubjecto *ex quo* fiat productio, creatio dicenda eſt. Quod ut declarem evidentiùs. Dico, fieri 24.
quidem poſſe, ut creatio fiat ſubjecto aliquo præexiſtente, quod vel ipſam etiam rei productæ eſſentiam ingrediatur, adeóque ſubjectum ſit *ex quo*: (ut, ſi ex lapide equum faceret Deus Omnipotens, ex nihilo interim productâ equi formâ; vel ipsâ etiam formâ quoad ſubſtantiam præexiſtente, & in materia deliteſcente, ſed eidem ita planè indiſpoſitæ & ad recipiendam lapidis formam minimè inſtructæ, junctâ non niſi per ſolitariam Dei potentiam, lapidem convenienter diſponentem ac facultatibus ſubordinatis inſtruentem:) non concurret tamen illud ſubjectum *ex quo* reſpectu creationis; ſed per accidens ad creationis actum refertur, quatenus nempè tranſmutatio illa non eſt pura ac mera creatio; ac in eo ſolo conſiſtet tota creationis eſſentia, quod actio illa talis ſit futura, quæ omnem virtutem ſecundarum cauſarum excedat: (poſito nimirum, quod ne quidem in ipſius Diaboli ſit poteſtate ex lapide equum facere; quod ſi foret, ne quidem illa actio eſſet dicenda creatio, utut miraculoſa quædam operatio.) Similiter, ſi 25.
vel etiam fortè in creatione hominis ex terræ pulvere, præter pulverem extiterit ipſa formæ vegetativæ & ſenſitivæ ſubſtantia, ea tamen non niſi per virtutem, omni ſecundarum cauſarum facultate ſuperiorem, adeóque per creationem juncta fuit ſubſtantiæ penitùs indiſpoſitæ, nimirum terræ pulveri. Ubi ſanè creatio à generatione eſt diſtincta, differentiâ deſumptâ à ſubjecto, quod generatio quidem *ex non ente* fieri dicatur, ſed *certo* quodam ac *determinato*, ob privationem, quam materia includit; at creatio hæc *ex non ente* fieri dicenda eſt, non quidem tali quod ad certum ac determinatum quoddam ens reſpectum habeat, ſed quodammodò *abſolutè non ente*, quippè cùm nulla ſit ſubjecti aptitudo, adeóque nulla privatio, ſed pura puta negatio rei producendæ. Adeóque hæc creatio ex præexiſtente ſubjecto ità parum à creatione ex abſolutè nihilo diſtat, ut ne quidem credendum ſit, potuiſſe vel ipſum Satanam ullâ ratione, per mil-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

le ſuas artes, ex pulvere illo præexiſtente, ac fortè tunc præexiſtentibus vegetativæ ac ſenſitivæ animæ ſubſtantiis, ſenſitivum corpus humanum conſtituere: ac interim productionem tum materiæ tum formæ ex nihilo productæ ab eodem à quo
26. ſociantur, præſupponit. Hîc ergo patet, quomodo ſubjectum præexiſtens non ſit de eſſentiâ creationis, quatenus eſt creatio; ſed illud tantum inferat, ut quæ in ſe dicenda eſt creatio propriè & abſolutè, ob præſentiam ſubjecti ſecundaria dicatur; Et quamvis hæc creatio non ita ſit ex nihilo ſimpliciter, velut ea quæ abſolutè prima dicitur; eſt tamen ex tali non ente, in quo ne quidem privatio ineſt formæ per compoſiti productionem producendæ, fitque omnino per immediatam ac ſolitariam omnipotentiæ divinæ operationem. Unde & ſecundò patet, quomodo vel in ſecundaria creatione, differentia creationis & generationis
27. à ſubjecto ſit petenda. Huic ergo creationi quamvis illud quidem cum generatione ſit commune, quod ſubjectum aliquod præexiſtat; haud tamen viciſſim id generationi cum creatione commune eſſe poteſt, ut nullum præexiſtat ſubjectum ex quo res producatur. Atque ita, quod ad rem noſtram ſatis eſt, cùm formæ non fiant ex materia ſubjecta, utique niſi in eadem præexiſtere quoad ſubſtantiam cenſeantur, non generari, ſed creari ſunt dicendæ: eodem jure, quo & ipſam rationalem animam creari dicimus, licet non extra corpus, ſed in ipſo corpore produca-
28. tur, quin & eodem actu producatur ſimul atque uniatur. Ex dictis autem denuò manifeſtum eſt, quo modo abſque omni contradictione, ea quæ expoſui Theatr. Univ. part. 2. diſp. 1. q. 1. cum iis, quæ ad veſtras Inſtantias regeſſi, optimè conſentiant: Atque illic emphaſi non caret, quod *dixerim ſecundariam*
29. *creationem eſſe productionem formæ, &c. in præſubjecta materia*, potiùs quam *ex præſubjecta materia*, &c. II^dum. quod tangis hoc eſt, *quod non videas*, quomodo omnis rerum *conſervatio vocetur continua creatio?* Age igitur id paucis, ut intelligas, efficiam: quamvis id elenchum noſtrum non attingat, quippè quod aſſumptum fuit, non alium in finem, quàm ut innuerem, tibique concederem liberiùs, ſecundas cauſas Deo diverſimodè ſubordinari quidem, ac interim viciſſim non ſubordinari, in aliqua creationis ſpecie vel modo, ſi nempè conſervatio ſit continua creatio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

creatio, adeóque, ſi reſpectus habeatur operationum naturalium.
Quòd ſi verò ne id quidem velis, conſervationem Dei eſſe ipſam- 30.
met creationem: hîc quidem pro re noſtra ſatis fuerit demon-
ſtrâſſe, in productione entis ex mero nihilo ſubordinationi ſe-
cundarum cauſarum nullo modo eſſe locum. Sed tamen ſequar
quò me avocas, Quod igitur feci Diſcurſ. Phyſ. de Opif. Mundi,
diſp. 1. th. 11. id hîc reſumo, ac conſervationem rerum diſtin-
guo quatenus vel ad Deum ſpectat, & ab ipſo Deo dependet, quo
modo eſt quædam actualis divinæ virtutis quæ in Deo eſt circa
res ipſas præſentia, vel quatenus ea ad res ipſas exporrigitur, ac
terminatur in creaturis: priori modo inquam conſervationem
coïncidere cum ipſa creatione; poſteriori verò, ſiquidem ordi-
nem naturæ ſpectemus, dico eandem cauſarum ſecundarum à
Deo conſtitutarum & ab eodem dependentium fidei commiſ-
ſam eſſe. Illius autem prioris aſſertionis rationem dedi cit. diſp.
quæſt. 5. §. 17. quòd nempe utraque operatio Dei, ſc. creatio &
conſervatio, ad unum eundemque terminum tendat, ſc. ad eſſe &
ſubſiſtere. Et ſanè, ut manet una eademque virtus in Deo; ac il- 31.
lius virtutis præſentia circa creaturam, quâ ipſum eſſe cretauræ
largitur, una eademque, cùm in ipſo Deo nulla ſucceſſio habeat
locum: ita manet conſtans ipſa Dei creatio. In ipſa autem creatura
differt conſervatio à creatione, ſeu potiùs ipſum conſervari à cre-
ari: Creari enim præciſè ſumptum ſignificat nihil aliud, quàm
conſequi eſſe, ſeu initium eſſentiæ, ex nihilo, per potentiam al-
terius; conſervari autem denotat in eodem eſſe, ſeu in eſſentiæ
ſuæ poſſeſſione, per eandem, vel aliam aliquam, ſi fieri queat, po-
tentiam permanere. Hinc impropriè diceretur creatura in primo
ſui momento conſervari; velut & impropriè poſt primum mo-
mentum creari: cùm diſtinctionis manifeſta ratio in creatura in-
ſit: At in agente Deo cùm nulla actionis ſit diverſitas, conſer-
vandi ac creandi actus unus idemque eſt. Si enim eſſent actus di- 32.
verſi, ſeu diverſæ actiones, quæro an ſtatuas creationem eſſe a-
ctionem momentaneam, an verò non? Si dicas momenta-
neam: vel ergo eodem momento inchoatur conſervatio, quo
ceſſat creatio; vel aliquo ſequenti: Non incipit eodem mo-
mento, abſurdè enim & impropriè diceretur creatura eodem
illo primo ſui momento, quo creatur, conſervari; ſi di-
cas ali-

cas aliquo ſequenti momento inchoari conſervationem, jam ergo inter initium conſervationis ipſamque creationem aliquid temporis intercedit, quo adeò nec creatur res nec conſervatur, quo nihil eſt abſurdius. Conſequentiæ autem ratio ex eo manifeſta eſt, quòd duo momenta non poſſint invicem immediatè ſequi, ſed inter quælibet momenta duo tempus intercedat. Quòd ſi non momentaneam eſſe credas creationem: quæro, quid ſit cauſæ,
33. cur cùm tempore aliquo illa durare queat, non queat toto illo tempore durare, quo res permanere dicitur. A mea autem hac ſententia non putem alienos eſſe ipſos Orthodoxiæ Theologicæ Coriphæos, ut Theologorum Vulgo, quâ tali, hîc nihil concedendum ſit. Orthodoxotatos noſter Calvinus ipſus *frigidum ac jejunum eſſe* aït lib. 1. Inſt. cap. 16. § 1. *Deum facere momentaneum Creatorem*: *In hoc præcipuè*, inquit, *nos à profanis hominibus differre convenit, ut non minùs in perpetuo Mundi ſtatu, quàm prima ejus origine, præſentia divinæ virtutis*, (quâ eodem modo ſe habente, eodem modo ſe habet Dei operatio, ac per conſequens manet ipſamet creatio,) *nobis illuceat*. At, quam diverſitatem in illa divinæ virtutis præſentia vel cogitatione finges, ut adeò non niſi momentaneus Creator ſit dicendus Deus noſter. Confer reliqua, quæ ſubjungit ibid. Calvinus, & videbis quantopere urgeat, plus ad Creationem pertinere, quàm quod carnis ſenſus illi defert, ſeu quod vulgò illi attribuitur: *Ad providentiam uſque Dei*, (quid hæc, quæſo, eſt, niſi ſit ipſa Dei conſervatio ac gubernatio creationi momentaneæ ſuperaddita,) *tranſeundum*, docet,
34. *ut ritè capiamus, quid hoc valeat, Deum eſſe Creatorem*? Hic è vulgo ſanè autor non eſt, ut alios præterea. Et ſi vel maximè cum ſolo vulgo Theologorum in hac materia ſentiremus, certè reliquis tamen omnibus, quos fortè maximos exiſtimares, pęrcipiti quodã rapidoque ingenii ſui fluxu veritatẽ prætervectis, ſententiæ noſtræ pietate antecelleremus. Quòd ſi autem hæc ſententia noſtra ex noſtris ſcriptis clara ſit, cogita, quæſo, quo jure, quâve conſcientiâ vel potiùs, quo perſpicacis animi profundo judicio exiſtimandus ſit non nemo è noſtris aliquando eruiſſe, quod immediatam Dei
35. providentiam negemus; vel univerſalem rerum conſervationem non ſoli Deo tribuamus. Sed alibi ad illum nos convertimus. Per ea autem, quæ hactenus expoſita, nunc facilè tuum tibi ſcrupulum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

lum eximemus. Quòd conſervatio rerum ordinaria nec primaria nec ſecundaria creatio dici queat, id exinde oritur, quod creationem paſſivè definiamus, non activè: prout enim ipſum creari vel ſubjectum omne excludit, vel ſubjectum aliquod præſupponit; ita creationem vel primariam vel ſecundariam appellamus. Ab hac autem creationis paſſivè ſumptæ appellatione, ſeu quatenus creatio in creaturas terminatur, concedimus omnino diſtinctam eſſe conſervationem rerum ordinariam, non modò prout ea ad Deum ſpectat, (quod hîc nobis ſatis foret,) ſed etiam prout in ipſa creatura conſideratur. III°. Quomodo poſſit evitari hoc ab- 36.
ſurdum, quod infers, ſatis clarum eſſe credo ex ultimarum literarum Reſponſion. noſtris: ubi in hoc ipſo ex tua opinione inferendo, atque adeò refutando, penè totus eram. Nempe, ad rerum naturalium conſervationem dupliciter concurrit Deus, & immediatè & mediatè, (de qua re pluribus egi in Apol. ad Art. 2. ut fortè tædioſum foret, ſi crambem biſcoctam hîc offerrem: imprimis autem vide ea quæ veluti in ſummam contracta poſt Præfationem ſupplementi loco ad Art. 2. addidi.) Quatenus ergo immediatè concurrit, ita ſolus creat, ac ita conſervatio ejus eſt continua creatio: atque ita nego ſecundas cauſas divinæ conſervationi ſubordinari: Quatenus verò interim per media conſervat, ſeu, ut dixi Diſcurſ. de Opif. Mund. Diſp. 1. th. 11. quatenus conſervatio rerum ordinariè fidei ſecundarum cauſarum, & à Deo dependentium, commiſſa eſt, adeóque quatenus extra Deum ſpectatur, ſeu quatenus pertingit ad creaturas ita creatio non eſt. Atque ita o- 37.
ſtendi in Reſpon. præc. *in una eademque Dei actione circa effectus naturales, eſſe aliquid, quod ſecundæ cauſæ attingant, & quod reverà cum ſecundarum cauſarum actione coïncidat in unum; ſed & aliquid inſuper eſſe, quod omnium ſecundarum cauſarum virtutem tranſcendat.* Perperam ergo aſſumis, *rerum naturalium conſervationem, quæ ab ipſo Deo dependet immediatè, per cauſas tamen naturales proportionatas fieri*, ſi intelligas ſecundùm eundem reſpectum, quo à Deo immediatè dependet. Nodus certè hic dignus non fuiſſe videri poteſt, qui tuum ingenium aliquoties urgeret, ac deſtrictas detineret cogitationes.

Sed porrò, in eo quod tertio loco objicis, longiſſimè à mea mente 38.
deflectis, quod & in ſecundis Reſp. apertè indicavi. Concedis qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

dem, ac argumento meo evinci teſtaris, quod creatura ex ſimpliciter nihilo non poſſit formas producere. Hoc nempe unicè volebam. At aïs, *hoc in Diſput. me intendere videri, quod creatura formam quidem tantùm producat ſecundùm eſſe reſpectivum ſeu relationem & unionem; non autem ſecundùm illud eſſe ſpecificum, ſecundùm quod novam ſpeciem entis conſtituit, & ab aliis diſtinguit.* Prius equidem à me intendi profiteor omnino eſſe verum, & hoc tantùm urgeo: At dato eſſe reſpectivo formæ, ſeu ejus u-
39. nione, datur reverà ipſum ejus eſſe ſpecificum. Equidem, in ſecundis Objectionibus planè contrariam mihi mentem attribuere videbaris; nimirum, exiſtimabas me id formæ, quod in materia eſſe dico *ante generationem*, accipere *ſecundùm ipſam formæ ſpecificam eſſentiam.* Quod cùm negarem, ac à mea mente planè alienum eſſe manifeſto loco docerem, citato ex Diſp. de Eſſent. & Orig. form. nat. q. 2. § 14. 15. & ſeq. addidi expreſſis verbis, *eſſe reſpectivum formæ*, & *eſſe ſpecificum* ex meâ mente reipſâ non differre: idemque tertiis Reſponſionibus repetii. Atque hinc eſſe *reſpectivum* ac *formale* pro uno eodemque ſumpſi; utrumque verò dixi illud eſſe *in quo ſpecifica formæ eſſentia conſiſtit*, (verba mea ſunt ipſiſſima in Reſp. ſecundis,) ſeu, *quo forma materiam informat, eamque actuat, ut certam ſpeciem conſtituat*, (ut dixi Theat. Univ. part. 1. diſp. 7. q. 2. § 15.) Id verò *eſſe reſpectivum* ſeu *formale* diſtinguendum dixi à *formæ eſſe abſoluto, in eo ſimpliciter conſiſtente, quòd ſit ſubſtantia incorporea, incompleta, diſtincta à materia*, quod alias *eſſe ſubſtantiale* dici queat. Confer jam citatum locum, & hanc meam mentem videbis luce meridianâ
40. magis claram. Cùm tu ergo contendis, à cauſis naturalibus formam produci ſecundùm eſſe ſpecificum, ſecundùm quod novam entis ſpeciem conſtituit, & ab aliis diſtinguit, haudquaquam contra me pugnam intendis, ſed unâ mecum ſentis; adeóque victoriam hoc loco, de qua, diſcuſſis nebulis, tibi gratulor, non tua ſolius eſt, ſed utriſque nobis eſt communis. Ac ea ergo quæ
41. ſubjiciuntur, à ſcopo longiùs aberrant. Sed antequam hîc manum de tabula, hoc obiter monendus eris, (ne fortè dubitandi hinc aliqua occaſio incidat,) duplici ſenſu eſſe ſpecificum formis poſſe attribui: Vel enim quatenus ſunt formæ, atque ita eſſe ſpecificum idem eſt cum eſſe formali, ac ſpecificum quidem appel-

latur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

latur, quòd formæ per ſuum eſſe formale certam rerum ſpeciem conſtituant; vel tribuitur formis eſſe ſpecificum, quatenus ſunt ſubſtantiæ, in unaquaque rerum ſpecie, entitate ſuâ propriâ, ſeu ſubſtantialiter, ab invicem diverſæ. Quamvis enim hoc poſteriori ſenſu propriè ſpecies vel genera non dicantur, (quippe quòd ſpecies & genera propriè non habeant locum, niſi in iis rebus, quæ differentiâ aliquâ, eſſentiæ communi ſuperadditâ, ab invicem diſcernuntur, ſeu, quæ dum aliquo conveniunt, alio rurſum diſtinguuntur,) uſus tamen ita obtinuit, (quod ipſe etiam rectè obſervas in progreſſu,) ut ea omnia, quæ habent eſſentiale aliquod diſcrimen, ſpecie vel genere differre dicantur: atque ſecundùm hunc ſenſum aliud eſſe ſpecificum formis, aliud materiæ tribuimus; ſimiliter verò ipſis formarum ſubſtantiis, nondum ſub ratione formarum ſpectatis, quæ diverſis corporum ſpeciebus conveniunt, differentiam quodammodò ſpecificam impropriè aſſignamus, cùm ſolâ interim entitate ſuâ ſint diverſa. Quod quâ ratione verum ſit, patebit in progreſſu. Nunc illud videamus por- 42.
rò, quomodo rationes veſtræ, quæ præter modum à me datum ſufficere videntur vobis etiamnum, productionem ex ſimpliciter nihilo ſufficienter, (ut vobis placet,) removere queant. Dixeras in præcedentibus, *præſuppoſitâ materiâ* produci formas. At reſpondebam ego, illud planè nihil facere ad rem, quod quidem exemplo rationalis animæ demonſtrabam: quæ ipſa quoque, licet præſuppoſitâ materiâ fiat, dummodò non fit ex illa præſuppoſita materia, (quemadmodum nec ipſe ſtatuis formas naturales *ex materia* produci, licet in materia oriantur, & una cum materia ſubſiſtant,) nihilominùs ex nihilo ſimpliciter produci aſſeritur. Et, quòd illa præſuppoſita materia productionem ex ſimpliciter nihilo non evertat, pluribus expoſui in ipſa mea Diſp. citata, quæſt. 4. § 5. 6. 7. & ſequentibus. Sive ergo dicantur formæ *ex ſimpliciter nihilo fieri, nullo præſuppoſito ſubjecto*, ſive, *ex ſimpliciter nihilo fieri aliquo præſuppoſito ſubjecto*, modò ex ſimpliciter nihilo fieri concedantur, manet nervus argumentationum mearum integer: ac nondum video, quo modo à finita virtute ens reale ex ſimpliciter nihilo produci queat? Atqui, 43.
cùm dicis, *non doceri* à me, *formas ex ſimpliciter nihilo fieri, nullo etiam præſuppoſito ſubjecto*, fateris inſuper & ad-

 dis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

dis, *te*, *indicando præſuppoſitâ materiâ fieri, illud poſterius, non prius*, *indicare*, ac illud itaque, quòd urgebam ego, ſcilicet *ex ſimpliciter nihilo productum iri*, innuis intactum te relinquere: hoc eſt, concedis doceri à me, *formas ex nihilo ſimpliciter productum iri*, niſi ſubſtantialiter in materia præexiſtant, ſub hac tamen reſtrictione illud concedis, ſc. dum ita *ex ſimpliciter nihilo* fieri ſtatuantur, ut fiant *præſuppoſitâ materiâ*, non quidem *ex qua*, (quippe oppoſitum poneretur in appoſito,) ſed *in qua*. Hoc ergo quo modo ad rem faciat, ac nervum argumentationum mearum
44. incidat, nondum capio. Porrò, ubi dicis, *formam fieri ex aliquo ſecundùm quid, quatenus è potentia materiæ educitur, imò quatenus forma prioris ſpeciei tranſit in formam alterius*, rectè, ni fallor mentem tuam percipio: nec enim disjungo illa, quæ tu conjungis; ſed in poſteriori etiam prius obtinere locum, ex tua ſententia probè intelligo: Veruntamen, cùm particula *imò* emphaſin habeat, colligo plus per poſterius indigitari quàm per prius. Cùm ergo prius, ſi ſpectetur ſolum, nihil explicet, ſed illud repetat ſimpliciter quod erat in principio, de quo intelligendo, quid ſit, laboramus, eo quidem miſſo, ut inutili ad inſtitutum, niſi explicetur clariùs; ad poſterius, quod ut priori lucem aliquam affundit, ita non eſt quid diverſum à priori, me converto: atque ita in poſteriori prioris quoque ſenſum apprehendens, id colligo ex tuis verbis te reipsâ mecum convenire, quatenus formas ſubſtantialiter ſaltem ineſſe in materia ante rei novæ generationem ſtatuis, dum unam eandemque formam de ſpecie in ſpeciem tranſire aïs. Quæ ergo declarationis causâ addis, ſunt ſuperflua, cùm mentem tuam, quam nunc tradis, eandem antea perceperim.

45. Hactenus ergo in re ipſa, quam antè habebamus controverſam, conſentimus. Ac ipſe unà mecum profiteris, *in generationibus rerum formam, retentâ ſubſtantiali entitate ſuâ, eſſe ſpecificum mutare*; ac viciſſim ego tecum in eundem ſenſum pronuncio, *quamvis ſecundùm eſſe ſubſtantiale forma ſit perpetua, eam tamen ſecundùm eſſe formale, aut potiùs ſpecificum, perire*. Atque hîc igitur, (quod te evidenter edocere non potuiſſe fateris,) animadvertis, *quodnam illud poſitivum ſit, quod rationem formæ producendæ induat:* nimi-
46. rum ipſa formæ ſubſtantialis entitas. Sed miraris, *cur*, hoc conſenſu quidem poſito utrimque, *negem interim*, *omnibus formis*

quarumvis

quarumvis ſpecierum unam eandemque communem ſubſtantiam eſſe, quæ aliud atque aliud eſſe ſpecificum & induat & exuat? Hoc ergo novum eſto κρινόμενον, ad quod ſaltem in exordio diſquiſitionis noſtræ non reſpeximus. Cauſa verò quæſiti ex ipſa quoque illa Diſp. de Eſſent. & Orig. form. ſat evidenter poteſt elici, ut quæſt. 3. § 30. & alibi paſſim. Nimirum cùm in unaquaque ſpecie corporum naturalium formæ determinato quodam modo operentur, non tantùm quando jam eſſe formale obtinent, ſed etiam quando materiam diſponunt, ſibique organa præparant, ac corpus conſtruunt, (ſunt enim formæ architectrices cauſæ ſuorum domiciliorum, ut ex Themiſtio loquitur Scaliger,) utique niſi ſpecie diſtinctæ, ſeu potiùs entitate propriâ diverſæ formarum ſubſtantiæ in unaquaque rerum ſpecie conſtituendæ ſint, quæ ſingulæ peculiarem conformationis, ac ſpecificationis rationem à Deo ſint edoctæ, ſeu, quaſi ideam aliquam à conditore ſibi impreſſam gerant, ſecundùm quã in materia convenienti certoq; ac determinato modo operentur, niſi, inquam, ita ſe res habeat, nulla ratio reddi poteſt, cur ſubſtantia illa communis, quam tu ſtatuis, aliâ ratione v. g. corpus equinum conſtruat, aliâ ratione corpus caninum, & equum à cane eſſentialiter differre faciat, cùm non aliâ ratione formale ſuum eſſe induat, niſi quatenus materiam ordinat & actuat, ut ita in unum ſuppoſitum cum ea conjungatur.
Quòd ſi quis materiæ illud, aliter vel aliter diſpoſitæ, tribuat, ille 47.
utique eſſe ſpecificum rerum potiùs materiæ quàm ſpecificæ formæ acceptum referet. Aut, ſi omnino ſubſtantia quædam formarum una eademque communis omnibus rerum ſpeciebus tribuenda ſit, utique aliæ denuò formæ, aut formarum ſubſtantiæ concipiendæ erunt, quæ communem illam ſubſtantiam determinent, eique in variis rerum ſpeciebus variam ſpecificandi rationem imprimant: niſi quis fortè credat communem illam entitatem ſubſtantialem formarum in variis rerum ſpeciebus à ſeipſa per ſe ipſam differre. Nec verò ſatis eſt, ſtatuere communem il- 48.
lam entitatem *ſolùm eſſe ſpecificum, hoc eſt, formalitatem à priori formalitate diverſam recipere*, niſi ſimul modus concipiatur, quo id fiat, & cauſa à qua id fiat. Ego quidem, dum entitates formarum in ſingulis rerũ ſpeciebus diverſas trado, facilè concipio ſolâ materiæ, per formam è potentia materię emergentem, conformatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ne, ac ita formę cum eadem unione, formalitatem indui; at quâ ratione quicquam concipi queat, quod veſtris hypotheſibus ſit congruum, cogitatione meâ nondum aſſequor. Quæ mox ſubjungis, mihi æque atque tibi rata ſunt, cùm in vocabulis, minùs propriè
49. poſitis, certamen illic non affectem. Equidem ſat exactè intelligo, quomodo *differre* propriè ac *diverſum eſſe* diſtinguantur ab Ariſt. 10. metaph. At miror interim, quâ ratione dicas, *animam rationalem, quæ ſpecifica hominis eſt differentia, cum aliis formis ſubſtantiali entitate convenire.* Si in communi quadam ſubſtantiæ notione, (quæ à ſola noſtra mente dependet, ut in progreſſu dabo manifeſtum,) intelligas, concedo facilè; ſed ita tota entitate ſuâ propriâ manet diverſa: ſi verò in communi quoque entitate ſubſtantiæ intelligas, omnino abſurda eſt ſententia. Si enim ſubſtantiam animæ rationalis in ſe ſpectes, quid, quæſo, in ea invenis, quod à ſubſtantiæ ejus entitate ſit diſtinctum, præter modum entis, quem ſubſiſtentiam vocamus? ſi ergo eandem quoque ſubſtantiæ entitatem tribuas aliis formis, utique ejuſdem haſce cum rationali anima ſubſtantiæ aſſeverabis, quod abſurdum ſanè ac periculoſum eſt. Similem abſurdam ſententiam pluribus refutavi Differt. de anim. hum. ort. prima § 36. & ſeq. uſq;
50. ad § 49. quæ argumenta commodè huc transferri poſſunt. Subſtantiæ autem formalitas tum rationalis animæ tum aliarum formarum, nihil entitati ſubſtantiæ ſuperaddit, præter modum entis, nempe unionem ac reſpectum ad corpus vel materiam: quæ ipſa etiam unio longè aliter convenit rationali animæ, quàm reli-
51. quis formis, ut alibi prolixè expoſui. Quòd ſi verò entitatem ipſam formæ quid ſubſtantiale ſtatuas, (ex ipſa rei veritate,) ac denuò putes *formalitatem & eſſe ſpecificum aliquid ſubſtantiale,* (quod ipſe ignoras *qualecunque tandem ſit*, hoc eſt, an non fortè ſit aliqua qualitas? ſaltem, utcnuque ſe habere credatur, à me illud nequit concipi,) quæ erit hæc, quæſo, ſubſtantiarum in una ſimplici forma combinatio? Ac quis adeò, ſecundùm jam expoſita, erit formæ unius ſpeciei in formam alterius tranſitus? Ne jam dicam æquè impoſſibile eſſe, ſubſtantiale illud formalitatis à creatura aliqua ex nihilo produci, atque ipſam formæ ſubſtan-
52. tiam: ut hîc adeò labyrinthus revertatur in orbem. Sed ne quid hactenus ſuppoſuiſſe videamur quod incertum ſit, pleniorem lucem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

lucem dabimus, ac evidentem veritatem eruemus ex iis quæ ſequuntur. Hîc ergo non concedis, *in iis quæ propriâ ſubſiſtentiâ carent*, adeóque *incompleta ſunt*, *differentiam numericam*, (*diverſitatem* dixi ego,) *à ſola entitate petendam eſſe*: ac contrarium urges hoc argumento, *quòd ratio unitatis ac convenientiæ*, *qualis eſt entitas, non poſſit eſſe ratio differentiæ*. Idem ego tibi largior: atque hinc non dixi *differentiam*, *ſed diverſitatem*. Quomodo autem *differre* ac *diverſum eſſe* ab ipſo Ariſt. diſtinguantur, paulò antè obiter, vel digito ſaltem, innui: atque ex eodem expoſui Theatr. Nat. Univ. part. 1. Diſp. 4. q. 2. § 21. *diverſa eſſe quæ diſtinguuntur ſemetipſis*: Ut adeò ſubſtantiæ etiam immateriales, quæ propriam habent ſubſiſtentiam, (ſive vel eſſentiarum diſcrimen tantùm habeant, ut animæ rationales inter ſe, ſive eſſentiale habeant diſcrimen, ut anima rationalis & Intelligentiæ,) per ipſam ſuam ſubſiſtentiam diverſę eſſe; at non, habere differentiam, dicendæ ſint. Et ſi quidem, ſecundùm tuam rationem, non niſi 53.
ubi formarum in diverſas ſpecies ſit tranſitus, diſcrimen numericum invenias, quo modo ſecundùm eandem rationem diſcrimen numericum invenires, ſi fortè non mutaretur ſpecies, at fieret tamen aliud individuum. (Quid noſtræ quidem ſententiæ hîc conveniat, manifeſtum eſt ex Diſp. de Eſſent. & Orig. form. quæſt. 3. § 42. & ſeq^bus.) Sed pone, formarum omnium com- 54.
munem ſubſtantiam, (ſi quidem non ſolâ entitate ſuâ formarum eſſentiæ variæ diſtingui credendæ ſint,) per aliam quamcunque rationem diverſitatis, (quam ipſe non exponis, quòd eam non invenias,) diſtingui: quæro igitur, an & ipſæ differentiæ ſeu diverſitatum rationes ab invicem diſtinctæ ſint, an verò non? ſi non diſtinctæ ſint ab invicem, ſed unæ eædemque, quo modo diſtinctionem facient? ſi diſtinctæ, an ergo per ſe ipſas, ſeu per ſuam entitatem, an verò per alias diverſitatum rationes? ſi hoc dicas, denuò ſimiliter quæram: ac ita tandem cogeris progredi in infinitum. Tota autem ambiguitas, ſeu totus ſcrupulus, incidit 55.
ex non ſatis obſervata diſtinctione eorum, *quæ differunt*, & *quæ diverſa ſunt*. Quòd ſi autem dicas ſtrictiùs, rationem communitatis non poſſe eſſe rationem diverſitatis, jam reſpondeo, mentem noſtram unam eandemque rem, ſimpliciſſimâ ſuâ entitate conſtitutam, diverſimodè concipere, atque ita vel communem

aliquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

aliquam notionem, vel diverſam formare, veluti quando & materiæ primæ ac formis commune quid tribuimus, quòd nempe ſint ſubſtantiæ, cùm interim ſolâ entitate ſuâ diverſas eſſe fateri neceſſe habeamus: niſi & materiam abſolutè primam velimus per aliquam diverſitatis rationem, adeóq; per formam aliquam, conſtituere; ipſasque formarum eſſentias per formas iis ſuperadditas, ceu per differentiam, à materia diſcernere: atque ita denuò orietur labyrinthus ille, in infinitum finem non inveniens.

56. Quâ autem ratione dicam ſæpius, unicam & indiviſam eſſentiam in ſe dividi quodammodò, quatenus *formali aſſumptâ ratione* (ad hæc verba puto te reſpicere,) diverſa individua conſtituit, quâ ratione, inquam, hoc intelligam, jam aliquoties in prædentibus expoſui, quando oſtendi, ſimplici formarum entitati non niſi entis modum ac relationem ſuperaddi, ut formalis ratio aſſumatur.

57. Ad accidentia quod attinet, minor quâ ratione pro hiſce concipias materiale quid ab ipſo ſubjecto cui inſunt diſtinctum; cùm totum eſſe accidentium formale ſit: ſunt enim formæ accidentales. Simili modo forſan in ipſis etiam formarum ſubſtantiis materiale quid commune omnibus concepiſti in præcedentibus, quod à ſubſtantia ſingularum propria, quâ nempe reſpectum induere poſſunt ad materiam, diſtinguas: ut ex hac hypotheſi illam differentiæ rationem, quam præter communem entitatem ponis, (jam una cum ipſa illa ratione differentiæ ac hypotheſi refutatam,) elicias. Sed hoc utut fingas, certè totum *eſſe* accidentium eſt *ineſſe*: atqui in ipſo *eſſe* continetur univerſa *entitas*: ſublato ergo *ineſſe*, tollitur & ipſa *entitas*.

58. Liberiùs hîc tecum ago, ſuaviſſime Amſcorum, quòd ipſe rem dignam, ut reverà eſt, profitearis, in qua vel etiam deſudent ingenia Philoſophorum. Alias autem meas rationes quod ſpectat, non putem ullam ex iis ſolidioribus Objectionibus urgeri poſſe, quàm ut in promptu ſit futura noſtra Reſponſio. Sed cùm jam in re ipſa, cujus causâ rationes illæ à me ſunt allatæ, dudum mecum ſentias, ac fatearis *formam ſecundùm eſſe ſubſtantiale perpetuam eſſe*, ipſe ſanè tuo examine longiore unâ mecum vel cauſâ cades vel ſtabis. Sed nec ingratum tamen erit, ita fortè ferente occaſione, intelligere, quid ſolidioris argumentationis contra me moveri poſſet:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

poſſet: quamvis nec everſâ unâ forſan ratione aliquâ, res ipſa, pluribus rationibus aliis munita, protinus everteretur.

Ad creationem verò revertamur: ubi in re ipſa mecum ſentiens, 59.
in modo tantùm probandi vis videri à me diſſentire. Putabam ego autem modum illum tuum ad aliquem priorem, velut ad primum aliquod principium, poſſe ac debere revocari, in quo tandem cum meo coïncideret. Id verò puto etiamnum, & in ipſis exemplis à te allatis clarum reddere conabor. Id autem à te con- 60.
ceſſum præſupponam, *rationem meam*, quâ tuam ulteriùs probo, & ad principium aliquod prius reduco, *valere ſi applicetur creationi ex ſimpliciter nihilo.* Sed quare non valeat, ſi applicetur creationi ſecundariæ, examinemus. Innuis cauſam, quòd ſecundaria creatio ſit *ex præſuppoſito ſubjecto*. Id quâ ratione verum, quâ ratione falſum, dictum eſt in præcedentibus. Exemplum jam proponamus. Quæritur quid cauſæ ſit, cur non poſſit homo grana 61.
hordei mutare in ovum? Cauſa ut inveſtigetur exactiùs: vel præſupponis ovi formam ſubſtantialiter in granis contineri; vel non contineri præſupponis. Si dicas ne ſubſtantialiter quidem formam ovi in granis ineſſe, jam ex ſimpliciter nihilo produci debet, (quod ante ſatis evidenter demonſtravimus,) ac denuò tibi contradicis, cùm jam antea conceſſeris, formas quoad eſſe ſubſtantiale eſſe perpetuas. Quòd ſi verò ex ſimpliciter nihilo producatur forma quoad ſubſtantiam, jam mea ratio tuæ ſuperaddita valet, ex hypotheſi jam antè conceſſa: adeóque verum eſt, agens naturale ad ſubjectum tale non eſſe proportionatum, (quæ tua erat ratio,) eâ de causâ, quòd ejus actio uſque adeò intenſa eſſe nequeat, ut infinitum intervallum, quod intercedit inter ſimpliciter nihil & ens, expleat; (quam rationem ego pro tua confirmanda ſuperaddo.) Quòd ſi dicas contineri formæ ſubſtantiam in granis, 62.
ita ut à cauſis naturalibus in actum evocari queat, ſeu è potentia materiæ educi, veluti cùm vis gallinaria illam mutationem naturaliter facit, jam utique ne quidem ſecundariam creationem hîc habere locum dici poteſt: Nam, ſi vel ipſe Deus, ita rebus ſe habentibus, per miraculoſam tranſmutationem ex granis ovum produceret, reverà tamen talis tranſmutatio miraculoſa, non eſſet ſecundaria creatio. Cujus quidem aſſertionis manifeſtam cauſam à nobis redditam invenies in Hexaëm. diſp. 2. § 38. in fi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ne, & § 39. Non poteſt tamen homo tranſmutationem illam inſtituere, ideo, ut rectè quidem cauſam innuis, *quòd non ſit proportionatus tali ſubjecto*, intell. ad talem effectum producendum.
63. Sed, quid ſi porrò quærerem, Cur homo non ſit proportionatus tali ſubjecto, cùm vel gallina ſit proportionata? aut, in quonam illa diſproportio conſiſtat? Utique actionem quoad ſubſtantiam, (ut vocant,) ſeu quoad intenſionem ipſam hîc non licet incuſare, cùm longè validior actio queat proficiſci ab homine, quàm à gallina; ſed modum actionis tantùm: nimirum, idem effectus hîc non poteſt ab homine produci, qui à gallina, quòd gallina facultatem habeat, naturæ ſuæ inditam à Deo, quâ talem modum actionis queat exercere naturaliter, activa paſſivis convenienter applicando, ut ex granis ovum fiat; at homo, cui à natura talis
64. facultas non eſt inſita, modum illum etiam ignorat. Fieri tamen poteſt, ut in aliis ſimilibus certum ejuſmodi modum operationis homo noverit inſtituere, ac ita agentia paſſivis ritè accommodare, ut cauſarum etiam naturaliter agentium effectum, naturam arte excitando, producat: v. g. quando vi caloris in fornacibus Ægyptiacis, artificio humano ritè contemperati, æquè ova excluduntur, (quod fieri refert Scalig. Exerc. 23.) ac fotu gallinæ. Vides igitur te à noſtro ſcopo aberrâſſe; & inſuper meas rationes tuæ ſuperadditas priores eſſe tuis, adeóque ad naturam primorum principiorum propiùs accedere, quin imò principi-
65. um eſſe abſolutè primum. Quòd ſi verò in iis, quæ de concurſu Dei immediato unà cum ſecundis cauſis dixi, quædam reperiri putes, quæ correctionem vel explicationem mereantur, ea equidem (utut ſatis multa ac perſpicua, nec minùs ſolida, de hac materia dixiſſe mihi videar,) amico animo à te moneri velim: cùm imprimis digna res ſit, è qua omnis ſcrupulus eximatur.
66. Sed animam quoque tandem reſumamus. Hîc verò in citatione Autorum, Amicum, ſui fortè immemorem, egregiè fallere videris, vel omnino jocari. Scaligerum equidem quod attinet, hunc ego, velut unà mecum in eandem concluſionem condeſcendentem, haud citavi unquam, utpote quem non ignoro ἐν τῷ ὅτι à me diſſentire: at interim in adducendis rationibus, pro ſententia propria confirmanda, uſus aliquando fui verbis Scaligeri, (ut Diſſ. de Anim. hum. ſubſt. § 22.) ut ita tacitè innuerem, magnum Scaligerum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ligerum in hoc negotio à ſemetipſo diſſentire, : (quod non minimum probabilitatis cauſæ meæ addit:) Ac eundem veritatem ſaltem veluti in umbra vidiſſe & agnoviſſe innui ibid § 74. Re- 67.
prehendit autem ille Platonem, ac nonnullos Ariſtotelis Clientes, non ſimpliciter quòd tres animas in homine diſtinguant; ſed quòd eaſdem *diſpeſcentes* inſuper, *totidem locis diverſis diſponant*: quod ſi ita rigidè, ut Scaligeri verba ſonant, accipiendum foret, omnino non ſine ratione eos reprehendiſſet, cùm reverà tergeminum quid eâ ratione oriretur. At cùm nos ſaltem longè aliter loquamur ac ſentiamus, ut apparet Diſſ. de union. anim. cum corp. § 54. & ſeq. uſque ad § 60. & alibi paſſim, certè contra nos inſiſtens Scaliger non ſine validiſſima ratione à ratione aberrat.
Cùm autem dicit *animam implicitam corpori per ejus officiales* 68.
atque adminiſtras partes recipere impreſſiones, quæro hîc ſimiliter ut antè, unde imprimendi illam vim habeant officiales partes? An non ab anima, quæ harum actus eſt? Anima ergo à ſe ipſa recipit impreſſiones, adeóque ſibi ipſi eſt adverſa. Quod in ſimpliciſſimam ſubſtantiam non quadrat. Calvini autem ipſiſſima verba, 69.
quæ contra me adducis, citavi prædictâ Diſſ. § 17. quibus nempe eum volui oſtendere, à mente quidem mea alienum eſſe; at ita tamen ut non mox impietatis conditores appellet eos, qui cum ipſo non conſentiunt, aut anathemate diſſentientes cum ſecta ſua damnet, ut perverſo zelo quidam agitati faciunt. At interim hoc ſimul indicavi § 27. 28. ne Calvinum quidem ipſum pertinaciter in propoſita ſua ſententia perſiſtere, ſed & à ſe ipſo reclinare videri. Difficultatem ſaltem aliquam agnoviſſe Calvinum, nec ut 70.
veriſſimam ac penitus indubitatam urgere voluiſſe expoſitam à ſe ſententiam, (quam ut vulgarem, ac idoneam, pro inſtituto theologico, eorum quoque captui, qui exercitati in Philoſophia non ſunt, expoſuerat,) ex eo ſatis liquet, quod mox ſubjungat citato à te quoque loco lib. 1. Inſt cap. 15 § 6. hæc ipſa verba: *Cæterùm de ipſis facultatibus ſubtiliùs diſſerere Philoſophis permitto: nobis ad ædificandam pietatem ſimplex definitio ſufficiet.* Sic ergo Melanthoni, qui in lib. de anim. omnino mecum ſentit, aliiſque ſuum ſenſum relinquit. Quod autem modum attinet, quo à ſeipſa ratio 71.
credatur diſſentire, de eo ſat ſuperque dictum eſt in præcedentibus. Nihil autem in jam dictis Autoribus nunc invenio, quod an-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tè ignoraverim, vel non dijudicaverim exactè; nec interim diſſi-
mulavi quicquam ſtudio, quod ad ſententiam eorum attineret,
vel noſtræ officeret. Nec verò ad Scaligerum aut Calvinum te re-
miſi; ſed ad eos, quos pro tua cauſa ipſemet citaveras, nempe Bur-
gersdicium, quem tibi manifeſtè ex adverſo dedi repugnantem.
72. Quod porrò attinet Autores, qui partem animæ rationalem rei-
psâ diſtinguunt à parte rationis experte, eos tibi digito ſignavi in
præcedentibus Reſponſ. diſtinctas harum partium ſedes innuen-
do, quas à pleriſque Philoſophis, qui veſtræ ſunt ſententiæ, ſta-
tui procul dubio agnoſcis. Et, ſi qui ſint, qui diverſas ſedes non
ita manifeſtè profitentur, quo modo tamen in realem diſtinctio-
nem per oppoſitæ partis abſurdum devenire neceſſe habeant, in
Calvino noſtro oſtendi § 27. 28. Autores autem ipſos, ut apertè
indicem, invenies Connim. 3. de anim. cap. 13. q. 1. Tolet. ibid.
73. quæſt. 27. ac paſſim alios. Poſitis autem ac conceſſis in anima no-
ſtra partibus reipsâ diverſis, quâ ratione nihilominùs una animæ
noſtræ, (non dico mentis vel rationalis animæ ſtrictè ſumptæ,)
ſimpliciſſima ſubſtantia ſtatui queat, nemo cum ratione intelli-
get. At concedere præter rationalem animam ſtrictè ſumptam,
ſeu mentem ſimpliciſsimam, alias inſuper in materia ſubſtantias,
74. eſt illud ipſum, quod vocant, plures eſſe in homine animas. Nem-
pe, hoc indigitatur tantùm, quando plures animæ traduntur, (ut
inculcavi paſſim,) rationalem animam, (quæ ſimpliciſſima eſt, ac
diviſionis omnis expers, per quam homo in ſpecie eſt homo,)
non poſſe immediatè cum materia prima, aut alia quacunque,
conjungi, ſed requirere corpus aliquod idoneum: Idoneum autem
corpus non eſt, niſi materia per formas varias diſponentes, adeó-
que quæ ſpecificam formarum vel animarum eſſentiam non ob-
tinent, diſponatur. Ac inter illas quidem formarum ſeu animarum
ſubordinatarum ſubſtantias ſtatuimus eſſe illud quoque, quod
vegetativa, itemque illud quod ſenſitiva hominis anima dici
75. conſuevit. Sed videamus Ariſtotelem: quem equidem pro tua
mente exponis, at planè contra mentem Ariſtotelis, nec minùs
interim abſurdè. Quod poſterius mox oſtendemus. Prius autem
quod attinet: Eo equidem ipſo, quod dicat Ariſtot. ſe nolle im-
præſentiarum determinare vel diſputare, an τὸ ἄλογον à τῷ λόγον
ἔχοντι reipsâ differat, eo ipſo, inquam, ſat manifeſtè ſuam mentem
prodit:

prodit: quippe cùm id manifeſtè ſtatuat alibi, quod controverſum eſſe videtur, novam tamen hîc diſputationem ingredi non vult de re quoad propoſitum indifferente, atque adeò quæ foret præter ſcopum. Ac ſi enunciaret in hunc modum: Sumatur illud 76.
ἄλογον animæ noſtræ ad τὴν λόγον ἔχοντα partem, reſpectum vel rationem aut affinitatem habere, quamcunque tandem habere poſſe putetur, modò concipiatur unum ab altero quocunque modo diverſum, ſequitur tamen id quod intendo impræſentiarum. Reverà autem *non appetitum, ſed animam*, (nempe appellatione ſexta, quam expoſui Diſſ. de Anim. hum ſubſt. § 13.) *ſeu illius facultatem ita diſtinguit* Ariſt. (quam quidem animæ diſtinctionem ipſa appetitus diſtinctio neceſſariò conſequitur.) At- 77.
que illud ſanè pro Burgersdicio, (quem tibi nunc contrarium agnoſcis, cùm antè pro te ſtare putabas,) ac pro nobis, (qui ex allegato loco non quidem fundamentum diſtinctionis noſtræ, ſed argumentum conſenſus noſtri cum Ariſtot. Philoſophorum Principe, petimus,) non minimùm facit. Quippe animam hîc accipit Ariſtoteles, quam 2. de anim. text. 28. definitam aït vegetativo, ſenſitivo, intellectivo, ac motu: quo ipſo etiam loco id in medio relinquit, *Utrùm horum unumquodque ſit anima, an verò pars animæ?* at mentem ſuam mox declarat text. 21. ubi *intellectum animæ genus diverſum videri* teſtatur, *quod ſolum ſeparari poſſe* aït, *veluti ſempiternum ab eo quod occidit:* Atque ita 1. de part. anim. cap. 1. *intellectum diverſum animæ genus* pronunciat; quem 2. de gen. anim. cap. 3. θύραθεν ἐπεισιέναι *forinſecus ingredi* teſtatur, poſteaquam vegetativa ac ſenſitiva anima è potentia in actum evocatæ ſunt. Quid clariùs adduci poſſet, pro declaranda Ariſtotelis ſententia? Id ergo quod ab intellectu, 78.
peculiari illo ac diverſo animæ genere, in hominis anima diſtinctum eſt, τὸ ἄλογον vocat, idemque dividit in duas partes, nempe *vegetativam* an *ſenſitivam animam*, (confer. denuò cit. loc. 2. de gen. anim. cap. 3.) quarum illa cum ratione nullo modo communicat, hæc quodammodò rationis particeps vocatur, quatenus rationi obedit, imperioque ejus obtemperat, licet & quandoque reſiſtat. Atque ita duplex in nobis ineſt animæ facultas, ἔχουσα τὸν λόγον, altera quæ propriè & in ſe rationem habet, altera ut is qui patris dicto obediens eſt: quæ certè duo in unam ſimpli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

cemque ſubſtantiam non cadunt, ut antè demonſtravimus. Atque in hac jam expoſita ſententia ſibi conſtantiſsimè conſentit Ariſt.

79. Abſurdè autem aſſeris, & contra omnem rationem, *Ariſtotelem etiam voluntatem ſub illo genere facultatis comprehendere, quæ irrationalis per ſe eſt, ſed rationis particeps, quia imperio ejus obtemperat; ſolam autem facultatem intellectivam appellare alteram.* Voluntas enim ſubſtantialiter ab intellectu non differt; ac neutra hæc facultas à ſimpliciſsima rationalis animæ ſubſtantia diverſa eſt: quod oſtendi Diſſ. de Anim. hum. facult. § 3.4. & ibid. § 71.

80. Et ſanè per alteram illam facultatẽ, quæ per ſe & principaliter rationem obtinere dicitur, non intelligi ab Ariſtotele ſolam intellectivam, excluſâ voluntate, exinde ſatis liquet, quòd comparet eam monenti, imperanti, ac injungenti: certè, qui imperat, qui injungit, ille utique non modò intelligit, ſed etiam reverà vult. Hanc verò noſtram ſententiam ipſa quoque verba Calvini no-

81. ſtri, licet vel invito Calvino, confirmare, manifeſtum reddidi. Perperam autem id quoque affingis Ariſtoteli, quòd quando virtutes διανοητικὰς & ἠθικὰς diſtinguit, illas omnes ad ſolam facultatem intelligendi referat. Certè ad τὸν νοῦν mentem, (quæ quidem *intellectus* etiam dicitur, at latiori ſignificatione, quàm quatenus intellectus à voluntate diſtinguitur,) hoc eſt, ad diverſum illud animæ genus, quod alibi vocat, ſeu ad rationalem animam propriè dictam, pertinent virtutes διανοητικαὶ; ſed interim τοῦ νοὸς mentis illius ſeu rationalis animæ duæ facultates ſunt, *intellectus* ſtrictè dictus, & *voluntas*: Ac veluti Sapientia & Intelligentia ad ſolam facultatem intelligendi pertinent; ita certè Prudentia pertinet ad utramque ſimul: eſt enim habitus practicus (ſecundùm ipſum quoque Ariſtotelem 6. Eth.) qui ſanè abſque contradictione eſſe nequit ſine voluntate. Morales autem virtutes pertinent ad eam animæ noſtræ partem, (non dico partem rationalis animæ ſimpliciter,) quam cum brutis habemus communem, & in qua affectus inſunt, nempe ſenſitivam animam vulgò dictam, quatenus tamen illa in nobis parti imperanti obedire apta eſt: unde etiam, quà ſumus animalia ſtrictè, per mores tamen à brutis differimus. Abſurdam ergo eſſe conſequentiam, quam infers, ex jam dictis

82. patet. Et, ut rationis à te additæ abſurditas meridinâ luce magis clara ſit, nunc inſuper effectum dabo. Dicis animam noſtram,

ſc. ra-

ſc. rationalem, propriè ita dictam, ſeu ut ambiguitas tollatur, id hominis ad quod intellectus ac voluntas primò ac per ſe pertinent, ἄλογον vocari *propter voluntatẽ, quæ aliquando rationi reſiſtat.* Certè voluntas per ſe cæca facultas eſſe dicitur à præſtantiſsimis 83.
Philoſophis, hoc eſt, ita indifferens, ut per ſe nec appetat quicquam, nec averſetur; adeóque ne quidem propriè ac verè ſit voluntas, niſi ab intellectu ſeu ratione dirigatur, aut per aliam aliquam facultatem, (quam nos appetitum ſenſitivum appellamus, à rationali diſtinctum,) avocetur: quo ergo modo rationi hæc reſiſtet? Et niſi voluntas ad volendum determinetur ab ipſo in- 84.
tellectu, an ergo hæc ipſa ſemetipſam determinare ad volendum eſt dicenda? Id ſi non abſurdum putes, ſtatuendæ erunt duæ voluntatis diſtinctæ actiones, nempe ipſa volitio ad quam voluntas à ſeipſa determinatur, & determinatio quâ voluntas ſe determinat. At ſi voluntas ſe ipſam determinat ad volendum, à quo, quæſo, determinatur ad illam actionem, quâ ſe ad volendum determinat? an etiam fortè à ſe ipſa? hæc tertia ergo voluntatis actio eſt; ac manet interim eadem quæſtio, nunquam finem habitura in perpetuum. Porrò, ſi voluntas à judicio intellectus poſſet diſ- 85.
ſentire, & appetere contrarium, ferretur in incognitum objectum: atque ita ſine ratione moveretur, nec foret igitur voluntas. Quin &, ſi quidem voluntas eſt ipſa rationalis animæ ſubſtantia, non ſecus atque intellectus, quo modo rationalis anima ſibi reſiſtet? aut quo modo dabuntur duo actu contraria ac inter ſe pugnantia in una eademque ſimpliciſſima ac immateriali noſtra anima? Vel, ſi fortè credas voluntatem eſſe facultatem aliquam ab ipſa animæ eſſentia realiter diſtinctam, an non ipſe eâ ratione realem in anima rationali diſtinctionem ponis? Rectè mihi quidem, ac ſecundùm optimam rationem, dixiſſe videor Diſſ. de An. hum. facult. § 4. *rationalem animam non niſi pro diverſa operandi ratione diverſa ſortiri nomina*: atque ita § 71. *Voluntatem eſſe ipſum intellectum practicum, quatenus ab bonum dijudicatum ſe convertit, à malo ſe abducit.* Sed ponamus, ex tua ſententia, vo- 86.
luntatem quandoque obtemperare rationi, quandoque rurſum ei reſiſtere: quid ergo, quæſo, à ratione abducit hominem, quando etiam *quæ vult* non facit; & quæ *non vult*, ſeu quæ averſatur, ea facit? (quod ut in Apoſtolo, ita paſſim in omnibus contingit.)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tingit.) An non hîc ſaltem appetitus ſenſitivus à ratione ac vo-
luntate realiter diſcernendus eſt? Vel duo contraria ſimul in una
eademque ſimpliciſsima eſſentia ponenda, magis pugnantia
87. quàm calidum & frigidum? Nec eſt quod huic noſtro argumen-
to rationem aliquam reponas ſumptam à regeneratione: cùm i-
dem etiam eveniat in irregenitis. Et ſanè, ipſa regeneratio in ra-
tionali anima, hoc eſt, in intellectu ac voluntate primariò ineſt,
atque ita primò ac principaliter ordinarius ac nativus noſter in-
tellectus per regenerationem illuſtratur, ac voluntas ipſa dirigi-
tur; cùm nihilominus tamen alia quædam lex percipiatur in
membris noſtris, quæ reluctetur legi mentis noſtræ, (id eſt, in-
88. tellectus & voluntatis in nobis regenitæ.) Vides ergo immotum
manere illud argumentum, quo diſtinctionem tuam nuper tra-
ditam oſtendi eſſe nullam. Ac ſatis manifeſtum eſt, non poſſe ul-
lâ ratione dici, in voluntate eſſe quid παρὰ τὸν λόγον *contra ratio-
nem*, (παρὰ Græcis æquè *contra* ac *præter* ſignificat, ut παρὰ φύσιν
præter vel *contra naturam*; hoc autem loco manifeſtè rationi
quid contrarium indigitatur,) nempe, ut exponis ipſe, *quatenus
rationi quandoque adverſatur ac reſiſtit*. Certè in voluntate illud
ineſſe, quod παρὰ τὸν λόγον dicitur, nunquam ſomniavit Ariſto-
89. teles. Ex dictis autem manifeſtum eſt, nihil omnino periculi eſſe,
ut in rationali anima, ſtrictè dicta, vi noſtræ ſententiæ contra-
dictoria quis inveniat: quamvis in humana anima, (in qua præ-
ter mentem, ſeu intellectum ac voluntatem, item alia ineſſe de-
monſtravimus, realiter à mente diſtincta,) omnino contrarietas
inveniatur: quæ certè, niſi reliqua, præter rationalem animam à
nobis poſita in homine, concedantur, in ſimpliciſſimam illius
ſubſtantiam omnino transferenda forent, quod antehac ſolidiſ-
ſimis, nec minùs ſolidis jam iterum, rationibus à nobis demon-
90. ſtratum eſt. Poteſt tamen voluntas quodammodò *per ſe expers
rationis* dici, quatenus reverà nondum eſt voluntas, ſeu, quatenus
nondum quicquam intellectus practici ultimo judicio dijudica-
tum eſt, adeóque nondum in volendi actum exurgit ipſa anima:
at eadem voluntas interim per ſe rationis particeps dicenda eſt,
quandocunque actu adeſt, quippe cùm ſit ipſe intellectus practi-
cus certâ tantùm operandi ratione modificatus, atque hinc eſt
quod voluntas abſolutè *appetitus rationalis* dicatur.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Ad ſummam, nunc per partes traditam, pluribus non erit opus, 91.
præter ea quæ præcedentibus Reſponſionibus expoſui. Ex quibus hoc imprimis notandum: Judicium hominis (latiori ſignificatione id vocabuli pono, pro quovis æſtimandi actu,) non modò eſſe vel verum & bonum, vel fallax & perverſum, &c. nec diverſis tantùm temporibus, & circa diverſa objecta, diverſimodè ſe habere; ſed & unam eandemque rem, ſalvo ac immoto judicio bono veroque, quo ipſa bona fuit æſtimata, uno etiam eodemque tempore per aliud quoddam judicium æſtimari malam: adeóque contingit, ut ſtante ac permanente eodem intellectus practici dictamine, ac per conſequens manente eâdem voluntate, (quicquid enim intellectus dictat bonum, id neceſſariò appetit voluntas,) ab alio tamen aliquo dictamine æſtimativo alius aliquis exſuſcitetur appetitus, à quo homo in tranſverſum abripiatur. Quod nempe evidenter in Apoſtolo apparuit, cùm 92.
uno eodemque tempore alia volebat, alia faciebat. Ac ita ſanè Connimbr. (qui interim animarum in homine diſtinctionem non largiuntur,) 3. de anim. cap. 13. q. 1. art. 2. *Experimur in nobis* SIMUL *unius ejuſdemque rei appetitionem & fugam, cum v. g. appetitus aliquod bonum delectabile appetit, voluntas autem idipſum repudiat, & inſurgentem alia ex parte ejus appetitionem cohibet: qui actus cùm ab eadem potentia elici nequeant, evidens eſt argumentum, duplicem inſidere nobis appetitum à quo illi manant.* Idemque certè locum habuit in Medea: Quâ cum ratione 93.
in una eademque anima ſimpliciſſima ſimul aliquod *judicium ſincerum*, quod præïre quidem aïs, ſimulque *judicium fallax*, quod aïs interim perſuadere & abripere, invenies? niſi fortè, cùm anima adhuc fluctuat in judicio ſuo practico, adeóque nondum certam partem eligit. At non fluctuabat ampliùs Medea; nec dubitabat, quid reverà bonum vel malum, vel an hoc aut illud reverà bonum vel malum? ſed noverat ſe videre *meliora*; ac eadem *probabat*, hoc eſt, noverat reverà meliora eſſe, ſecundùm judicium ſincerum æſtimata, ac judicium idem conſtans de iiſdem ſervabat; at interea tamen *deteriora*, quæ itidem ut verè deteriora per idem judicium ſincerum agnoſcebat, ſequebatur, judicio fallaci ac perverſo, ut fateris ipſe, abrepta. Hoc autem judicium fallax, quæſo, quodnam eſt, ſi non 94.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ſit ſenſitivæ animæ facultas, rationi renitens, à qua pendet ipſe appetitus ſenſitivus, ab appetitu rationali realiter diſtinctus? Unde & θελήματα τῆς σαρκὸς ϗ τῶν διανοιῶν reipsâ diſtinguit Apoſt. Eph. 2.3. Quòd ſi verò hîc denuò diverſum reſpectum jucunditatis & honeſtatis prætendas aliquando, remittam te ad ea, quæ ſat clarè
95. ad talem inſtantiam repoſui Reſpon. præced. Ex ſententia autem noſtra innoteſcit demum, quo modo dici queat, *appetitum quandoque vehementi & cæco impetu omne intellectus judicium evertere:* quod ex tua opinione, non niſi cum manifeſta contradictione, in unam ſimplicem animam diverſarum partium realiter diſtinctarum pugnam committeret.

96. Atque hæc quidem reponenda tuis nunc aſſumpſi ex iis, quæ anguſtum aliquod temporis ſpatium, inter varias Profeſſionum mearum, cæterorumque laborum inde dependentium, nec non curationum medicarum, diſtractiones varias ſuppeditavit. Quæ ſi, prioribus collatis, rectè expendas, haud difficile tibi fore reor, quoſcunque etiam in hac materia nodos, qui forſan animo tuo hærent etiamnum, per te ipſum ſolvere, ac deluere Objectiones. Et, ſi quidem in hiſce quoque jam expoſitis, propiùs conveniamus tandem animis, quàm dudum verbis, ſique variis verborum corticibus apertis atque diſſolutis plenior conſenſus ſit in lucem erutus, gaudebo; ſin quid autem porrò operæ pretium cenſeas, quod in examen revocetur, ut veritas eluceſcat evidentiùs, iterum, cùm libuerit, familiari me per literas alloquio monebis. Imprimis autem amicum illum tuum erga me animum indeſinenter fove; & à nobis viciſsim amicitiæ affectus intimos, tibi in perpetuum dicatos, admitte. Hardervici. III. Cal. Julias, veſtri Styli. 1645.

P. S.

Hiſce noſtris addo Diſputationem *Philoſophico-Theologicam*, à noſtra materia haud alienam, de *Anima, Spiritu, & Corpore*, habitam ab Antagoniſta meo ante aliquot annos, (nimirum Aо 1642. die 28. Maji,) in noſtro hoc Gymnaſio: quam tamen contra me, meaque (in Theatr. Nat. Univ. exhibita) inſtitutam fucatus animus, tunc temporis, cùm ſimularet amicitiam, diſsimulabat;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

labat; quin imò, vel, præſentibus Collegis aliis noſtris, apertè negabat: at de qua tamen paucis ſeptimanis pòſt coràm Profeſſoribus Academicis alibi gloriabatur, ut contra opiniones meas adornata. Expende, quæſo, argumenta Viri, & quocunque tandem jure illatas conſequentias. Certè ridebis unà mecum; & intempeſtivi hominis, ac propemodùm inſani in Virum Chriſtianum, ejuſdem Religionis conſortem, miraberis conatus. &c.

ANTONIO DEUSINGIO
JOHANNES SANTES

εὖ πράττειν.

LIteras tuas, Vir Clariſsime & Amice ſuaviſsime, III. Kal. Julii ſcriptas, XIII. Kal. Aug. accepi, ex quibus intelligo partim meas V. Kal Maji datas, (quibus D. D. Monhemius carmen ſuum gratulatorium, cùm videret illas ad te deſtinari, alligaverat,) ſeriùs ad manus veſtras perveniſſe; partim antè alias, à Te Emricâ miſſas eſſe, quæ interceptæ, aut fortè abjectæ, noſtrum conſpectum adhuc fugiunt. Si fortè, ut coràm promiſeras, incluſas habuerunt, quibus filius meus Hermannus D°. VValæo Lugdunenſi Medico commendatus, quæſo, illæ repetantur, & ad me mittantur, quò ipſe, quem jam ob filiæ nuptias habeo præſentem, Lugdunum reverſus illas poſſit offerre, & ſic eò commodiùs ſe in arctiorem ipſius familiaritatem inſinuare. Non ſe, ut ſpero, indignum veſtrâ commendatione præbebit.

Familiarium & privatarum Exercitationum noſtrarum editionem non improbarem, ſi modò illis colophon impoſitus eſſet. Quamvis quidem materiis agitatis magnum lumen ex rationum & reſponſionum colliſione accenſum eſſe fatear: nondum tamen meis inſtantiis, meâ opinione, abunde ſatisfactum eſt. Illæ igitur ulteriùs urgendæ erunt, ſolo veritatis, non contentionis ſtudio; quorum hoc, neſcio quo fundamento ſuſpicari videris. Illud autem fiet, quàm primùm per otium licebit, quod adhuc negant, non ſolùm quotidiana negotia, ſed etiam dicta & facta Aphonſi regis Arragoniæ, quæ à Panormitano confusè diſcripta ad certas

 virtutum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

virtutum claſſes, politicoſque canones, ordinatè jam à me revocantur, publicæ luci committenda, ſi Typographum, qui ſumptus in ſe recipiat, nactus fuero.
Quod ad Diſputationem illam, de Anima, Spiritu, & Corpore, attinet, ut mihi non eſt dubium, quin ſcrupulum aliquem reliquerit in animis imperitiorum, qui quid, non quo fundamento & Conſequentia dicatur, vident; ſic non dubito, licet ad rem attentiores ex illis fundamentis, ſub tua ſententia tot hæreſes latere, ne ſuſpicari quidem poſſint; quin tamen ſat probârit in S. literis voce ψυχῆς quandoque & animam rationalem ſignificari. Quòd ſi igitur tum illis conſulendum, tum hoc ſententiæ tuæ de reali animæ à Spiritu differentia officere arbitratus fueris, non diſſuaſſerim, te poſt aliquot annorum ſilentium illam à capite ad calcem examinandam ſumere; quod miror te non feciſſe, cùm de Animæ humanæ ſubſtantia diſſertationem inſtitueres. Tunc enim illud examen non quæſitum ſeu captatum; ſed neceſſariò requiſitum videri potuiſſet. Vale & ſalve à T. Clarit. addictiſſimo amico, &c. Veſaliæ. V. Kal. Aug. 1645.

ANT-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ANTONII DEUSINGII
RESPONSUM
Ad
Rev. Clariſſ. ac Doctiſſ. Virum
D. JOANNEM SANTENUM
Simulque
PRÆFATIO ad LECTOREM
Præmiſſa
SPONGIÆ

ALiquid ſaltem luminis , Virorum amiciſſime, ab ipſa veritate promanare longiùs , remotis per noſtram utriuſque diſquiſitionem nebulis quibuſdam ac nubeculis , oculorum mentis obtutui officientibus , non eſt quod dubitare queam; ac in eo non tam nobis ipſis , quàm publico bono literario deinceps gratulabor,in cujus ſervitium nati ſumus ambo. Ac tibi verò , Vir Clariſſime, imprimis ago gratias, tum pro labore tuo , tum pro occaſione nobis exhibita , continuataque hactenus , de Republ. literaria , vel minimâ hac parte bene merendi. Vtut autem non planè nihil præſtitiſſe nobis videamur, haud tamen eſt quod meo animo perſuadeam, omnem ita penitus à me ſublatum eſſe ſcrupulum , vel ita penitus ſublatam iri unquam ex aliorum animis, ut nihil ampliùs ſuperſit , quòd in controverſiam vocari queat. Novi ipſe rerum intricatos nodos, ac difficultatum pondera jam dudum non ignoro. Novi quoque interim ingenii tui ſubtiliſſimum acumen , cui (candidè ac ſine fuco loquor id quod res eſt,) plurimùm reverà tribuo; & unde meis conce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

conceptibus nova quædam difficultas haud difficulter fortè queat injici: Quam tamen ipſam quoque ſpero vi mearum hypotheſium omnino poſſe dilui. Abſit autem à me penitus, ut credam, contendendi potiùs, quàm unicè veritatis inquirendæ ſtudio, te quippiam egiſſe, vel acturum deinceps: quem ego urgentiſſimis negotiis diſtrictum paſſim non ignoro: nunquam profectò ea mihi eſt ſuſpicio oborta; ac nunquam ipſe eam de meo in te animo ſuſpicionem jure meritóque fovebis.

De edendis fortè aliquando in publicam lucem noſtris Diſquiſitionibus familiaribus, (quòd pro ſententiis meis luculentiùs explicandis haud parùm viderentur facere,) nuper tuum animum tentavi: nunc verò, niſi te invito illud fiat, omnino ut id fiat, præpoſtera neceſſitas me quædam urget, quâ mea mens aperta omnibus reddatur circa ea quæ Creationem atq; Gubernationem rerum tangunt. Quippe perſonatus quidam Theologo-*Philoſophaſter, ſolo titulo ſplendidiore turgens, nondum ceſſat clanculùm ſævire: dumque per cuniculos inſidiatur famæ noſtræ, ſententias paſſim meliores præter noſtram mentem manifeſtam, contra noſtra verba apertiſſima, ac contra complures noſtras proteſtationes, detorquere, & in ſequiorem partem rapere, ſuiſque velitationibus traducere nondum erubeſcit: ut ita veram ſuam indolem, ſecundùm omnes numeros abſoluto calculo commenſtret, ac planè ſuum prodat animum. Illius Diſputationes aliquot, ſuper* Loco de Creatione, *nudius tertius mihi ſunt oblatæ, cùm biduo antè ultimæ veſtræ ad meas manus perveniſſent. Tu equidem, Virorum humaniſſime, quid ſentias rogatus à me ipſo, mirari te teſtaris, quòd non admiſerim occaſionem, (oblatam quaſi ultro, cùm de Subſtantia humanæ animæ diſſererem,) me ipſum muniendi ac tuendi contra Argutias illius Adverſarii mei,* de Anima, Spiritu, & Corpore. *At certè, (ne te cauſa lateat,) malui ego non niſi urgentiſſimâ neceſſitate adductus, (quâ equidem nunc vehementer urgent illius Diſputationes,) quicquam ſerio attentare contra Theologum, quam*

occa-

occaſionem qualemcunque, vel pro me ipſo vindicando ab injuria, arripere. Imprimis autem eâ ratione volui probatum reddere in me animum, pacis & tranquillitatis amantiſſimum, qui nihil hactenus tentare ſtudui, niſi quod ad ignominiam à me ipſo amovendam valde videbatur neceſſarium. Nunc verò tandem novæ ejus Diſp. ſpecioſo Theologicorum Locorum Communium titulo ſparguntur, quibus Viri acerbitas, & in conſortes Religionis impetus, ſub uno aliquo Syſtemate ad poſteros deveniat, ac hæreant perpetuum ſiniſtræ de melioribus ſuſpiciones. Hoc ergo virulento molimine inſontem conſcientiam, optimæ ac ſinceræ integritatis ſibi conſciam, invadit: &, quaſi nihil contra tot Adverſarios noſtros, ac infenſiſſimos Religionis noſtræ hoſtes, reſtaret Meditandum, in ipſamet Eccleſiæ membra furibundo impetu inſurgit animus veneno undiquaque diffluens, ut melioris animi noſtri ſententias iniquitate propriâ inficiat, ac præter omne jus & æquum violatas ac corruptas, per conſequentias ſubinde ex Vtopia accerſitas, in nefandas hæreſes convertat: ut adeò inſonti animæ, vel ſanctè ſanctam ac religioſam ſuam conſcientiam teſtanti ſæpius, per vim tyrannide iniquiorem, ignominioſam paſſim maculam aſpergat, quæ non unâ aliquâ ætate deteratur. Bone Deus! Hæccine Religionis Reformatæ ſunt indicia! Quis tandem æquus Iudex vel ſcintillam Chriſtianæ Charitatis, aut Religionis veræ umbram, in tali ſupereſſe pectore exiſtimabit? Quis candidus Theologus, aut qui non ipſe ſimul chriſtianam charitatem exuit, vel cui non fucata pietas eſt cordi, tantum in ejuſdem Eccleſiæ membra furorem excuſabit aut admittet? An fortaſſe illud pietatis ſpeciem adjiciet, quod citare nomen atque ſcripta vereatur ejus, quem modò antehac iiſdem cavillationibus per univerſum orbem traduxit inſcium, ſententiis ex proprio ſuo cerebro confictis, cùm interim ſe nihil contra perſonam machinari ſimulabat? Nunc quidem, ut ſuſpiciones olim ſparſas foveat, mox in initio, nimirum Diſp. 1. Loc. de Creatione, præter alia, ad Arrianorum ac Socinianorum gregem nos traducere conatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tur, quaſi Deo ſoucim vel adjutorem aliquẽ quoad Creationis actum unquam vel per ſomnium attribuiſſem, contra quam obtrectationẽ vel ipſa mea loca tot evidentiſſima, ac ea omnia quæ Apolog. meæ Art. V. pluribus exhibui, ne in cenſum quidem admittuntur, nec ipſum quidem Facultatis Theologicæ Leidenſis judicium, quo à tali contumelia ſum vindicatus, dum ex meis ſcriptis eum ſenſum elici non poſſe atteſtantur, hîc valere debet, ubi tantâ vehementiâ urget qualiſcunque ille, qui Theologus interea audire geſtit. Agnoſcat ergo tandem publicus orbis meliorem meam mentem, ipsâmet meridianâ luce magis clarè paſſim à me redditam, (præter alia quæ alibi à nobis ſatis clarè dictæ ſunt,) ex hiſce noſtris tecum habitis exercitationibus, ubi equidem de nova tali aliqua injuria, (ne gravius quid dicam,) ſomniare nunquam potuiſſem. Secundâ diſputatione porrò, fingit & obtrudit, quaſi ex ſententia mea, quandam Mundi Animam vel Spiritum, qui operetur omnia in omnibus: quam quidem Mundi animam in ſuis Caſuum poſitionibus haud ita pridem enter, potenter, ubique præſentem nobis affinxit, cùm ne vel minimum tamen aliquid, quod ſimilem Animæ mundanæ ſapiat ἀποθέωσιν, in noſtris ſcriptis invenire ſit: unde equidem de bona fide mei Adverſarii, quam item obiter aperui in Apol. mea ad Art. 2. cuivis facile erit judicare. Ac meliorem certè meam mentem, tum in hoc ipſo tum in cæteris, non ex Apologia tantùm mea, ſed ex ipſis illis meis Scriptis, contra quæ jam olim inſurrexit, ac inſurgit etiamnum Adverſarius, agnovêre tandem Viri melioris notæ, ac candidioris animi Theologi eminentiſſimi, ac juxta celeberrima & inclyta propemodùm Miracula ingeniorum, quorum equidem de meis Philoſophicis, (ex quibus hæreſes Antagoniſta meus cudere conatur,) judicia, longè quàm pro ſpe ac votis meis ampliora ac ſplendidiora, penes me ſunt. In conſequentibus deinceps Diſputationibus ſubinde intermiſcet alia, licet fortè minùs impia, haud tamen minùs acerbi in conſortem Religionis animi indicia. Quibus omnibus ex ordine propediem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

pediem noſtras Animadverſiones adjungemus, quò non iniquas modò cavillationes arceamus & amoveamus; ſed animum præterea Theologi, pro Religione orthodoxa, ac adeò pro vera Theologia, minùs candidi & æqui, apertum exponamus Orbi. At ſextâ tandem Diſp. quæ eſt ultima earum quas accepi, (nam plures etiamnum exſpectandæ reſtant,) rationes denuò omnes ex antiqua illa Diſputat. de Anima, Spiritu, & Corpore, *contra ſenſitivam animam ſubordinatam rationali, poſt aliquot annorum ſilentium, in compendium contraxit, ac ita quaſi in manipulum redactas, ut unita vis veneni fortior evaderet, velut ovans trophæa* Communibus in Locis *ſuſpendit. Ne ergo ſuper rebus, iniquâ machinatione agitatis, meritò gaudere videatur, aut inſolentiùs triumphum canat Adverſarius, propediem effectum dabo, inſtituto à capite ad calcem examine illius Diſputationis; ac eâdem operâ efficiam, ut omni populo cordatiori innoteſcant futiles inanis & iniqui Viri nugæ, quibus ignominiam intentat meliori conſcientiæ, ex materia quæ eſt de Anima Humana. Quo quidem fine* SPONGIAM *noſtris hiſce Diſquiſitionibus ſubnectam: quæ ignominioſam maculam, ex animo contagioſo mei Adverſarii non ſine fraude illitam, abſtergat. Quamvis ea quoq; omnia, quæ rem quâcunque ratione videbantur tangere, adeóque digna cenſebantur aliquo examine, jam olim, ubi de Subſtantia Humanæ Animæ diſſerui, attigerim: (quippe & tunc temporis ob Theſes quaſdam ab Adverſario per Affinem ejus domeſticum in publicum expoſitas, & acriùs, at iniquiſſimè, noſtra impetentes, idipſum quod contemnere decreveram, aggreſſus fui;) ubi item varias vocabuli ψυχῆς ſignificationes tradidi, quibus extra controverſiam omnino eſſe conſtat, in S. literis voce ψυχῆς quandoque & animam rationalem denotari. Doleo autem profectò; at interim, ita Deo volente, dolorem meum tempero, & æquo animo fero, id mihi à divina providentia imponi ægritudinis, quo contra hunc qualemcunque Virum, (de quo Deus ipſe judicabit exactiùs)*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

exactiùs, qui Theologi prætextu ſpecioſo ſe exornat, mihi longiùs in arenam procedendum ſit, ut parte ſaltem aliquâ interiora ejus animi aperiam ac detegam. Sed facilè ignoſcent veri probiq; Theologi, quibus ipſa integritas cordi eſt, ſi extra ſacrum ordinem cum hoc Viro, veluti privato, agam, ac titulo interim quocunque gaudere eum ſinam, dum propriam animi integritatem mei probare, & ab injuria Religionem vindicare inſtituam. Interea mirabor ſanè, niſi aliquando indignè ferat inclyta illa Academia, ejuſdemque Ephori, inſanas tales ſui Theologici Doctoris artes atque inſtituta, ac in rem ipſam, quam exercet, accuratiùs inquirat. Graviſſima profectò ſcandala ac in Religionem offendicula, piis animis intoleranda, è ſuo cerebro ſibi fingit, à nullo fortè unquam antehac excogitata: ex quibus porrò deteſtandas nectit pro ſuo arbitrio conſequentias, igne ſanè ac quovis cruciatu digniſſimas, quibus haud parùm Tyronum animos teneriores, veluti fermento quodam tacitè inebriat, ſub ſpecie Religionis: dum interim opinionibus hæreticis, è ſuo cerebro confictis ac prognatis, ne ſpeciem quidem ſanioris rationis reponere deprehenditur. Utque tandem ars tegatur arte, inquinamenta ſua talia in alios referre, ac pias conſcientias ſuſpicionum horrendarum agmine involvere laborat: nec ita tamen, ſatis patulè incedens, erubeſcit: At erubeſcit interim citare ejus, contra quem inſurgere videri vult, vel ipſa verba vel loca: veritus omnino, ne collatione factâ fides ejus minùs proba nimis clarè innoteſcat. Hæccine Theologiam veram ſpirare ſunt credenda? aut vel hilum Chriſtianæ charitatis in ſe continere? Quòd ſi pietatis vel probitatis ulla aliqua ſcintillula in pectore illius ſupereſſet, an non invito, atque alieno penitus ab offendiculis in fide chriſtiana, à quibus ſeſe ipſemet Antagoniſta noſter alienum fingit, tandem aliquando parceret? Imprimis cùm jam aliquoties per fidem meam ac Religionem publicè ſanctiſſimè profeſſus fuerim, nunquam animum vel cogitationes meas ſubiiſſe talia, qualia affingere nobis ille malè feriatus homo nondum ceſſat. Equidem aſſe-

verantì

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

veranti quippiam ſub fide Religionis ſuæ vel Iudæo etiam Turca & Ethnicus habere fidem ſolet: At hic qui Chriſtiani præ ſe gerit ſpeciem, ne quidem Chriſtiano, eandem Reformatam Religionem profitenti, ac Religionem ſuam ſanctè prætendenti, fidem adhibere optat, ut à fama ſaucianda ſaltem ceſſet. Niſi fortè nondum ſatis controverſiarum in Theologia eſſe credat, quin nova ſibi fingant ſomnia Antiſtites, quæ ſuis ratiocinationibus evertere aggrediantur. Aut ſi quid fortè ſequius per ſomnium ſit à me unquam proditum, à quo me toto animo religiosè ſum teſtatus alienum, cur non tandem ipſa mea verba promuntur, ſi quidem nullus meliori explicationi locus eſſe debet? cur non apertè mecum agit Adverſarius, ſi quidem nihil quod humanum ſit, vel nihil cogitanti ſequius, ſit condonandum? ſi & in crimen atque hæreſin ſit imputanda quælibet non omnibus fortaſsè æquè clara dictio, quin imò manifeſta ſatis at detorta per injuriam iniqui Adverſarii, prolata vel ab eo, qui meliorem explicationem, ac probationem orthodoxi in Religione animi haudquaquam renuit; qui & apertè dudum ipſemet anathema pronunciavit, quicquid contra orthodoxam Religionem ſeriò prolatum poſſit judicari. In lucem ergo tandem potiùs procedat, qui ex occulto hactenus ferire mavult, ac tela toxico infecta jaculari in improvidum; aut deſinat in poſterum laceſſere. Apologia tandem noſtra, ſi nolit acquieſcere, arripiatur atque revocetur ad examen; & ex ipſis noſtris ſcriptis illa noſtra mens probetur, quam nobis olim ſuis Caſuum Poſitionibus affinxit, quam nondum ceſſat ſuis Diſputationibus urgere. Vel certè hæc calumnia merebitur vocari, quòd eadem à quibus abſolvendum nos judicio pronunciavit Theologica facultas, coram qua Religionis causâ compromiſeramus, nobis affingantur iterum; (niſi turpi ineptâq; aliquâ σκιαμαχίᾳ tandem ſe exerceat, Theologo indignâ:) vel certè nos convincat ipsâ veritate eſt neceſſe. Sed hîc hærebit illi aqua in perpetuum. Quin ceſſet ergo tandem famam ſauciare proximi, ac falſiloquium evomere in conſcientiam, quam ipſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

melioris notæ non ignorat; quam ipſemet non ignorare coram Facult. Theol. profeſſus eſt, cùm tandem, ſuis rebus exitum ſperatum non inveniens, non niſi ignorantiam vel imprudentiam fortaſſis aliquam instituit culpare. Egregium verò facinus, ac ſanè dignum Theologico conatu, ſi pro arbitrio proprio ſententias iniquas piis animis affingat, ſuppreſſo quidem nomine alterius, dum contra Deuſingium ſe rem moliri, tum ipſe per ſe tum per alios Clientes ſuos, paſſim antè gloriatur; ac omne ſtudium ſuum, theologicum, ſi Deo placet, in hunc ſcopum dirigit, ut impetu directo mea ſcripta impetat, quæ tamen pro arbitrio ad ſua vota peſſimè detorquet, & in ſenſum alienum vertit, contra ſat clara & expreſſa noſtra verba. Itane verò rerum verè theologicarum inops eſt habendus theologico prætextu circumtectus ille histrio, ut non inveniat dicendi aliquam materiam, niſi ad Philoſophi effata ſe convertat? Indignus ergo ſanè, qui tam nobilem in celeberrima Academia Spartam obeat, quam ſuo dolo peſſimè conſpurcat, ac nimis vilem reddit propriâ inertiâ. Vel an Relligionis noſtræ veritatem atque robur ad Philoſophi cujuſvis dogmata examinanda credit? An fortè vacillante hic aut illic aliquo Philoſopho, vacillare protinus Theologiam? Quid eſt, quæſo, ſi non hoc eſt, Normam Theologiæ Philoſophiam conſtituere? *Quid eſt, ſi non hoc eſt, calumniandi anſam exhibere Adverſariis? Vt non omnino hîc inanis ſit Meiſnerus, in Proœm. Phil. Sobr. p. 5. & 17. quando inquit,* Reformatos *(noſtro nimirum huic ſimiles, qui hâc quidem parte titulo inani ſe extollunt,)* tribuere Philoſophiæ Magiſterium in Theologiam. *Erraverit fortaſſè alicubi Philoſophus, lapſus ſit in ſuis meditationibus, id quod humanum eſt in Philoſophicis commiſerit; ſtat tamen interim immota veritas Religionis Orthodoxæ, unicâ autoritate divinæ paginæ ſuffulta: Extra quam ſi ullibi Theologus exſpatietur, Theologi perſonam exuit; & ſi Theologus videri velit nihilominùs, reverà Hiſtrionem agit, & mimicum vel momicum Theologum. Inſignis verò*

gloria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

gloria in nobilem illam Academiam redundabit, ſi per complures annos porrò ibidem, (non niſi per ineptas conſequentias, ex Philoſophicis quibuſdam nullo jure hauſtas, quales etiam ex ipſis Theologicis Religioni noſtræ infinitas penè Adverſarii quàm plurimi affingere conantur,) controverſiæ Philoſophicæ, eódem à contentioſo homine ex aliis Gymnaſiis traductæ, ab eodem rebus Theologicis immiſceantur! Inſignis fortè hic Theologiæ ſplendor erit, ſi novâ hac contentionum fertilitate ipſa inclareſcat coram Adverſariis! qui id in decus, credo, reputabunt noſtro Viro, quòd ita ſtrenuè, quòd tantâ animi acerbitate, quâ penè horridus apparet, in Collegam, in Fratrem, eâdem Religione Salvatori relligatum, aciem contentionum inſtruat, arreptâ vel ex rebus philoſophicis occaſione pro Theologia. Quàm verò id decorum judicabunt, ſic planè nobis iners eſſe Scripturarum robur, ut tandem conſequentiis futilibus pugnandum ſit, pro re Theologiam noſtram attinente. Sed pudet certè omnem ignominiam referre pluribus, quam Religioni orthodoxæ, Theologorum ordini, Profeſſioni Theologicæ, illuſtri Academiæ, ac famæ tandem propriæ, inurit nimiùm feſtinus, vehemens, & inconſultus, ac ſupra modum præceps actus propriis affectibus Theologus: Eam ſanè præſtat in privatum redundare ac remitti, ac famam interim inſontis liberari ab injuria; quàm præter jus & æquum publicis ordinibus, ac rebus ſacro-ſanctis, adhæreſcere vel imputari. Plura equidem de artibus ac machinationibus ſat improbis iniqui in me Adverſarii mei, tum per literas aliorum, tum aliâ ratione mihi innotuêre, quæ impræſentiarum non attingo. Mox ſaltem, eò dirigam conatus, ut ea quæ materiam noſtram ſpectant, quam jucundis & amicis aliquot Objectionibus Reſponſionibuſque ad examen revocavimus, expediam; quo fine dabo Refutationes Cavillationum, quas effudit olim Adverſarius, ſub ſpecioſo titulo Diſput. Theologico-Philoſophicæ, de Anima, Spiritu, & Corpore: *Sed haſce levi tantùm* SPONGIAE *attactu leviter perſtringam, ſordeſque diluam: deterſoque inquinamento rem i-*

pſam omnibus veritatis amantibus Viris, piiſque æquitatis Promotoribus, examinandam exhibebo. Deinde porrò ſingula ejus ſcommata, quæ in Diſputationibus illius de Creatione, antiquis Caſuum Poſitionibus cohærent, adeóque in nos diriguntur iterum, examinabo ordine. SPONGIAE verò nomine inſcribetur ſubjungenda veritatis inquiſitio, quòd non niſi pro liberanda fama noſtra ac Religione, & abſtergenda alterius ſpurcitie, immeritò in noſtram integritatem eructata, adornanda ſit: in eum autem finem aſpersâ aceti guttulâ ſubinde erit opus, quâ inquinamenti craſſities attenuetur atq; incidatur, horriduſque fœtor mitigetur. Dum verò ea, quæ ſunt inter nos privatim exercitii causâ agitata, publici juris facere inſtituo, ſic ea accipi ab aliis exopto, ut nolim mihi tribui in arduo negotio quicquam præter veritatis ſtudium: ſique fortaſſis perfectam rei ipſius veritatem, vel omnino claram atque abſolutam expoſitionem, non attigerim, id unicè in votis eſt, ut ab utroque noſtrûm ex æquo aliqua occaſio oblata habeatur, in ipſam veritatem inquirendi pleniùs; & admotâ ſaltem aliquâ à nobis face, anſam hanc arripiant acumina ſubtiliora, ex tenebris in lucem planè ac perfecte eruendi ea etiam quæ hactenus videri poterunt in nobili hac materia abſtruſiora. Fortè graviores inſuper, non tibi modò ſed & aliis, in re ſat ardua difficultates ſupereſſe videbuntur, quàm quæ ſat commodè per noſtra queant expediri: Iis ego propriam relinquam libertatem philoſophicam; & ne mortalium cuiquam hiſce noſtris præjudicatum videatur, ipſe omnia, quæ ſunt à nobis philoſophicè diducta, certitudine exactâ hactenus carere, ultro, veritatis inquirendæ causâ, præſupponam. Arbitrii ergo aliorum eſto illud omne, quod ſolidiori ratione doctioribus videbitur carere. Id unum mihi ſatis erit, ſi, diſſerendo philoſophicè, Religioni orthodoxæ nulla offendicula diſpoſuiſſe potero cordatioribus videri. Cæterùm hoc te, Virorum humaniſſime & amiciſſime, obnoxiè etiam atque etiam rogatum volo, ne tuo in me animo moleſtum ſit, quòd te obtundam meâ hac querelâ longiore.

Novi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Novi equidem tuos à negotiis alienis alieniſſimos affectus; novi quàm abhorreas ab omni πολυπραγμοσύνῃ: *quæ ſanè cauſa extitit, cur hactenus vel per me ipſum id noluerim committere, ut tibi pleniùs negotia noſtra aperirem, ne quâ ratione rebus noſtris te viderer velle immiſcere. Nec impræſentiarum quidem te immiſceo: Cùm tamen maximam injuriam indignè ferens animus, fidum quæritat Amicum, in cujus ſinum ſe effundat. At ipſe verò inter plurimos te commodùm ex improviſo obtuliſti. Animum ergo ſaltem meum, candido quo ſoles pectore, & æquo erga nos affectu ſuſcipe: cætera, cùm nolis aliena tangere, ad eum remeare patere, à quo ad nos primordia fuêre derivata. Ignominia quæ per* Locos Communes *ad Poſteritatem transmitti immeritò cœpta eſt, publico molimine eſt tollenda ocyùs, ipſaque conſcientiæ integritas à ſequioribus ſuſpicionibus ſarta ac intemerata pro virili eſt ſervanda. Scio quæ quorundam ante perluſtratas vel auditas noſtras rationes de noſtro inſtituto novo ſint futura præjudicia: At ſanè, aliter ſentirent illi, ſi eadem nobiſcum eſſent paſſi dudum, quæ identidem multoties à nimiùm tumultuoſo homine experimur. Patientia ſupra modum laceſſita tandem furor fit: nos tamen interim non abſque ratione quid inſtituemus. Nondum pro meo jure agam contra Adverſarium: licet interim pungentioribus quandoque ſpinis opus ſit. Eo enim corio Noſter circumtectus eſt, per quod non facilè punctura culicis percipiatur. Mallem ipſe hac moleſtiâ ſuperſedere, (novit Deus!) ſed juſta facit indignatio verſum. Vale, Virorum amiciſſime, meque tuis in perpetuum annumerare perge. Hardervici III. Cal. Aug.* MDCXLV.

Plin.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Plin. Nat. hiſt. lib. 8. cap. 15.

TRadunt in Pæonia feram, quæ Bonaſus vocetur, equinâ jubâ, cætera tauro ſimilem, reddentem fimum interdum & trium jugerum longitudine: cujus contactus ſequentes, ut ignis aliquis, amburat.

ANT-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ANTONII DEUSINGII
Med. ac Philoſ.

SPONGIA

adverſus quaſdam
Cavillationes
ineptas,
Peculiari Diſputatione Selectâ, *à quodam* Theologo-Philoſophaſtro *dudum publicè expoſitas, alterâque deinceps editione reïteratas, ac tandem in Compendium contractas, Lociſque Communibus Theologicis inſertas,*
quibus
ANIMÆ HUMANÆ
SUBSTANTIA
inquinabatur.

APPARATUS.

DE Subſtantia Animæ Humanæ philoſophicè jam antè diſſeruimus, quando ſimplicem quidem ſtatuentes humanam Mentem, vel plures interim in uno homine animas vulgò dictas, vel plures unius Animæ humanæ partes, (quarum princeps mens illa immortalis ac ſeparabilis κατ' ἐξοχὴν ſola etiam Anima humana dicta,)ab invicem ſubſtantiâ diverſas oſtendimus. Ne verò ſententia illa, quam ſaniori Philoſophiæ conſentaneam demonſtravimus, S. S. Theologiæ, cui omnis ſapientia humana ſe ſubjicere neceſſe habet, contraria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

videatur, difficultates à Theologo quodam nobis aliquando motas enodabimus, ac diluemus argumenta illius, qui ex gemina ſaltem in homine anima conſcientias impugnabat, ac hæreſium latibula, anathemate proſcribenda, prætendebat, ut eſt certè magis pronus ad damnandum, quàm ex charitate vel ex æquitate judicandum.

2. Ac primùm quidem, *non omnino contemnenda aut negligenda* inquit ille (ſupplemento adjecto ad Diſp. de Fœdere Operum veteri,) *ſequentia* PRÆIUDICIA: quorum alterum ex Gennadio, alterum ex Concilio Conſtantinopolitano IV. ſeu Oecumenico VIII. adductum, in hunc modum habet;

Gennadius.

Neque duas animas eſſe dicimus in uno homine, ſicut Jacobus & alii Syrorum diſputatores ſcribunt; Unam animalem, quâ animetur corpus, & quæ immixta ſit ſanguini; & alteram ſpiritualem, quæ rationem miniſtret: Sed dicimus unam eſſe eandemque animam in homine, quæ & corpus ſuâ ſocietate vivificet, & ſemetipſam ſuâ ratione diſponat, habens in ſe libertatem arbitrii, ut in ſuæ ſubſtantiæ eligat cogitatione quod vult.

3. *Concilium Conſtantinopolitanum IV. quod habetur Oecumenicum VIII. Actione X. Can X. Edit. Binianæ, Tom. 3. par. 2. p. 896.*

Cùm vetus novaque lex teſtamenti doceat, unicam homini ratione intelligentiâque pollenti eſſe animam, eandemque ſententiam Patrum omnium, & Doctorum ſanctorum Eccleſiæ doctrina firmet: ſunt tamen qui dictitent duas homini eſſe animas, & quibuſdam vitioſis ratiocinatiunculis & epicherematis ſectam ſtabiliant: Sancta hæc & œcumenica Synodus hujus impietatis conditores cum tota ſecta ſua Anathemate damnat; exertâque voce dicit, Quicunq; poſthac contraria ſenſerit, Anathema eſto.

4. Equidem quòd ad Concilium hoc attinet, videtur ex cit. verbis, vel committi ignoratio Elenchi, vel non videntur illi, quos reſpicit Concilium ſimili ratione nobiſcum duplicem in homine animam conſtituiſſe. Quippe ejuſdem Edit. pag. 856. Col. 1. idem Canon talibus exhibetur verbis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Apparet quoſdam id temporis in tantum impietatis veniſſe, ut ho-
minē duas animas habere impudenter dogmatizarent. Tales igitur
impietatis inventores, & ſimilia ſapientes, cùm vetus & novū teſta-
mentum, omneſq; Eccleſiæ Patres unam animam rationalem habere
hominem aſſeverent, ſancta & univerſalis Synodus anathematizat.
Ex quibus innui videtur, vel duplicem in homine animam ratio- 5.
nalem ſeu intelligentem à nonnullis aſſertam fuiſſe : quos certè
nos ipſi quoque anathemate damnandos cenſemus. Vel certè, fue-
runt illi ex eorum grege, quos notat Scaliger Exerc. 307. ſ. 5. ni-
mirum, qui plures animas, pluribus certis locis diſpoſitas, diſpe-
ſcebant ab invicem (inter quos Platonem quoque recenſet, at
non niſi nimio verborum affectato rigore;) Reverà enim, ſi in u-
no homine propriis ſedibus ſecluſæ eſſent animæ ab invicem, nec
una reſpectu alterius vicem obtineret materię, intimè & eſſentia-
liter eidem ſociata, utique non verus homo, ut ille inquit, ſed
verus Geryon, veraque chimæra exiſteret, aut ſi quid aliud tri-
num triplexve ab Auſonio animadverſum eſt : ac eſſet ita homo
unum quid, quaſi cumulus partibus coagmentatis. Huc reſpexit
Fort. Licetus lib. 3. de ort. anim. hum. cap. 12. pag. 428. Ubi (*ſacro-* 6.
ſanctam etiam appellans Synodum prædictam) *Non propterea,*
(quòd ſtatuat ſenſitivam ac vegetativam animam rationali in ho-
mine ſubordinatas,) *Non propterea*, inquit, *plures animas uno in*
homine ponimus, ut ii, quos ſacroſancta Synodus Conſtantinopolitana
anathematizat: illi namque, ut apparet ex verbis Can. ponebant in
homine duas animas in unam naturam non coëuntes; at nos tres qui-
dem ponimus partes eſſentiales ab invicem diverſas, verum dicimus
eas coïre in unam eſſentiam humanæ animæ. Quod idem quâ ra-
tione & à nobis dicatur, pleniùs conſtat paſſim ex Diſſert. de ani-
ma hum. ac ſpeciatim ex Diſſ. de union. anim. hum. cum corpore.
Quod ſi verò Antiqui illi, quos Conſtantinopolitana Synodus da- 7.
mnabat, eodem nobiſcum ſenſu aſſeruerint, duas vel etiam tres in
homine eſſe animas, tutò Concilii illius præjudicium temnimus
ac rejicimus: utpote cùm minimè *ſacroſanctum* illud habeamus.
Majoris quidem apud nos autoritatis foret in rebus Theologicis
Concilium Conſtantinopolitanum I. haud tamen eodem loco
cum Prophetis & Euangeliſtis ac Apoſtolis habendum, niſi qua-
tenus horum nititur autoritate, adeóq; pro fundamento habet i-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

pſam θεόπνευστον Scripturã: de illo verò Concil. Conſtant. IV. quod Oecumenicum VIII. fuit, quod nobis in præſentia objicitur, exertâ voce pronunciamus, fuiſſe illud ſuperſtitioſum ac Idololatricum, eoſque qui autoritatem ejus urgent in omnibus, idolorum cultores aſſerimus, ac dignos eoſdem anathemate profitemur.

8. Quippe eâdem actione X. Can. 3. citatâ pag. 896. ejuſdem edit. Binianæ, Concilium idem ita cenſet.

Sacram Domini noſtri Jeſu Chriſti effigiem, eâdem quâ ſancta Evangelia veneratione colendam ſtatuimus. Quemadmodum enim per ſyllabas ex Evangelio pronunciatas ſalutem conſequuntur omnes, ita per imagines arte coloribuſque pictas & expreſſas, docti juxta ac indocti, ex objecta re utilitatem capiunt. Quæcunque enim in ſyllabis oratio, hæc in coloribus pictura docet & repræſentat. Ergo quicunque Chriſti Salvatoris imaginem non adorat, is in ſecundo Chriſti adventu non videat ipſius faciem. Eâdem ratione intemeratæ genetricis illius effigiem, ſanctorumque Angelorum, quemadmodum illos ſacrarum literarum paginæ deſcribunt, ac Divorum omnium, veneramur & adoramus. Qui aliter ſentiunt, Anathema ſunto.

Idem Concilium *typo pretioſæ crucis adorationem* decernit, p. 855. col. 1. Et *his qui ſumunt divinæ ſcripturæ dicta, quæ ſunt adverſus idola, contra imagines*, *anathema* dicit p. 854. col. 2. & p. 894.

9. col. 1. At ne quid verò *Patrum omnium & Doctorum ſanctorum Eccleſiæ doctrina*, quam Concilium prætendit, contra duplicem animam præjudicii inferre videatur, haud plus autoritatis vel fidei exinde tribuendum eſt eidem Concilio, quam quando ſimiliter majorum exemplo idololatriam confirmare nititur Act. VIII. p. 894.

Quoniam par eſt, inquiunt, *ut Majorum noſtrorum decreta inviolata cuſtodiamus, ſtatuimus, ut imagines Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemperque Virginis & genetricis Dei, Divorumque omnium, ab omni æternitate Deo gratorum, quemadmodum in univerſa retro Eccleſia conſuetum fuit, ita in poſterum ſemper colantur.*

10. Egregia ergo, ſi Deo placet, ea citati Concilii autoritas! egregium *Præjudicium*, quo noſtra anathemate damnetur ſententia de ſenſitiva anima ſubordinata rationali! niſi potiùs ſuſpecta habenda ſit Religio Viri, aut culpanda ejus imprudentia, qui Concilio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

cilio huic contra nos autoritatem tribuit, idemque in *Præjudicium* obtrudit. Profectò non ſine ratione dixit alicubi, ni fallor, Beza, Quatuor Conciliis œcumenicis adfuiſſe Præſidem Spiritum S. reliquis verò Diabolum. Quòd ſi in iis, quæ ex ipſo veritatis fonte, ex Scriptura S. inquam, peti poſſunt ac debent, erravit Concilium; quid ni in iis damnandis potuit errare, quæ ſi fortè nullâ Scripturæ demonſtratione ſubnixa eſſe credenda ſunt, certè nullâ Scripturæ autoritate poterunt refelli. Unicam quippe 11.
in homine rationalem animam aſſerimus, quæ tamen non immediatè conjuncta ſit materiæ primæ, ſed materialibus facultatibus inſtructum corpus obtineat, adeóque ſenſitivam ſubordinatam ſibi habeat, ſuoque ſubditam imperio, quæ ipſa materiam ita diſponat, ut conveniens fiat animæ rationalis domicilium, ut ex tali corpore & ipſa rationali anima unus per ſe homo exurgere & eſſe queat.

Quòd verò ad *Gennadium* attinet, hunc equidem non novimus, 12.
niſi ex citatione aliorum, quare nec Religionem ejus orthodoxam præ charitate Chriſtiana in dubium vocare volumus, aut ſimili ratione eundem rejicere, quâ Concilium Conſtantinopolitanum. Hoc tamen interim aſſerimus, pluris nobis in re planè philoſophica, (in iis enim quæ Theologiam ullibi attinent, haud diſſentimus ab orthodoxia Religionis,) Ariſtotelis, Platonis ac aliorum Principum Philoſophorum, haberi autoritatem, quàm vel Gennadii, vel alterius alicujus Maſſilienſis Epiſcopi, aut Epiſcopatum vel Primatum potiùs affectantis Theologi. Genna- 13.
dii verò ſententiam moderatiorem laudamus, nec diſſenſum in re philoſophica ægrè ferimus. Quamvis nec fortaſſe longiùs à nobis abeſt ipſe Gennadius: Nec enim ipſi quoque ita duas in homine animas ineſſe dicimus, ut unâ illâ, animali dictâ, animetur corpus, eaque ſanguini immixta ſit credenda; nec alteram ſpiritualem ſolam rationem miniſtrare volumus: ſed reverâ cum Gennadio aſſerimus, *unam eſſe eandemque animam in homine, quæ & corpus ſuâ ſocietate* verè *vivificet, & ſemetipſam ſuâ ratione diſponat*, &c. Certè ex Scriptura S. didicimus, tum demum 14.
factum eſſe hominem in animam viventem, cùm ſufflaviſſet Deus in faciem ejus ſpiraculum vitæ, adeóque unam rationalem animam verè demum univerſum hominem vivificare. At interim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tenendum illud eſt, ſenſu differre plurimùm, animam in corpore eſſe ab ipſa mente diſtinctam, ac eandem animam eſſe viventem, ſeu viventis animalis principium & cauſam exiſtere. Namq; ut Theatr. Nat. Univ. part. 2. diſp. 6. § 20. expoſui: *Vivere non tantum animam includit, ſed perfectam promptitudinem inſuper ad functiones animæ convenientes exercendas: quod ipſum docet Ariſt, lib. 2. de anim. cap. 2. t. 13. ubi id vivere dici ait, cui unum horum ineſt, ſc. intellectus, ſenſus, motus localis ac ſtatus, motus ſecundùm nutritionem & accretionem & decretionem: Nutritionem autem, accretionem, & decretionem in plantis quidem ſolam*

15\. *lam exiſtere; at animal per ſenſum primò eſſe inquit, t.* 15. Cùm igitur in corpore humano, abſque anima rationali ſpectato, nulla promptitudo ſit ad ſenſuum, tum internorum, tum externorum, functiones exercendas, multo minùs ad localem perficiendum motum, utut vivere quidem dici queat tale corpus (ſi quidem vita dicatur nutritio, accretio, & decretio, quæ per idipſum fit quod vivere dicitur, 2. de an. t. 3. à quibus in Scriptura non ipſum *vivere* ſed *virere* ſeu *vireſcere* dependet,) animalis certè vivere vitam, ſtatui nullo modo poteſt, niſi quando à præſenti anima rationali illa ſubordinata ſenſitiva, quaſi per ſe iners ac ſopita, con-

16\. citatur ac impellitur ad animales operationes exercendas. Ut adeò ab una rationali anima totum corpus animale vivificari rectè dici queat, cujus rationalis animæ illa ſenſitiva inſtrumentum eſt: ſine rationali autem anima, ſi in ſe ſpectetur corpus hominis, utut ſenſitivâ inſtructum, ſecundùm S. Scripturæ phraſin, quâ nec plantæ vivere dicuntur, non niſi *virens* appellari poteſt.

17\. *Quippe*, ut cit. loco expoſuimus, *ſubordinata illa ſenſitiva anima imperium animæ rationalis adventuræ ad animales functiones exercendas ita determinatè exſpectat, ut inepta prorſus ſit per ſe ſola, omnique promptitudine ad ſenſum motumque localem deſtituatur.* Atque illud eſt quod inquit Triſmegiſtus: *Anima ſine mente, neque quid dicere, neque quid facere poteſt. Sæpe enim evolat mens ex anima, & in illa hora neque cernit anima, neque audit*, &c.

18\. Hîc verò futile omnino eſt, ac planè ineptum, quòd quis ex ſenſitiva anima, ſubordinata rationali, *Thneto-Pſychitas* arguat, (quos recenſet *Damaſcenus in Hæreticorum Catalogo,*) *qui hominum*

minum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

minum animas pecudum animis ſimiles inducerent , *atque eos unâ*
cùm corporibus dicerent interire. Contrarium ſanè potiùs ex tra-
dita ſententia conſequitur. Cùm enim animæ humanæ partem,
quam mentem vel rationalem animam vocamus, conſtituimus
independentem à materia, tum quoad exiſtentiam, tum quoad
operationes, infinito utique intervallo penè rationales animas,
ſeu quibus homines conſtituimur, à brutorum animis diſtingui-
mus: Et, cùm cætera homo cum brutis communia habeat, *ſo-*
lum certè *hominem credimus* cum Gennadio de Eccleſ. Dogm.
habere animam ſubſtantivam, *quæ exuta corpore vivit*, *& ſenſus*
ſuos atque ingenia vivaciter tenet: non cum corpore moritur, *ſicut*
Aratus (vel Arabes, ſi ita lubet,) *aut Epicurea vanitas aſſerunt*.
Certè hoc aſſerimus conſtanter, niſi pars animæ humanæ totâ 19.
ſubſtantiâ diſtincta tradatur, ab ea quâ ſenſus & motus exerce-
tur proximè, quâ reliquæ exercentur materiales operationes,
evitari non poſſe illam Thneto-Pſychitarum hæreſin, nec im-
mortalitatem rationalis animæ ſatis ſolidè poſſe defendi: ut adeò
illa *hypotheſis*, *de animis duabus damnata & anathemate proſcrip-*
ta à Concilio Conſtantinopolitano IV. quod habetur Oecumenicum
VIII. Actione X. Can. X. (ſi modò cum hypotheſi noſtra con-
veniat,) non modò *tolerabilis* cenſenda ſit; ſed omnino *tuendæ*
animæ immortalitati oportuna, ac in Philoſophia neceſſaria. Eſſe 20.
autem hanc ſententiam in Theologia adiaphoram, ex eo ſatis li-
quere videtur, quòd vel is ipſe qui præclarus ac *primarius* in ſua
Academia Theologus audire cupit, & conſcientiæ cauſâ quidvis
agere, ac fidelem animarum gerere curam, dum nobis ſe oppo-
nit, *ſuo ſenſu frui illos* jubeat, quibus nobiſcum *hypotheſis*, ſeu con-
cluſio potiùs, *de animis duabus per ſe tolerabilis*, *quin tuendæ a-*
nimæ immortalitati oportuna videtur. Certè in eo quod anathe- 21.
mate damnatum eſt à Conciliis, ſi quidem juſtè damnatum eſt,
Chriſtianum hominem ſuo ſenſu frui concedere ultro, Chriſtia-
ni hominis non eſt, multò autem minùs boni Theologi, & ani-
marum Paſtoris. *Nos tutiùs cenſemus* Theologo, *ſtatuere*, *eſſe u-*
nam in uno homine *animam rationalem*; eamque populo Dei in-
culcare immortalem, & vel perpetuâ beatitudine donandam, vel
perpetuâ pœnâ & cruciatibus æternis afficiendam, prout ſe homo
geſſerit in hac vita, prout vel bene vixerit vel malè. At verò, an 22.
eadem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

eadem *ſenſitivâ quoque & vegetativâ virtute prædita ſit*, an verò facultates eæ ab alia ſubſtantia, ad corporis ſeu materiæ diſpoſitionem attinente, promanent, inquirere aut determinare, haud eſſe Theologicum ſtatuimus; ſed Philoſophis id eſſe relinquendum, *niſi in rebus frivolis & inutilibus*, quoad ſalutem, *ſe torquere libeat* Theologis, ut loquitur Calvinus lib. 1. Inſt. cap. 15. § 6. niſi ab eodem temeritatis argui non vereantur de re obſcura in quamcunque partem definientes, ſine claris & evidentibus Scripturæ teſtimoniis. *De ipſis animæ facultatibus ſubtilius diſſerere*, inquit idem cit. loc. *Philoſophis permitto: nobis ad ædificandam pietatem*
23. *ſimplex definitio ſufficiet.* Quòd verò *illa de pluribus Animabus opinio nullâ Scripturæ demonſtratione ſubnixa* credatur, id ſi vel verum ſit, vim ſanè urgentem non niſi apud eos obtinebit, quibus non eſt ſatis haud *contra Scripturam* philoſophari, niſi etiam haud *extra eandem* quicquam aſſeratur: At verò nobis, qui, ut nefas judicamus contra Scripturam quippiam aſſerere aut tueri, ita extra eandem, ubi intellectui humano campus eſt apertus, liberè philoſophari glorioſum ducimus, (quamvis & veſtigia interim Antiquitatis obſervemus,) id argumentum admodùm inartifi-
24. ciale eſt. Profectò, qui nihil pro rato habendum cenſet, niſi, *quod Scripturæ S. demonſtratione ſit ſubnixum*, is non modò Philoſophiam univerſam cum Theologia miſcet ac confundit; ſed ne artifici quidem ulli in ſua arte fidem adhibebit: moxque talis Hiſtoricos ac Chronologos coget, ne quid extra Scripturam narrent; quin & textores tandem radium vibrare ſecundùm normam Scripturæ jubebit. Ne dicam admodùm ineptum hunc loquendi modum eſſe, cùm ex S. Scriptura *demonſtrationes* haud
25. petendæ ſint. Ad ea quæ Scriptura tradit, *Fide* opus eſt, atque ea quidem ſola ſufficit, vel reluctante omni humanâ ratione: at extra Scripturam *demonſtrationi* locus eſt, ubi rationem in auxilium vocamus, ubi in vigore eſt *Scientia.* Multa tandem ipſi *Senſus* quoque vera docuerunt, dubia Antiquis, aut etiam incognita, quin ex traditione falſa: quæ tamen S. Scriptura non demon-
26. ſtrat. Antipodes Scriptura ignorabat; & qui extra Scripturam olim eos inculcabat, hæreſeos damnatus eſt. At nunc ridemus omnes Pontificis damnantis ignorantiam, ac nimis futilem temeritatem. Scriptura Circum-Joviales ſtellas non demonſtrat: quis verò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

verò adeò veſanus eſt, qui, dum Planetas circa Jovem tradimus, hîc fidem neget ſenſibus; vel ad Scripturam S. provocans hîc damnet conſcientias? Quis ex Scriptura eruet præter Lunam Mercurium quoque ac Venerem à Sole mutuari lumen; at quis Theologorum hîc Aſtronomos hæreſeos incuſat? Quòd ſi verò ſenſus 27.
extra Scripturam liceat acuere, quid ni æquè rationem? Theologia certè ad peculiares diſciplinas per ſe non deſcendit: Illa nempe in altiſſimo faſtigio conſtituta, vulgares ratiocinationes ſupereminet; Ea quæ ratione noſtrâ comprehendimus, quæ item explorata ſenſibus, credere, non fidei eſt; ſed Philoſophiæ, & perſuaſionis. Multa in Theologia ſunt veriſſima, quæ nec ratione 28.
probari, nec ſenſu confirmari poſſunt. Ea non alia de causa fide tenemus, niſi quod rationi ſint impoſſibilia. Hîc Satanam, hîc rationem temnimus rebellem; ac judicium proprium in captivitatem abducentes, omnia uno illo paradoxo Tertulliani Conſilio expedimus: *Certum eſt, quia impoſſibile eſt.* Non tamen interim 29.
quæ poſſibilia ſunt, quæ ratione comprehendimus, quæ noſtris ſenſibus palpamus, neganda ſunt idcirco, quod dici nequeant impoſſibilia; non ideo neganda, inquam, quòd citra fidem ſint, quòd extra Scripturam, dum huic modò non repugnent. Quin 30.
potiùs, in hac rerum naturalium compage, ut non nemo aït, Theologica quædam legere eſt, non illa quidem literis majuſculis, ſed ſtenographiâ quadam, brevibuſque characteribus expreſſa, quæ in tenebroſa ſcientiæ abyſſo prudentoribus pro Lucerna eſſe poſſunt, uſque dum ad magnum illud Scripturæ lumen pertingant. Nonnulla ſanè eorum, quæ ex Naturæ lumine eruuntur, pro machinis & ſcalis eſſe poſſunt, ad Theologiæ muros arceſque altiſſimas conſcendendas, ſi qui eo judicio uti valent, quo ad unicum apicem ſibi in Theologia præfixum colliment, nec meris rationibus in avia ſe abduci patiuntur; ſi qui ratiocinationibus ſuis ex ipſa Theologia modum præfigere, fidemque ſervare norunt. Sed fortè ex Scriptura ipſa dari 31.
poſſunt teſtimonia, quæ ſententiam noſtram de duabus humanæ animæ partibus contrariis, adeóque tota ſubſtantia diverſis, mente ſc. ac ſenſitiva anima, probabiliter ſaltem firmare videantur, cùm nulla interim, quæ contrarium confirment ex Scriptura dari in adverſum queunt. Quid enim obſtat, quò minùs illa loca,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

quæ myſticum ſenſum habent in Scriptura, apertè tamen interim ſignificent id ipſũ quod videntur verba innuere? Velut ille qui eſt ad Rom. 7. 22. 23. Ubi *Condelector* inquit Apoſtolus, *legi Dei ſecundùm interiorem hominem: video autem aliã legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me reddentem in lege*
33. *peccati, quæ eſt in membris meis.* Equidem, quamvis non ignorem, nec dubitem, per *interiorem hominem* ipſamque *mentem* hoc loco non intelligi mentem qualis illa à nativitate in nobis ineſt, ſed qualis eſt per Spiritum Dei renovata, adeóque hominem regenitum intelligi; veluti per *membra* vel *carnem* homo irregenitus intelligendus eſt: quid tamen interim vetat, quò minùs duæ partes in homine, ſeu facultates animæ contrariæ indigitentur ac diſtinguantur, quarum ea quæ *mens* dicitur, quæque *interior homo* appellatur, regeneretur per ſe ac primariò, altera quæ *caro* paſſim dicitur, quæque *membrorum* nomine indigitatur, ob unionem cum priori regenerari ſtatuatur, quatenus nempe parti per ſe re-
34. genitæ faciliùs ac promptiùs morem gerit. Quippe, ut per ſui partem præcipuam, rationalem animam, homo totus rationis particeps evadit, dum facultati quoque inferiori ratio communicatur; ita per regenerationem partis ejuſdem totus homo fit regenitus, ſanctificantis Spiritus opere per mentem ipſam ob communionem in corporis item membra, ac materiales facultates, influente: ſeu, velut appetitus ſenſitivus, ſi in ſe ſpectetur, non deliberat, ſed ex neceſſitate quadam agit, ut in brutis; at in homine verò, ubi rationi ſubeſt, liberè cenſetur agere, quia per communionem particeps fit rationis: ita certè *animalis homo*, ſeu exterior, qui *caro* appellatur, quem *animal humanum* dicimus, per ſe regenerationis capax non eſt; ſed ejus particeps evadit, ob communio-
35. nem & unionem cum homine interiori, ſive mente. Certè Piſcator ad hunc locum, *Ego ſimplex & verum puto*, inquit, *ut propriè intelligantur membra corporis: tanquam in quibus peccatum ſuas vires exerit*: dominantur enim in iis cupiditates ſenſitivæ animæ. *Mentem*, inquit porrò, *opponit membris, & mentem vocat quem ſuperiore verſu interiorem hominem dixit: videlicet mentem à ſpiritu Dei renovatam*: cui nempe menti primariò regeneratio de-
36. cernitur. Hæc verò mens, quatenus ſpectatur ut regenita, *ſpiritus* dicitur ad Gal. 5. verſ. 16. 17. partique irregenitæ *carni* opponi-
tur,

tur, utpote quæ immorigera reddita veræ rationi, totum hominem à tramite virtutis ac pietatis ſecum abripit; ut adeò totus homo verè *carnalis* evadat, veluti à parte rationali totus *rationalis.*
Inter hanc utramque partem perpetua intercedit pugna, etiam in 37.
regenitis, ut cum Apoſtolo non faciamus bonum quod volumus; ſed malum, quod nolumus, hoc agamus, Rom. 7. 19. Hæc eadem mens regenita *ſpiritualis homo* dicitur, ac per mentem homo integer regenitus vocatur, ut 1. Cor 2. v. 14. 15. cui opponitur *animalis homo*, utpote qui neglectâ mente, aut eâdem in obſequium
redactâ, ſenſibus & appetitu ſenſitivo regitur. Ut verò etiam ex- 38.
tra regenerationem pars utraque ſpectatur, mens quidem à functione ſua τῶν διανοιῶν *cogitationum* appellatione indigitatur; altera verò τῆς σαρκὸς *carnis* appellationem ſibi ſervat, ad Epheſ. 2.
verſ. 3. Nec verò & *Spiritus* & *caro*, quæ dicuntur in Scriptura, 39.
ſimpliciter ſolummodò regenitum ab irregenito diſcernunt; ſed in uno eodemque homine reverâ partes ab invicem diverſas indicant ſat manifeſtè, velut in ipſo quoque Salvatore noſtro, ubi nulla locum habuit regeneratio, *Spiritus* (πνεῦμα) *quidem promptus* erat, ſed *caro infirma*, Marc. 14. 38. pro qua carne Matth. 26. 38. ψυχὴ *anima* indigitatur, quæ undiquaque triſtis fuit uſque ad mortem: quam interim promptior Spiritus ſublevabat, ut ita verè
agonia Chriſti ad utramque partem referenda ſit. Hæc nempe 40.
illa pars erat in Salvatore noſtro, in quo affectus ac παθήματα inerant, ut ita naturæ noſtræ planè ſimilis eſſet, excepto peccato: hæc pars in Salvatore noſtro quandoque ἐταράχθη *conturbata eſt*, cùm mens ipſa interim, utpote quæ ſimpliciſſima exiſtit, turbibo motu agitari non potuerit. Haſce verò duas in homine partes ſpectâſſe D. Apoſtolum, 1 ad Theſſ. 5. v. 23. & ad Hebr. 4. v. 12. quando τὴν ψυχὴν καὶ τὸ πνεῦμα *Spiritum*, & *Animam*, appellat, ſi ſtatuamus, quid abſurdi, quæſo, inde inferetur? quid ab orthodoxia religio-
nis alienum? Nulli certè offendiculo fuit Clariſſ. D. Pontanus, p. 41.
m. Philoſophiæ olim in hoc noſtro Gymnaſio Profeſſor, ac Prædeceſſor meus, quando Diſp. de Anima, probl. 1. poſtquam Ariſtotelem quandoque κατ' ἐξοχὴν in homine aliud genus animæ agnoſcere, ac νοῦν ſive mentem appellare, teſtatus eſſet, ſubjungit: *Quomodo S. S. literæ, præſertim Paulus, ab Anima excellentius quid, Spiritum nimirum, videtur intelligere, cùm phyſicon ſeu animalem*

hominem ſpirituali opponat, & optet Theſſalonicenſibus ut ſpiritus eorum & anima & corpus conſerventur ſine reprehenſione in adventum Domini: Et David Pſalm. 51. *non animam tantùm, ſed &*
42. *Spiritum intra ſe renovari petat.* Simili ratione de *interiori homine*, quem vocat Apoſt. & *corpore* ſeu *carne*, quæ *exterior homo* dicitur, diſſerit Hieronymus, citante Petro Moſellano ad A Gell. lib. 12. cap. 5. qui tamen Hieronymus diſtinctionem interim regeniti ac irregeniti hominis nec ignorat nec contemnit.

ABSTERSIO SORDIUM
cujuſdam
Diſputationis Selectæ
Philoſophico Theologicæ,
De
ANIMA, SPIRITU, & CORPORE.

Contactus, I.

Apparatum præmiſimus ad Corollaria præpoſtera ordinatum: quibus pro ſuo more Theologo-Philoſophaſter *Præjudicia* ſuæ cauſæ comparari neceſſarium duxit, dum ſat ſano judicio, vel ratione ſatis ſolidâ, ſibi ipſi viſus eſt carere. At toto cavillationum agmine tandem inſurgit, ac peculiaris Diſputationis, Selectarum XVæ. (quæ *Philoſophico-Theologica* inſcribitur,) τὸ κρινόμενον ſeu *contraverſam quæſtionem* facit: *An Scriptura nominans tria illa, Spiritum, animam, & corpus,* φυσικῶς *naturaliter uni corpori humano vindicet animas ſaltem duas realiter diſtinctas, unam rationalem, hominis propriam, quæ propriè dicatur* רוח πνεῦμα *Spiritus; alteram ſenſitivam, homini cum brutis communem, quæ propriè dicatur*

tur נפש ψυχὴ anima? *An verò Theologiæ, & ſaniori, quæ ſe Scripturis ſubjicit, Philoſophiæ, conſentanea ſit ſententia recepta, quâ aſſeritur unicuique corpori unica tantùm anima rationalis, quæ eminenter complectitur, & ſuâ unione naturali cum corpore organico aptè diſpoſito efficit vitam hominis & vegetativam, & ſenſitivam, & rationalem?* CONT. I.

Equidem, ſi ſolummodò de textu ipſo, ac ſenſu locorum Scri- 2.
pturæ ſolicitus foret Theologus, *controverſam* illam *Quæſtionem* eidem ſoli & ventilandam & ſolvendam cum Theologis relinqueremus, utpote, qui in re ipſa, quæ ad orthodoxiam religionis ſpectat, ne latum quidem unquem ab eodem declinamus: Sed cùm hanc quidem ſpecioſam quæſtionē in fronte Diſputationis, proponat, dum interim in Spartam noſtram Philoſophicam ſe ingerit, ut longè iniquiſſimo inſtituto tum nobis peſſima hæreſium iniquinamenta immeritò aſpergat, non tam ex prędicta locorum Scripturæ interpretatione, quàm ex eo quod in homine à mente quid diſtinctum, at eidem ſubordinatum aſſeruimus; Theologis quidem ipſam interpretationem relinquentes, aut noſtram interpretationem eorum meliori judicio ſubmittentes, pro noſtra fama & religione ſtabimus, & latibula ſaltem hæreſium, quæ per conſequentias ineptas ex noſtris Philoſophicis finguntur excutiemus atque evertemus. Quod antequam aggrediamur, nonnulla in ſtatu Quæſtionis, quem proponit Adverſarius, enucleanda ſunt.

Quo ſenſu in uno homine *duæ animæ realiter diſtinctæ* ineſſe di- 3.
cantur, ex noſtris de Animæ Humanæ Diſſertationibus paſſim ſatis liquet: At quo ſenſu quæratur, an φυσικῶς *naturaliter* eidem illæ inſint, admodùm obſcurum eſt: quæ quidem difficultas à ſolo Adverſario injecta, in controverſiam unquam à nobis adducta non eſt. Certè, dum geminam in uno homine animam conſtituimus, nihil miraculoſi hîc concipimus, ſeu nihil præter ordinem naturæ ab initio à Deo conſtitum: hoc ergo ſenſu *naturaliter* talem homini conſtitutionem adeſſe affirmamus, utpote quæ exactè eſſentiam hominis, ut homo eſt, exprimat. Quòd ſi verò *na-* 4.
turaliter dicatur, habitu reſpectu ad naturam, prout ea definitur 2. phyſ. à qua ſubjectum phyſicæ ſcientiæ *corpus naturale* appellatur, *naturaliter* uni homini ineſſe duas animas negamus: cùm

CONT. I. ipſa rationalis anima natura non ſit, ut antehac docuimus, nec è
potentia materiæ educatur, ſed ab ipſo Deo creetur; hinc nec
contemplatio rationalis animæ, in ſe ſpectatæ, ad Phyſicam pro-
priè pertinent, ſed potiùs ad Pneumatologiam referenda eſt.
5. Quòd verò ad illam diſtinctionem attinet, ab Adverſario quaſi
ex noſtra mente expoſitam, quâ נפש & רוח *anima* & *ſpiritus* di-
ſcernuntur haud ſatis noſtræ menti ea quadrat. Quippe Theatr.
Nat.Univ. part. 2. Diſp. 5. § 16. dixi, cùm anima in Sacris quan-
doque ſanguis dicatur, eam ubique vocabulo נפש *Nephs* appel-
lari, quod Græcis ψυχὴ vertitur, *quod & Hebræis & Arabibus
propriæ facultatem vitalem, (quæ viventium propria eſt; non ſimili-
ter ut vegetatrix facultas virentibus communis,) ſeu potiſſimam e-*
6. *jus functionem, quæ reſpiratione exercetur, ſignificat*, &c. Adeóque
hanc genuinam eſſe ac propriam τοῦ *Nephs* vel τῆς ψυχῆς ſignifica-
tionem aſſerui ibid. Diſp. 6. § 19. non quòd ignorarem variis id
vocabulum accipi ſignificationibus, ut Diſſert. 1. de Anim. Hum.
eſt expoſitum. *Ipſam verò eſſentialem animam, ſeu formam, tum
animantium tum vegetabilium vocabulo* רוח *Ruahh denotari*, in-
7. quiebam cit. diſp. 5. § 16. Falſum ergo eſt, quod quaſi ex noſtra
ſententia refert Adverſarius, *animam rationalem, hominis propri-
am, propriè dici* רוח *πνεῦμα Spiritum*, cùm plantarum etiam &
brutorum animantium animabus ac formis eſſentialibus id vo-
cabuli, vel ex noſtra confeſsione, tribuatur: Interim tamen ubi
in uno eodemque homine inter τὴν ψυχὴν ϗ τὸ πνεῦμα, *animam* &
ſpiritum, diſtinctio fit, illic per *animam* quidem propriè intelligi
eam, quæ homini cum brutis communis eſt, materiæ ſc. implici-
tam, ad quam facultas vitalis pertineat, itemque ſenſus & motus;
8. per *ſpiritum* verò ipſam mentem ſeu animam rationalem, innui-
mus Theat. Nat. univ. part. 2. diſp. 7. § 71. Atque ita certè quamvis
indifferenter quandoque & *Anima* & *Spiritus* ſumantur pro
eſſentia in nobis immortali, quæ nobilior noſtri pars eſt; omnino
tamen, *dum ſimul junguntur hæc nomina, ſignificatione inter ſe dif-*
9. *ferre*, autor ac teſtis eſt Calvin. Inſt. lib. 1. cap. 15. § 2. Sed ſen-
tentiam tum verè noſtram, tum falsò nobis affictam, reſpuens
Adverſarius, aliam, cui ipſe ſubſcribat, ſubjungit: quærens, *An
verò Theologiæ, & ſaniori, quæ ſe Scripturis ſubjicit, Philoſophiæ,
conſentanea ſit ſententia recepta, quâ aſſeritur unicuique corpori*

unica

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

unica tantum anima rationalis, &c. *Quod nos affirmamus*, inquit, CONT. I.
& confirmamus adhibito Scripturarum teſtimonio. Rectiùs hîc equidem, quàm alibi, ad ipſa Scripturæ teſtimonia reſpicere videtur, ſine quibus manifeſtis quid aſſerere, aut definire in utramvis partem, Theologus erubeſcit. At quâ ratione præſtet id quod pollicetur, propediem videbimus. *Sana* equidem *Philoſophia* 10.
Scripturæ teſtimoniis haud refragatur; ſed nec ut *Philoſophica* ſit diſputatio, quæ *Philoſophico-Theologica* inſcribitur, ſatis eſt Scripturæ teſtimoniis ſententiam firmari, (quamvis illud ſatis ſit pro veritate,) hoc enim merè *Theologicum* dicendum eſt: ſed ſi Theologiæ titulo *Theologus* non acquieſcat, ſed ex inſcriptione Diſputationum audire cupiat *Philoſophus*, in alienam Spartam ſat intempeſtivè ſe immittens, ratione quoque Philoſophicâ ſententia corroboranda eſt, niſi ſuas Philoſophia à Theologia diſtinctas partes obtinere nullas credatur. Sic verò ſolus dominabitur Theologus, ac *Hierarchiam* novam eriget, ſacerdotali in Papatu non abſimilem, dum à Scriptura S. Philoſophos arcendos urget.
Quàm eleganter autem, quámque ſolidè Theologus Philoſo- 11.
phum ſe præſtet ex progreſſu itidem patebit. Quâ verò interim audaciâ, vel quâ temeritate, *ſententiam receptam* appellet, quæ explosâ ſenſitivâ animâ magis illi placet, (quaſi nova ſit à nobis prodita,) mirabitur fortè aliquis, vel ſè vulgo etiam, qui ſententiam à nobis exhibitam, in univerſa Antiquitate, ad hæc tempora uſque noſtra, apud nobiliſſimos Philoſophos fuiſſe receptiſſimam, ex iis quæ jam antè expoſuimus, didicerit: ac fortaſſe ridebit, cùm ex hac ipſa Diſputatione inanem Philoſophaſtrum ſemetipſum Adverſarius noſter comprobaverit. Non ita temerè 12.
fingendæ ſunt hypotheſes, nec ſine ratione *Præjudicia* ſunt excitanda. Haud tamen interim dum uni homini *duas ſaltem animas* tribuimus, à ſententia Adverſarii, ſi eam rectè ipſe Adverſarius intelligat, recedimus; ſed nobis omnino placet *ſententia recepta, quâ aſſeritur unicuique corpori* (humano) *unica tantùm anima rationalis, quæ eminenter complectitur, & ſuâ unione naturali cum corpore organico aptè diſpoſito efficit vitam hominis, & vegetativam, & ſenſitivam, & rationalem.* Omnes enim facultates, quæ- 13.
cunque univerſo corpori humano inſunt, rationali animæ ſubordinatæ ſunt, ut antè expoſuimus, hæc principatum ipſa tenet, ad

hanc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

hanc omnis adminiſtratio pertinet, quamvis per adminiſtras facultates exerceatur. Hoc ſolùm eſt, quod non admittimus, corpus illud cui naturaliter unita eſt ipſa rationalis anima, *organicum* eſſe, & *aptè diſpoſitum*, aliâ ratione quàm per ſenſitivam animam ſubordinatam rationali, cùm ſine hac ne quidem verè corpus hu-
14. manum, vel corpus ſenſitivum, dici queat. Huic autem corpori humano ita adornato, haudquaquam duas animas tribuimus realiter diſtinctas; ſed unam tantùm rationalem, hominis propriam, quam mentem appellamus. Sed Gordios tandem nodos propiùs luſtremus.

Contactus II.

Excutienda initio hæreſium latibula, inquit, *& olim & hodie quæſita in iſta de duabus ſaltem animabus opinione, ut illarum rejectione (ſpabilito inter Orthodoxos hic diſſentientes conſenſu neceſſario,) libera ſit diſquiſito, quid hîc hæreticis nos largiri cogat Scriptura in Anthropologia Chriſtiana: quâ non cogente, nihil illis largiendum contra receptam ſententiam.* Hem! novi quid audire videor. Itane verò, bone vir, hæreſium latibula quæſita ſunt & o-
2. lim & hodie in iſta de duabus ſaltem animabus opinione? Certè admodùm vereor ut hæc hypotheſis ſat vera ſit. Seponamus, quæſo, aliquantiſper Præjudicia, ac videamus mox, an potori neceſſitate hæreſes, quas Adverſarius notabit, ex opinione de duabus animabus eliciantur, quàm ex unius animæ cum corpore unione à malitioſis hominibus eædem necti queant. Interea verò impiæ & execrandæ illæ *hæreſes*, quarum mentionem mox injiciet, non *excutiantur* modò, ſed & *rejiciantur*, *damnentur*; ac præſupponatur ſatis per ſe *firmus ac ſtabilis inter Orthodoxos hic diſſentientes conſenſus neceſſarius*, quem non Philoſophia, ſed unica S. Scripturæ veritas appertiſſima ſatis ſuperque ſtabilitum reddit: qui futilibus concertatiunculis extra Scripturam quæſitis à Theologo, fortaſſis facilè luxari poſſet in eorum animis, qui ſacrâ fide haud ſatis munitas habent cogitationes, nec interim talibus *Philoſophico-Theologicis* ſatis ſolidè ad ſalutem poſſent eru-
3. diri. *Liberrima eſto diſquiſito, quid Hæreticis largiri nos cogat Scriptura in Anthropologia Chriſtiana.* At interim à Theologo Theologica

logica excutiantur, ad normam S. Scripturæ expendantur ſingula, extra quam ſapere ignominioſum ac periculoſum eſt Theologo, contra quam ſapere ipſi etiam Philoſopho eſt impium. *Eâ non cogente, nihil* ſanè *largiendum* Hæreticis, (quâ Theologis ac ſacrorum myſteriorum interpretibus, ea quæ Religionem attinent urgentibus,) *contra receptam ſententiam*, quin potiùs contra ſententiam divinitus inſpiratam, ac manifeſtâ S. Scripturæ autoritate munitam. At interim in meris Philoſophicis, nimirum iis quæ Scriptura non attingit, Hæreticorum opiniones ad S. Scripturæ normam velle expendere, perquam ineptum eſt ac temerarium. Nunquid Ethnicorum quoq; admittimus philoſophemata, eaque in Academiis paſſim inculcamus, à quibus vel latum unguem recedere multis ſanctiſſima religio videtur, qui malunt alieno judicio ſapare quàm ſuo; quæ tamen pleraque nullâ Scripturæ autoritate confirmantur, in quæ multò minùs Philoſophos divina pagina cogit. Pulchra equidem ratio ſubtiliori acumine elata, quâ levi negotio ex difficultatibus quàm plurimis in Philoſophia nos expediamus. Nimirum, ſtrenuè negandum quidvis, ubi non cogit S. Scriptura; nulli cedendum rationi, dum hæc ipſa non impellit: *Extra Scripturam* ne ipſis quidem ſenſibus habenda fides eſt. A corde originem nervorum diduxit olim Ariſtoteles; à cerebro poſtmodùm Galenus: In neutrius ſententiam nos cogit S. Scriptura: rejiciamus ergo utramque, aut Galeno ſaltem non credamus, cui ſanè, non cogente Scripturâ nihil largiendum eſt contra receptam ſententiam. Circulationem quandam ſanguinis poſuit recentior ætas, Antiquis incognitam: Huic variis rationibus magno molimine celeberrimi viri ſe opponunt. Qui quidem omnes noſtro Adverſario magno conatu magnas nugas agere creduntur. Quippe litem ipſe longè minori moleſtiâ dirimet. Non cogente S. Scripturâ, inquiet, nihil largiendum Novatoribus, contra receptam ſententiam. Rejicienda ergo, vel concedenda ſaltem non eſt, illa circulatio. Sed nec cogit S. Scriptura in contrarium. Et hîc ἐπέχειν ergo tutius. Cum Scepticis nimirum inquiamus paſſim, hoc unicum nos ſcire, quod extra Scripturam nihil, vel eorum quæ humanam Sapientiam attineant, ſciamus. Sola Jureconſulto, Medico, Philoſopho, quin & Architecto ac Mechanico cuivis, Militi item, Du-

CONT. II.

4. 5. 6. 7.

CONT. II. ci, Imperatori, ſola, inquam, omnibus in ſua arte ſufficiat divina pagina: hanc qui ignorat, noſtrum in omnibus conſulat Theo-
8. logum. Sed latibula hæreſium excutiamus tandem. *Quæſitum,* inquit, *initio latibulum hæreſios, arrepto loco, 1. Theſſ. 5 23. Arabicis Thnetopſychitis, ad ſubvertendam animæ humanæ immortalitatem; quæ nobis conjectura eſt, ex collatione Theologiæ novorum ex Socini Schola Thnetopſychitarum cum opinionibus à Gennadio Maſſilienſi damnatis in Eccl. Dogm. à cap. 13. uſque 21. Eſt autem hæc. Mortuos annihilari; Corpus evaneſcere; Spiritum redire ad eum qui dederit ipſum: Animam nec voluptatem ſentire nec dolorem, Anonymus tractatu Belgicè edito a° 1631. Spiritum autem, inquit, qui ad Deum redit minimè intelligunt Spiritualem & immortalem ſubſtantiam, ſuo intellectu & voluntate pollentem; ſed tantùm divinæ particulam auræ, quæ nullam habeat extra Deum in ſe aut per ſe ſubſiſtentiam. Idem Anonymus & Volkelius de vera Relig. lib. 3. cap. 11. Breviter, Negant eſſe ex ipſa creatione in homine agnoſcendum quidquam immortalis vitæ: Socinus Epiſt.*
9. *ad Volkelium V. pag.* 489. Mirum profectò, niſi hîc tacitè probare videatur, id quod vult damnare videri, inſignis obſcuritatis Magiſter: *quæ nobis conjectura eſt*, inquit, relativo, ut veriſimile eſt, reſpiciente id quod proximè præceſſit, ſc. *immortalitatem animæ.* Nempe hæreſin illam non eſſe hæreſin contendit; & quam ſubvertebant penitus Arabes Thnetopſychitæ, humanæ animæ immortalitatem, ea Adverſario noſtro tantùm conjectura eſt.
10. Sed & fortè illis Arabibus immortalitas animæ non niſi conjectura fuit: quippe ut non nemo exponit, *Animas humanas unâ cum corporibus interire ſtatuebant, die autem noviſſimo reſurrecturas: Non quòd animam planè mortalem eſſe ſenſerint, aut ſi id eſſet,* (quod fide ſolâ non Philoſophia poſſe redargui nonnulli perperam exiſtimant,) *& ſi utrumque ſepulchrum unâ introïret, eamtamen, ſicut & corpus, reſuſcitandam eſſe.* (quam Arabum
11. ſententiam vide apud Euſeb. lib. 6. c. 36. an. 249.) Hæc omnino videtur opinio eſſe Adverſarii noſtri; qui ideo nos hæreſios radarguere aliquando conatus eſt, quod *animam* pronunciaveramus *ſubſtantiam in ſuo genere completam ac perfectam, & ratione propriæ ſuæ ſubſiſtentiæ abſolutam, quæ tamen ſit determinata ad corpoream ſubſtantiam, & ad unam cum eadem ſubſiſtentiam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tiam. Nempe proculdubio pro rato habuit illud novorum ex
Socini Schola Thnetopſychitarum, quod citat, *Spiritum qui ad*
Deum redit, eſſe divinæ particulam auræ, &c. Saltem veterno in-
volvit ac dormire ſentit animas ad diem ultimum: quam ſuam
ſententiam non obſcurè prodit theſi ultima, (de qua in progreſ-
ſu,) quando ita organicam inculcat rationalem animam, ut non
modò animales operationes per organa corporea exercere con-
tendat; ſed ipſas etiam rationales. Ut adeò ſublato corpore ne-
ceſſe ſit ab omni ſaltem operatione penitus humanam animam
quieſcere, ſi non credatur ea prorſum interire. Vel, an fortè con- 12.
jectura eſt Philoſopho-Theologo noſtro, latibulum hæreſios
quæſitum eſſe in iſta de duabus ſaltem animabus opinione, arre-
pto loco, 1. Theſſ. 5. 23. ubi inter *Spiritum* & *Animam* manife-
ſta ſit diſtinctio. Age, obſcuritati hanc lucem ergo præbeamus.
At cui tamen, quæſo, hæc conjectura unius viri, minùs in nos æ-
qui, talis videbitur, ut exinde certum præjudicium jam antè con-
ſtitui debuerit, ſc. *hæreſium latibula & olim & hodie quæſita eſſe*
in iſta de duabus ſaltem animabus opinione. Quod antè ut veriſſi- 13.
mum aſſeverabat, de eo nunc dubitare incipit, non niſi conje-
ctura agitatus. Parùm abeſt, quin mox quadret in eundem, quod
vulgo dici ſolet, quod in ſequentibus *mendacis ac fraudulenti ho-*
minis proprium ipſe facit, *modò aït, modò negat.* Quâ verò ratio-
ne tandem, quæſo, hæc conjectura noſtro homini oboriri po-
tuit? *Ex collatione,* inquit, *Theologiæ novorum ex Socini Schola*
Thnetopſychitarum cum opinionibus à Gennadio Maſſilienſi da-
mnatis, &c. quæ hæc eſt: *Mortuos annihilari, corpus evaneſce-*
re, Spiritum redire ad eum qui dederit ipſum. &c. Hei quàm ſolida 14.
ratio? quàm profunda ſubtilis cerebri cogitatio! Novi iſti Thne-
topſychitæ inter *ſpiritum* & *animam* diſtinguentes, *animam* ſta-
tuunt *nec voluptatem ſentire nec dolorem, ſpiritum divinæ eſſe par-*
ticulam auræ, quæ nullam habeat extra Deum in ſe aut per ſe ſub-
ſiſtentiam. Breviter, Negant eſſe ex ipſa creatione in homine agnoſ-
cendum quidquam immortalis vitæ. Ergo opinio de duabus ani-
mabus in homine damnanda eſt; ergo inter *ſpiritum* & *animam*
in homine non eſt diſtinguendum. Nempe hinc latibulum hæ-
reſeos inventum eſt, quæ noſtro quidem viro conjectura eſt.
Quaſi verò ſimiliter, ii etiam, qui unam homini animam ratio- 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

CONT. II. nalem tribuunt, at eam interim brutorum animabus ſimilem pronunciant, ac una cum corpore mortalem, in ipſa illa unica anima, quam ſtatuunt, latibulum turpiſſimæ ejuſmodi hæreſeos inveniſſe dicendi ſint. Eâdem certè ratione, eâdem conjecturæ ſoliditate latibulum hæreſios, quâ Dei infinitudo negatur, inventum quis exiſtimabit ac arreptum ex eo, quòd quis Deum eſſe credat. Negabit ergo noſter *eſſe Deum*, ne prædicta illa hæreſis latibulum inveniat; ne quis hunc unicum Creatorem rerum omnium, ne eundem gubernatorem neget; ne cum Stoïcis à Mundi anima eundem non diſtinguat; ne Trinunum dubitet.

16. Negabit credo noſter *Spiritum Deitatis*, ne Apollinaris illa hæreſis latibulum inveniat, quâ hunc pro anima fuiſſe Salvatori noſtro contendit. Negabit porrò naturam Chriſti vel humanam vel divinam, ne latibulum inveniat Neſtoriana hæreſis, quæ in uno Chriſto duas aſſerebat perſonas. Deum eſſe factum hominem negabit, ne fortè vel infinitudo Dei ſit neganda, vel humana natura divinitati juncta ubique præſens ſtatuenda ſit. Negabit æternam Dei prædeſtinationem, ne hinc hæreſios latibulum

17. exurgat, quâ Deus peccatorum autor ſtatuatur. Peſſimo profectò conſilio ob conſequentias periculoſas, inepto futiloque nexu cohærentes, negatur abſque ratione ipſa theſis, quæ vel vera eſt, vel ſaltem vero ſimilis, quæ ratione ſolidâ non poteſt everti. Dari Antipodes olim negatum eſt, & ejus ſententiæ propugnatores hæreſeos damnati, ne ita ſit conſtituendus alter Mundus, adeóq; unus Chriſtus non ſit Servator utrobique. Sed ipſum quidem Antecedens omnibus jam notum eſt: impietate ergo maximè ſe involvebant olim ii, qui exinde tales conſequentias nectebant.

18. Multorum equidem religio ſic facilè in Atheïſmum verteretur, aut viri pii paſſim haberentur atheï, ſi ex conſequentiis, ineptâ ratione adductis, de fide ipſa ſentiendum foret. Si ex Mundi quadam Anima neganda foret neceſſariò divina providentia, quot non viri pii, certè quibus conſcientiæ & orthodoxiæ integritate neutiquam prælucet noſter Adverſarius, Epicureïſmi damnarentur, qui cum Platone atq; univerſa Hermeticorum turba,

19. aliiſque etiam ſine controverſia Orthodoxis in religione, Mundo animam deſignant. Rectiùs equidem meo judicio enervantur conſequentiæ, abſurdum quid & impium ſuadentes, dum non ſunt

ſunt ſolidæ, dum adhuc dubia habetur, ac fortè vera eſt hypotheſis; quàm, ſi vel ratione ſolidâ, vel certâ experientiâ firmari contingat aliquando id quod habebatur dubium, eâdem ſimul operâ ſit admittendum, ex confeſſione propria, id quod certo certius eſt impium, quòd ineptâ ratiocinatione eſt per ſolas conſequentias illatum. Periculoſum ſanè, ac publicâ cenſurâ 20.
Synodorum dignum inſtitutum eſt, quo nonnulli, qui præ aliis videri volunt, rationis ſuę decempedâ immenſos religionis noſtrę campos metiri inſtituunt, qui ex nonnullis Philoſophicis mox Theologica per conſequentias abſurdas evertere conantur. Quaſi rationis humanæ trutinâ Religionis noſtræ pondera immenſa exploranda ſint: quaſi non Theologia multò magis quàm Philoſophia habeat impeditos quoſdam nodos, quibus fidem noſtram non rarò implicamus, ac impeditam facimus, dum eoſdem noſtrâ ratione explicare ſtudemus: quaſi non ſatis Controverſiarum in Theologia ſit, niſi ex Philoſophia ipſe numerus earum augeatur, per conſequentias, tenuiori quàm per filum araneum nexu cohærentes, quas vel ſola aura quædam tenuis diſcutiat. Hi quo- 21.
que controverſiam in Theologia movent, an corpus & anima in homine uniantur in unam hypoſtaſin? idque negare audent, ne etiam naturalis hypoſtaſis in Salvatore noſtro ex natura divina & humana concedenda ſit. Bone Deus! quo non temeritas pertingit perſpicacium id genus hominum, qui mox ſingulos homines perſonas negabunt, ne tres in una eſſentia divina perſonæ 22.
ſint negandæ. Egregium, ſi Deo placet, Theologiæ emolumentum præſtant tales, haud interim leviſſimâ eruditionis opinione Viri, quibus divinitus inſpirata Scriptura, ejuſdemque autoritas, haud ſatis ſoliditatis habere creditur, quibus haud ſatis proprio robore ſuffulta habetur S. S. Theologia, niſi ex Philoſophia quoque ipſa ſtramineas eidem columnas paſſim contexant, etiam ad illud faſtigium erectas, quò nulla Philoſophia aſſurgit. Tales hîc noſter meditatur paſſim, dum extra Scripturam Theologiæ ſuum robur quærit, hoc eſt, dum ipſum robur Theologiæ deſtruit; dum ineptiſſimis conſequentiis, abſque omni ratione ex ſanioribus Philoſophematis elicitis, fundamenta Theologiæ ſub- 23.
verti poſſe perſuadet. Itane verò lubrica noſtra Religio eſt, quæ ſolidius in Scriptura fundamentum non inveniat, quàm ut

CONT. II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

conſequentiis, ipſo vento levioribus, ex Philſophia diductis, nutare credatur? Itane vilis noſtro Theologo Scriptura ſacra, ut immortalitatem rationalis animæ non ſatis tueri credatur, niſi
24. nulla conſequentia ex Philoſophicis à perverſo ingenio queat eruì, quæ deſtruere eandem videatur. Quàm verò ſolida tandem illa conſequentia cordatioribus videbitur! Rationalis *ſpiritus* in homine præeſt *animæ* ſenſitivæ. *Ergo mortui annihilantur; corpus evaneſcit; Spiritus redit ad eum qui dedit ipſum, ut ſit divinæ particula auræ, quæ nullam habeat extra Deum in ſe aut per ſe ſubſiſtentiam*, &c. Quàm ſolidè, (bone Deus!) immortalitatem animæ hâc cavillatione, extra Scripturas quæſitâ, tuebimur! Quàm pulchrè rationalis ille *ſpiritus* in homine ſuam in ſe ac per ſe ſubſiſtentiam ſervabit, ex eo ſolo quòd non agnoſcat animam ſubor-
25. dinatam! Nempe illud monſtrum *ſenſitivæ animæ* tollendum eſt: quâ verò tandem ratione? ne *ſpiritus* ipſe evaneſcat, aut in originem ſuam, Deum ipſum, revertatur: nullâ ſervatâ propriâ in ſe ac per ſe ſubſiſtentiâ. Vereor profectò ne nimis curioſa judicetur à prudentioribus hæc noſtri Adverſarii ſolertia; ac indefeſſa pro Orthodoxla religionis, quâcunque etiam arte ſervanda, ſollicitudo ac cura; digna, meo quidem judicio, ut aut Pentagruelis
26. Bibliothecæ dicetur, aut cum Tartareto de modo Cacandi in unum volumen compingatur. Equidem anathemate damnandos cenſemus ac pronunciamus eos omnes, qui cum Socino Epiſt. ad Volkelium V. p. 489. *negant eſſe ex ipſa creatione in homine agnoſcendum quidquam immortalis vitæ*: non tam quòd ipſamet Philoſophia id negare vetet; (vid. diſſert. noſtr. de Immortalitate Anim. hum.) quàm quòd S.S. Theologia con-
27. trarium ſentire jubeat: quæ quidem ſola piis animis ſufficeret, ſi vel Philoſophia nihil hîc aſſequeretur. Meritò ergo *Orthodoxi contrarium unanimiter* μιᾷ ψυχῇ *affirmant*: non quòd ita ſuadeat Philoſophia, quæ nec ipſa quidem refragatur; ſed quòd Theologiæ hîc μιᾷ ψυχῇ parendum ſit, quamvis vel humana ratio, in ſe ſpectata, reclamaret. Cùm verò *orthodoxi* μιᾷ ψυχῇ *contrarium affirmant*, haudquaquam unus omnium intellectus, ſeu una eademque rationalis anima conſtituenda eſt; ſed conſentire omnes μιᾷ ψυχῇ cenſendi ſunt, quòd in ſingulis non reluctetur rationi
28. cogitatio, dum fidei ſe ratio ſubmittit. Sic ergo ſanctâ fide immortalitatem

mortalitatem rationalis animæ tuemur , quam item ex naturæ
lumine jam antè demonſtravimus,cui ſenſitiva anima ſubordi-
nata neutiquam adverſa eſt,ſed tuendæ potiùs eſt perquam opor-
tuna, quam vel negatâ ſenſitivâ animâ Hæretici eodem jure non
admitterent,quo nunc aſſertâ ſenſitivâ eam negant.Non ergo in
hoc ipſo theologicè hallucinatus eſt *Parkerus* (quamvis fortè 29.
alibi vel heterodoxus vel hæreticus habendus ſit,quod diſcerne-
re non eſſe meum ſcio, qui religionem viri neſcio, nec perluſtra-
vi ejus ſcripta,) quòd *hîc cæteris liberalior, pronunciat,non omni-
no ineptè philoſophatos Veteres , qui tria in homine conſtituebant,
mentem, animam, & corpus, quorum duo poſteriora mortalia eſſe
affirmabant* : *hoc* autem *eâ lege largiri* refert Adverſarius, *ut non
ſpiritus,ſeu ſuperior rationalis anima,in auram divinam , ut ejus
particula , redeat ; ſed hæc ſit animæ inferioris ἀλόγου cum corpore
morientis mors, ut ſicut in terram corpus , ſic in ſublunarem ani-
mam,ſeu auram mundanam illa abeat:juxta illud Prudentii,Hu-
mus excipit arida corpus : Animæ rapit aura liquorem.* Quid
ergo, quæſo, in hac ſententia, de *anima, ſpiritu* & *corpore*, per ſe 30.
abſurdi ineſt , ſi hæc non tollat aut negat rationalis animæ im-
mortalitatem? Aut, ſi hactenus rejecta eſt ab Adverſario ſenten-
tiâ ea, quòd credebatur immortalitatem animæ evertere, hanc ſi
jam conſtet propriâ Hæreticorum confeſſione,non evertere, cur
non tutò relinquenda eſt,donec alio argumento magis ſolido re-
jiciatur? An verò,ne quam cum Hæreticis communem habeamus
in negotio quocunque ſententiam , repudianda illa erit ſine ra-
tione ? jam propè erit , credo , ut vel negandum Deum clamet
Adverſarius, ne hîc ſententiam communem (Deum eſſe) tuea-
mur cum Hæreticis quàm plurimis. Averte Deus impias id ge-
nus Cavillationes !

Contactus III.

Porrò *conjectura nobis eſt,* ſubjungit ſat infelix Conjectator, 1.
*quæſitum in illa de duabus animabus hypotheſi latibulum hæreſi
Apollinaris,qui aſſerebat Chriſto fuiſſe pro anima rationali Spiri-
tum Deitatis: Hanc quoque foviſſe Monopſychitas & Monothe-
letas , atque ſic argumentatos : Quemadmodum in nobis tria illa,*

corpus,

CONT. III. *corpus, & anima ſenſitiva, ac ſpiritus rationalis, coaleſcunt in unam naturam; ſic tria illa Spiritum Deitatis, Animam ſenſitivam, & corpus, coaluiſſe in unam naturam Chriſti.* Bone Deus! quàm craſſa ſubtilis ingenii hæc quoque conjectura eſt! quâ tamen certum antè præjudicium effecit noſter Adverſarius, ſc. *hæreſium latibula & olim & hodie quæſita eſſe in iſta de duabus ani-*
2. *mabus opinione.* Profectò Hæretico vix magis pius eſt, qui ita abſque omni ratione, contra omnem rationem, contra conſcientiam, meliores ſententias detorquet in hæreſes, & ex conjecturis perquam frivolis & abſurdiſſimis certiſſimas hypotheſes obtrudit, ut impietatis damnet innocentes conſcientias. Mirari profectò ſatis non potui ingenium, & indolem imprimis, Adverſarii mei, cùm hanc ſubtiliſsimam, quin futiliſsimam potiùs, conjecturam primùm cogitatione perluſtravi, quæ manifeſtâ
3. contradictione ſe involvit. Equidem ipſa ſenſitiva anima per ſe natura quædam eſt, quæ cum variis naturis ſibi ſubordinatis v.g. carnis, oſsis, nervi, venæ, &c. naturam unam animalem conſtituit; ac ipſa rationalis anima natura rectè dicitur latiori ſignificatu: at interim, ubi utraque hæc natura conjuncta eſt, nimirum in homine non niſi unicam naturam dicimus humanam, quæ nempe ex animali natura, per ſe ſubordinata rationali animæ, ipſaque rationali anima conflata eſt: vel, ſi lubet, (ne logomachiis veritatem involvamus,) quæ eſt ipſa rationalis anima, ſubordinatas ſibi reliquas naturas & intimè materiæ implicitas continens, ac principatu ſuo veluti abſorbens, ut ex omnibus unus
4. per ſe homo conſtituatur. Quòd ſi verò, ſecundùm conjecturam Adverſarii, Hæreticorum ea fuerit opinio, *Spiritum Deitatis, animam ſenſitivam, & corpus, coaluiſſe in unam naturam Chriſti,* quâ, quæſo, ratione hæc una Chriſti natura verè quin imò ſine contradictione una dici potuit, cùm ſenſitiva anima non ſit per ſe ſubordinata Spiritui Deitatis? An non eâdem ratione, eâdem ſoliditate, unicam in Chriſto naturam quis pronunciaret, ex *corpore, rationali anima, & eſſentia divina,* ſi nempe præter corpus ſtrictè dictum, & rationalem animam, in homine nihil agnoſcendum ſit? aut quare hîc naturæ duæ diſſernuntur in uno Chriſto, humana & divina, niſi quòd rationalis anima, quam cum naturis ſibi ſubditis unitam corpori, naturam dicimus humanam, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

non ſit ſubordinata eſſentiæ divinæ, ſed eidem junctâ ſupernaturali modo in unam eandemque ſubſiſtentiam. Nimirum, in eo myſterium copulæ divinitatis cum humanitate non ineſt, quòd 5.
duæ diverſæ naturæ ſint, non ſubordinatæ, natura divina & humana; ſed quòd duæ non ſubordinatæ, quin potiùs eſſentiæ ratione diverſiſsimæ Naturæ in unam eandemq; perſonam ſint conjunctæ. Qui ergo in uno Chriſto præter corpus, atque Spiritum Deitatis ſeu naturam divinam, ſenſitivam inſuper animam conſtitueret, is utique haudquaquam unam uni Chriſto tribueret naturam, ſed duas naturas reipsâ diſtinctas, nec ullo modo ſubordinatas. Abſurdum ergo omnino, quod ſolâ conjecturâ, abſ- 6.
que ratione, contra rationem, infert Adverſarius, Monophyſitarum aliorumque Hæreticorum hæreſin ſtabiliri eo fundamento, quod excogitavit Adverſarius: nec enim in abſurditate ea nimis palpabili, quæ ſubtilitate nimis craſsâ contradictionem conjecturæ implicat, latibulum ea invenire potuit. Sed quid ni po- 7.
tiori ratione conjectura nobis fiat, quæſitum in illa de unica rationali anima, negatâ ſenſitivâ, hypotheſi, latibulum hæreſi *Apollinaris*, qui aſſerebat *Chriſto fuiſſe pro anima rationali Spiritum Deitatis:* Hanc quoque foviſſe *Monophyſitas*, & *Monotheletas*, atque ſic eſſe argumentatos: Quemadmodum in nobis duo illa corpus & anima rationalis coaleſcunt in unam naturam; ſic duo illa, corpus & Spiritum Deitatis coaluiſſe in unam naturam Chriſti. An non hæc conjectura æquè atque illa prior, vel fortè paulò magis probabilis ac certa videbitur. Non hîc manifeſta ta- 8.
lis contradictio ineſt, qualis in priori conjectura Adverſarii: Quemadmodum enim ex anima rationali, in ſe ac per ſe ſubſiſtentiam habente, ſeparabili nimirum, & corpore, unitis, unica natura hominis exſurgit; ita fortaſsis Monophyſitæ & Monotheletæ exiſtimârunt, ex Deitatis ſpiritu, in ſe & per ſe ſubſiſtentiam habente, ac ipſo Corpore, unicam in Chriſto naturam eſſe conſtitutam. Sed *his μιᾷ ψυχῇ contradicunt Orthodoxi:* non aliâ ratio- 9.
ne, quàm quòd iiſdem contradicat S. Scriptura, unica illa Religionis ac fidei noſtræ norma, quæ ab humana ratione nullam penitus inflectionem patitur. Sed num pluribus etiam hæreſibus latibulum præſtitiſſe videtur illud monſtrum Naturæ *ſenſitiva anima* in homine?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Contactus IV.

1. A*Buſi quoque ſunt eâdem hypotheſi Manichæi*,inquit porrò, *ad ſuam hæreſin fulciendam: quâ dictitabant à bono Deo eſſe rationalem animam bonam, à Diabolo corpus & animam ſenſitivam, malum fomitem mali & peccati.* Unicum omnium entium autorem ac conditorem Deum Opt.Max.qui eſt ens entium, qui ſimplicisſima eſſentia eſt, piè ac religiosè agnoſcimus, non ex lumine Scripturæ modò, ſed etiam ex lumine Naturæ: hunc veneramur pio animo, hunc autorem omnis boni credimus, ſcimus, pronunciamus; ab hoc impoſsibile eſſe malum fieri, quâ malum eſt, ex ipſo etiam naturæ lumine demonſtramus: adeóque omnem *malum fomitem mali & peccati à Dia-
2. bolo eſſe*, cum orthodoxis omnibus aſſerimus. Nec verò, ſi hîc ſubſtitiſſent *Manichæi*, ab ullo potuiſſent criminis damnari aut impietatis: At meritò anathema illis dicimus, quòd *corpus & animam ſenſitivam à Diabolo eſſe* ſtatuerint: Haud tamen ulla neceſſitas exinde reſultat, quâ homini ſenſitiva anima ſit deneganda. Quæ enim inde ratio eruitur, quâ illa evertatur? *Abuſi ſunt eâ hypotheſi Manichæi*, inquit Adverſarius: ergo ipſa hypotheſis non admittenda eſt, rejicienda eſt, anathemate proſcribenda eſt. Egregia ſanè conſequentia: quâ ipſum quoque corpus homini denegandum erit; nam & hac hypotheſi ſimiliter abuſi ſunt. Ergo ſola rationalis anima pro homine habenda eſt, cujus ne quidem ipſum corpus inſtrumentum ſit, ſed humani cerebri figmentum,
3. ad hæreſin ſtabiliendam. Ecce, quónam in abſurda devolvatur ſuo impetu inanis cavillatio. Quid ergo tandem? Tollatur, proſcribatur, anathemate damnetur abuſus; at relinquatur uſus. Optimarum etiam rerum abuſus eſt, ſanitatis, virium corporis, divitiarum, felicis ingenii, ipſius etiam Theologiæ: Ergo hæc damnanda omnia, ergo mox repudianda? Certè haud exiguus eruditionis abuſus ineſt noſtro Adverſario, quo famam proximi meliorem, integramque conſcientiam conſpurcare ſtudet. Hunc abuſum deteſtamur meritò, ac anathemate penè dignum pronunciamus; haud tamen ipſam eruditionem ſpernimus aut damnamus: per ſe illa mala non eſt; ſed utiliſſima omnino, ac ſummâ
4. laude digniſſima, ſi à moderatis ingeniis poſsideatur. Quàm

multi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

multi ſunt, qui hypotheſi certiſsimâ, & in ſummum humani generis bonum tendente, æternâ, inquam, Dei prædeſtinatione, peſsimum in modum abutuntur? An verò ob impietatem horum ipſam etiam hypotheſin negabimus, aut in dubium vocabimus? Abuſi quoque olim ſunt Hæretici nonnulli ipſis fidei ac religionis noſtræ dogmatis primariis, quæ tamen nemo pius ideo rejicienda unquam judicaverit. Impius ille *Arrius* Chriſtum Deum, 5.
ipſumque Dei filium, unâ nobiſcum fatebatur: hypotheſin nimirum admittebat, cui reluctari evidentia oracula non permittebant. At eâ hypotheſi interim peſsimè abuſus eſt, dum Dei filium eſſe conditum, ac initium habuiſſe, ut reliquas creaturas, inculcare non erubuit. Nec defuêre ſimiles deinde nebulones, ut Calvinus vocat, qui quidem S. S. Trinitatem faſsi ſunt, in qua Pater, Filius, & Spiritus S. At hypotheſi deinde rationem affinxerunt impiam, intolerandam, nimirum, Patrem quidem, qui fons eſt ac principium Deitatis, verè ac propriè unicum eſſe Deum; hunc formando Filium & Spiritum, ſuam in eos Deitatem transfudiſſe. Quid ergo in ſimilibus agendum ſtatuemus? Si noſter quidem 6.
conſulatur Adverſarius, hypotheſin tollendam pronunciabit, ne quis deinceps *eâ abutatur, ad ſuam hæreſin fulciendam*: Negabit ergo fortè Dei Filium, negabit Spiritum S. negabit ipſum quoque Deum. Probum piumque, ſi Deo placet, conſilium: quin intoleranda potiùs impietas: *cui nemo Orthodoxus non dixerit Anathema.* Sine piaculo ſanè, ac ſuadente ſanâ ratione, nec re- 7.
pugnante, ſed invitante potiùs, divinâ paginâ, *ſenſitivam animam ſubordinatam rationali* aſſerimus: At huic ſententiæ ſi quæ hæreticæ nectantur opiniones, ab hominibus profanis & impiis, impietati equidem cum omnibus Orthodoxis anathema dicimus. At interim cum iis omnibus, quibus cordi eſt ſobrietas, & qui fidei menſurâ contenti ſunt, id quod utile eſt cognitu in Philoſophicis, quòd non repugnat orthodoxæ religioni, hypotheſes, inquam, per ſe innoxias, haud ita temerè damnamus, nec perverſâ ratione eaſdem in ſuſpiciones impietatis ineptiis noſtris adducimus: Quas ſi vel omnes Orthodoxi rationibus haud ſatis ſolidis 8.
μιᾷ ψυχῇ damnarent, ac anathemate proſcriberent, haud tamen eâ ratione quicquam extorquerent Hæreticis, nec animos eorum ad meliorem frugem admoverent. Aliâ nempe methodo hîc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

opus eſt, ac ipſo Dei verbo convincendi ſunt, qui à vera religione aberrârunt. Hoc bifido gladio in intimam conſcientiam penetramus; hoc ipſo figmenta hominum reſcindimus, ac verum à
9. falſo diſcernimus. Hàc methodo impium Manichæorum errorem tollimus: ac naturali quidem lumini ſupernaturale lumen admoventes, à Deo Opt. Max. *corpus & animam ſenſitivam* tum quoad fieri, tum quoad eſſe dependere agnoſcimus ac profitemur: nec ignoramus interim à vitiato atq; inquinato ſemine hominem generari, quo fit ut in peccatis omnes naſcamur ac concipiamur. Hoc ſanè vitii, quâ tale eſt, à Deo non dependet, ut autore, quod nec cum rationali anima à Deo condita infunditur; ſed à Diabolo originem traxit, & ab humano deſiderio, malo fomite
10. mali & peccati. Sed an quâ ratione tandem hac potiùs hypotheſi de ſenſitiva anima abuſi Manichæi ſunt, quàm alterâ abuti potuiſſent, quâ ex rationali anima & corpore conflatus homo ſtatuatur? Nonne æquè impium fuiſſet, ſi forte credidiſſent, *à bono Deo eſſe rationalem animã bonam; à Diabolo corpus malum fomitem mali & peccati?* (nam & materiæ primæ, quam ingenitam exiſtimârunt, ac Deo coæternam crediderunt, aſſignare luctam auſi ſunt: ut videre eſt apud Nicephorum Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 31.) An verò ſimiliter fuiſſet referenda in hypotheſin hæc quoque *impietas, cui nemo Orthodoxus non dixerit anathema?* Futilis ſanè ac inepta refutatio Hæreticorum, à tali viro inſtituta, à quo meritò ſolidiora noſtra Juventus non modò exſpectabat, ſed jure etiam
11. meritóque poſcebat. Ceſſent ergo frivolæ id genus cavillationes, quæ vel hypotheſin quamcunq; ſine ratione, ac præter rationem, ſub ſpecie hęreſeos traduceret. Nempe, paucis dicam id quod rem expediet: Si fortè hypotheſi per ſe veræ, ac omni per ſe impietate carenti, falſi quippiam, quin imò impii, affinxerunt Manichæi, id quod falſum eſt rejiciatur, quod impium damnetur; quod autem verum eſt, aut ſaltem vero ſimillimum, quod extra Scripturam eſt, at interim Scripturæ non repugnat, id ſuæ veritati qualicumque permittatur, ne ſacroſanctæ veritati divinæ paginæ
12. permiſceatur quicquam, de quo queat dubitari. Quæ manifeſtis Scripturæ teſtimoniis refelli nequeunt, ea expendenda relinquantur Philoſophis, aut peculiaris diſciplinæ Magiſtris. Sic ſarta tectaque ſervabitur autoritas Theologiæ; nec inutilibus contentio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tentionibus exagitabitur Oceanus Philoſophiæ. Sed necdum motus animi compeſcit Adverſarius.

Contactus V.

VIderint interim*, inquit, *an non Manichæorum fermentum* 1.
*ſapiat opinio de pluribus animabus, qui illam urgent cum Ti-
leno Syntagm. part. 1. Diſp. 30. th. 30. hac perſuaſione occupati,
Commodè explicari luctam* τοῦ ἡγεμονικοῦ *cum* τῷ θυμικῷ καὶ τῷ ἐπιθυ-
μητικῷ, *& incommoda graviſſima vitari, quibus ſcilicet urgentur,
qui ab eadem & quidem ſimplici unius animæ eſſentia facultates
tam diſſidentes, & velut adverſis frontibus concurrentes, derivant.*
Age, videamus ergo quid obtrudat Adverſarius, & dum ipſe ur-
get, expendamus ejus ratiocinationes. Hem verò profunda ſub- 2.
tilitas, & arguta perſpicacia! Mirum profectò, ni lyncei illi oculi
ſuâ nimis intentâ acie tandem hebeteſcant. Me equidem quod
attinet, hebetioris intellectus me agnoſco, quàm ut in hiſce Ti-
leni verbis ullum ullius hæreſeos fermentum queam invenire, vel
cogitatione aſſequi. Haud tamen interim pro Tileno ſtare velim,
vel ex autoritate ejus ſuſpicione ullâ ſiniſtrâ contaminare meam
Religionem: quamvis & Tilenum & Crocium, quaſi meæ ſen-
tentiæ, de duabus in homine animabus, patronos, mihi ſat fuca-
tum pectus Adverſarii, cùm ſimularet amicitiam, aliquando
ſuggeſſerit, ne fortè, (quod addebat,) autoritate Theologorum
deſtitutus, eſſem offendiculo alicubi. Egregia ſanè pietas, & in 3.
cælum laudibus efferenda animi integritas, quâ *mel in ore, fel in
corde.* Judæ hoc oſculum erat, quo noſter hic amplectebatur a-
micum, fratrem, cujus tantorum virorum autoritate tueretur
famam integritatis; at quem interim tali ſpecie quaſi Hæretico-
rum fortè aliquo fermento imbutum orbi aliquando propinaret.
Sed mihi quidem Theologorum autoritate in re merè philoſo-
phica non videbatur opus: præſertim verò nec eorum patroci-
nium amplecti lubuit, quorum ignorabam ipſemet Religio-
nem: nempe & tunc temporis, ex variis indiciis, de amici ſua-
ſoris candore dubitabam. A ſententia ergo hac ipſa Tileni, ut 4.
candidè profitear, haudquaquam alienus ſum; at interim Tile-
num non agnoſco, nec quòd ille ita ſentiat, ſic ſentio: omne ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

rò Manichæorum fermentum damno ac rejicio, quod fortè rectiùs è ſuo animo eructat Adverſarius, quàm ex opinione mea Philoſophica id eruit. Quid verò tandem rationum nobis mo-
5. vet? *Non eſt naturæ humanæ*, inquit, *ex ſuis principiis conſtitutioni Harmonicæ, ſed corruptioni imputandũ, quod diſſideant, & adverſis frontibus concurrant Animæ facultates ſeu affectus.* Hîc nihil equidem deſidero præter ἀκρίβειαν locutionis. Indoctum ſanè, ac propemodùm puerile eſt, certè minùs Philoſophicum, animæ facultates, ſeu τὸ ἡγεμονικὸν atque τὸ θυμικὸν ϗ τὸ ἐπιθυμητικὸν, non niſi *affectuum* nomine indigitare; vel affectus ipſos appellare facultates. *Non eſt* pro fectò, ut loquamur accuratiùs, *naturæ humanæ ex ſuis principiis* (mente ſc. ac ſenſitiva anima, quæ materiæ immerſa eſt,) *conſtitutioni harmonicæ, ſed corruptioni imputandum, ſi diſſideant, & adverſis frontibus concurrant animæ fa-*
6. *cultates, ſeu rationalis appetitus & irrationalis.* At interim, quòd diſſidere queant facultates, id naturæ humanæ ex ſuis principiis conſtitutioni harmonicæ imputandum eſt: nec enim una eademque ſimpliciſſima ſubſtantia ita è diametro pugnantes facultates poteſt obtinere, quòd jam antè in Diſſert. de Anim. hum. Subſtant. demonſtravimus, ac in Diſquiſit. famil. illuſtravimus. Nempe, ex prima hominis creatione ita naturæ humanæ conſtitutio harmonica ſe habet, ut imperio rationalis animæ ſenſitiva pareret, nec illi reluctaretur: at per lapſum majeſtate deperditâ, quâ ſuperior ac imperans illa pars hominis inſtructa erat à conditore Deo, in Adamo primùm, ac in poſtetis deinceps, inferior
7. illa ac ſubdita rebellis facta eſt. Hinc, velut bruta quoque animantia dominium humanum quodammodò reſpuunt, ac principem ſibi præſtitutum penè non agnoſcunt; ita in ipſo etiam homine id quod ſubjectum erat rationi, principatum hujus quaſi reſpuit, & per luctam ſuperius evadens, dominium quandoque in potiorem partem exercet: ut adeò diverſæ partes, quæ ad harmonicam hominis conſtitutionem antè conſpirabant, in hoc miſeriæ ſtatu diſſideant ſæpenumerò, & adverſis frontibus concurrant. (vid. quæ de hac re expoſui Diſſ. de An. Hum. Orig. 3.
8. Coroll. 2. § 14. & ſeq. uſque ad 20.) Hoc diſſidium verò ſi in una eademque rationalis animæ eſſentia ſimpliciſſima habere locum poſſe credat Adverſarius, rationes noſtras antè datas Diſſert.
de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

de Hum. Anim. Subſt. diſſolvat neceſſe eſt, ac ſolidioribus ſuam opinionem rationibus confirmet. Certè uno eodemque tempore *trahit invitam nova vis aliudque cupido; Mens aliud ſuadet*, non modò theoretico, ſed verè etiam practico judicio. Hoc cùm in Ethnicis quoque eveniat, & in irregenitis conſpiciatur, dum *meliora vident, probantque*, hoc eſt, practico judicio intellectus verè amplectanda agnoſcunt, at interim *deteriora ſequuntur*: omnino certè verum eſt, quod addit Adverſarius: *Non eſt miſcenda cum natura illa* ἀκαταςασία *Lucta carnis & ſpiritus*, ut inquit Adverſarius, *quæ in regenitis notat Spiritus ſanctificantis actionem, cum reactione ſeu recalcitratione naturæ peccatricis, tam in intelligentia & voluntate, quàm in affectibus inferioribus: ut nec caro affectibus ſine ſpiritu inſit, nec ſpiritus intellectui & voluntati ſine carne: donec certamen illud in nobis componat hujus vitæ terminus.*
Ignoratio nempe hæc Elenchi eſt: nec enim quicquam ea ad propoſitam quæſtionem inferunt, nec quicquã habent, quod non ipſi quoq; unâ ſentiamus: velut & quod ſequitur longiſſimè à ſcopo aberrat, nec minùs interim ipſum quoq; ἀπαιδεύτως eſt propoſitum. 9.

Contactus VI.

NEmpe, *Conſenſus porrò Orthodoxus*, inquit, *contra quoſcunq; iſte eſt: Aſſumpſiſſe Chriſtum naturam humanam* ὁλόκληρον, *intercedente inter animam Chriſti rationalem & reliquam naturam humanam Unione Naturali; inter naturam autem humanam ſolidam & Divinam intercedere Unionem Hypoſtaticam ſeu Perſonalem, quâ Humana Divinæ facta eſt* ἐνυπόςατ⊙. *Et ſic naturaliter naturali unione Chriſtus eſt factus Homo, per ſe, non per accidens, unus: Supernaturaliter autem, non naturali ſed perſonali, duarum non plurium naturarum, unione, factus non per accidens, ſed per ſe, unum quid, quod vocamus Perſonam* θεάνθρωπον. 1.
Conſenſui huic orthodoxo noſtrum quoque ſuffragium ſubjungimus: addimuſque, *ſi quis aliter ſenſerit anathema eſto*. At interim ignorantiam Adverſarii notare hoc loco neceſſe habemus, quâ abſolutè *unionem naturalem*, ab *unione hypoſtatica* ſeu *perſonali* diſtinguit, quaſi, cùm quis *unionem perſonalem* dicit, *naturalem unionem* neget neceſſariò; aut cùm quis in homine inter rationalem animam & corpus ſenſitivum unionem naturalem ſta- 2.

tuit,

3. tuit, hominem perſonam eſſe debeat negare. Omnis certè *unio*
perſonalis eſt *unio naturalis*, ſi ſolam unicamque unionem perſo-
nalem ex natura divina & humana, in Salvatore noſtro, excipias:
ac tantundem diſcriminis inter unionem naturalem ac perſona-
lem intercedit, quantum inter ſuppoſitum & ſuppoſitum ratio-
nale. Hanc verò Adverſarii ignorantiam in Apol. ad Art. 1. plu-
ribus notavimus: quæ denuò luculentiſſimè ac ridiculè admo-
4. dùm ſe prodit theſi ſequenti, quàm mox videbimus. Hoc tamen
interim prætermittendum non eſt, vel non ſatis conſentire or-
thodoxo conſenſui, vel non ſatis accuratè dici, quod habet Ad-
verſarius, quando inter *animam Chriſti rationalem* & *reliquam*
naturam humanam diſtinguit: Quod enim in Chriſto homine
præter *rationalem animam* reliquum eſt, non eſt *natura humana*
ſed corpus humanum: niſi quis *non duarum, ſed pluriũ naturarum*
5. *unione* factum credat id quod vocamus Perſonã θεάνθρωπον. Ac vi-
derint alii an non novus ac inuſitatus, tũ in Theologia, tum in Phi-
loſophia, loquendi modus ſit, quo inter *naturã humanam*, & *natu-
ram humanã ſolidam* diſtinguitur. Sed ad ſequentia progrediamur.

Contactus VII.

1. P*Ræſcribit hic Conſenſus Orthodoxus contra præſumptam Philo-
ſophiam iſtam, quæ fortè in individuis unam per ſe perſonam hu-
manam ſtatuit, ubi humanum corpus animatum ſeu animal, ani-
ma rationali fit* ἐνυπόστατον; *non tamen in ſpecie patitur unionem na-
turalem, quâ ex anima rationali & corpore ſit una per ſe natura,
ſed tantùm homo ex animali humano & ex anima rationali aggre-*
2. *gatus unione perſonali.* Imò ſanè præſcribit hic conſenſus ortho-
doxus contra nimias quorundam argutias, qui Theologiam u-
niverſam ad Philoſophiæ normam accommodare, & religionem
ratione metiri inſtituunt, perverſo ac inſano errore. Ut Philoſo-
phia Theologiæ non refragatur; ita nonnulla Theologia habet,
quæ Philoſophia univerſa non aſſequitur: Ex talibus verò ipſam
Philoſophiam evertere conari, nimis abſurdum eſt, & rationis
quandam imbecillitatem arguit, quæ, ubi ad ſplendidiora cæcu-
3. tit, in ſeſe exſtinguatur ita, ut & alibi nihil percipiat. Nempe ex
Chriſto homine, & eodem Deo, unione perſonali, non natura-
li, unus per ſe Chriſtus eſt θεάνθρωπος, in quo non ſit una, ſed
gemina

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

gemina natura, divina & humana: Hoc fide tenemus, ratione CONT. VII
non aſſequimur: Rationi verò ſuæ illud velle accommodare, &
per rationem humanam reliquis ſimilitudinem applicare indivi-
duis, eſt abnegare ipſam fidem. Nimis certè ineptum ac penè in-
ſanum eſt, ex eo quod in Chriſto ſanctâ fide agnoſcimus velle ar-
gumentari: Si in Chriſto ita ſe res habet, ut non ſit naturalis unio
duarum naturarum, nec fiat una natura, omnino & in aliis humani
generis individuis eodem modo ſe rem habere, ut non permitta-
tur unio naturalis, quâ ex anima rationali & corpore humano fiat
una per ſe uatura. Quæ enim, quæſo, hujus conſequentiæ ratio eſt? 4.
Nempe, ſicuti in Chriſto ex natura divina & humana ſupernatu-
raliter fit per ſe una perſona; ita *præſumpta illa Philoſophia*, quam
vocat Adverſarius, *in cæteris humani generis individuis unam per
ſe humanam perſonam ſtatuit: ubi humanum corpus* (non diximus
reliquam naturam humanam ut Adverſarius præcedenti theſi,
quam à *rationali anima* veluti natura primaria diſtinguamus,
ſed *humanum corpus* diximus, animatum ſenſitivâ animâ, ſubor-
dinatâ rationali,) *ſeu animal humanam*, per ipſam mentem in ſpe-
ciem humanam determinabile, *animæ rationali fit* ἐνυπόστατον: ut
adeò ſicuti in Chriſto unio illa perſonalis non eſt naturalis; ita
quoque in reliquis individuis perſonalis unio non ſit ſtatuenda
naturalis. Apage, perplexitatis Magiſter, cum hac tua conſequen- 5.
tia. Nimis profectò vile tibi eſt myſterium incarnationis Dei,
qui hîc nihil agnoſcere cupis, niſi quod reliquis item individuis
per ſimilitudinem queat adaptari. Pudeat talibus paralogiſmis in-
tricare diſcipulorum animos, quos ultra naturam evehere debe-
bas, & ad ſupernaturalia adducere; at interim naturam ipſam,
ſeu rerum ordinem à Deo conſtitutum, ineptâ ratione non tur-
bare aut deſtruere. Tibi Theologica tractanda præſumeres, quæ 6.
ubi naturam rerum egrediuntur, ſupernaturali ratione, ex fon-
tibus divini verbi hauſtâ, munires; at interim Philoſophis in hu-
milioribus, in naturalibus, ſeu iis quæ ordinarium à Deo mo-
dum nacta ſunt, liberam diſquiſitionem mirabilium Dei ope- 7.
rum non invideres. Quid tibi, quæſo, cui Theologica eſt Sparta
tradita, Philoſophia curę eſt, quam non intelligis? Quid Diſputa-
tiones *Philoſophico-Theologicas* jactare præſumis, qui ſanè puer
in Philoſophia es? Certè quantum rebus Philoſophicis te ipſum-

CONT. VII, met immiſſes; tantum tuæ famæ detrahis, ac interim quæ attinent myſteria Theologiæ, peſſimè cum rebus naturalibus confungis. Hominem certè ex animali hnmano, & ex anima rationali, aggregatum unione perſonali profitemur: Tune verò hîc nobis contradicis? quid ergo hominem eſſe aïs, dum perſonam negas? Nimis ſanè brutum ingenium humanum eſt, quod hominem perſonam eſſe non intelligit. At dum *in individuis unam per ſe perſonam* ſtatuimus, non hîc ſimiliter ut in Chriſto ſupernaturale quid, ſeu extraordinarium, fingimus; ſed ipſam *unio-*

8. *nem perſonalem* eſſe *unionem naturalem* dicimus. Puerile verò illud tuum eſt, quod inde infers, *Philoſophiam* noſtram *non pati unionem naturalem, quâ ex anima rationali & corpore fiat una per ſe natura.* Philoſophiam diſce priùs, hominum contentioſiſſime, antequam te rebus Philoſophicis immiſceas vel ingeras, & extra Profeſſionem tuam contentiones Philoſophis intendas; antequam ex Philoſophicis Hæreticorum peſſima ſcandala fingas. Tuam ipſius famam peſſimè proſtituis, dum futilibus tuis

9. cavillationibus aliorum famæ diſpendium machinaris. Quæ verò illa tua conſequentia eſt, omni abſurditate magis abſurda, quâ *ex hypotheſi* noſtra, (quâ homo ex animali humano & ex anima rationali aggregatus ſtatuitur in unum quid per ſe, unione perſonali,) inferas *perſonam Chriſti fieri, ſecundùm Neſtorii hæreſin, Perſonam non per ſe unam, ſed ex perſona humana & divina*

10. *aggregatam?* Longè alia ratio eſt in Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, atque in aliis individuis, quod jam antè monuimus. Impia illa comparatio eſt, quæ inter Salvatorem noſtrum ac reliqua individua humana inſtituitur, quâ ſumma ſalutis noſtræ myſteria ita annihilantur, ac ſi nihil in Chriſto ſupernaturale ſit cogitandum, nulla unio quæ non ſimiliter per analogiam reliquis conve-

11. niat mortalibus. Ordinariè ſeu naturaliter in ſingulis individuis humani generis ita ſe res habet, ut ipſa naturalis unio animæ & corporis ſit unio hypoſtatica, & quidem perſonalis; (ſed ignoras fortè quomodo hæc diſtinguantur:) At in perſona Chriſti, humana natura, quamvis eſſentiam habeat & exiſtentiam, abſolutam tamen ſubſiſtentiam non habet ſine divina: adeóque non ſunt duæ in uno Chriſto perſonæ; ſed in una Chriſti perſona duæ

12. ſunt naturæ. Hæc verò Adverſarii noſtri ſunt latibula hæreſium, nullâ

nullâ ratione, nullâ inventione logicâ excogitata, quę an non multò potiùs in animo Adverſarii impietates arguant, quàm in noſtra ſententia vel ullam ſpeciem hæreſeos, vel heterodoxiæ in Theologia, Prudentioribus perpendendum relinquo. Deo verò interim, unico ſcrutatori cordium & renum, unico autori omnis boni, gratias ago, qui eam nobis Theologiæ ſanioris cognitionem eſt largitus, quâ Adverſarii inſultus, nimis violentos, ſat validè queamus amovere: quam niſi conceſsiſſet, jam dudum iniquus ac malè feriatus Altercator integerrimam famam noſtram, ac intemeratam Religionem, hæreſium ſuſpicionibus graviſsimis ex propria libidine contaminâſſet. Sed Deo Judici ac vindici hæc permittemus, dum interim, quod evitare non poſſumus, famam noſtram laceſsitam ſæpius pro virili tandem liberamus. Nondum verò cavillationum finis eſt.

Contactus VIII.

COnſentiunt porrò Theologi Orthodoxi, inquit, *hominem* ὁλόκλη- 1.
ρον *corpore & animâ in mortuorum reſurrectione ſiſtendum Dei*
judicio, ſicut in hoc ſæculo cum Deo in fœdus coiit; neq; ſubducendam
damnationi animam impiorum quæ peccavit. Adeò ut admiſſâ
juxta animam rationalē animâ alterâ, quæ cum corpore moriatur,
credenda ſit, juxta carnis reſurrectionē, altera etiam animæ mortuæ
reproductio, non ex nihilo, ſed ex ſua in quam migravit mundanæ
auræ materia. Conſenſui Orthodoxorum Theologorum nos 2.
ipſi quoque calculum ſubjungimus: at ita, ut de mortuorum re-
ſurrectione diſquiſitionem haud ad Philoſophiam eſſe traducen-
dam ſtatuamus, caveamus. Mortuos reſuſcitatum iri eoſdem, qui
obière, eâdem carne, eadem cute, inveſtitos, quâ defuncti ſunt,
per ſolam fidem credimus; at quo pacto reſurrecturi ſint, non in-
veſtigamus, nec philoſophicè idipſum comprehendimus. Credi- 3.
mus ea, ſanctâque fide pro certis habemus, quæ rationi ſunt im-
poſſibilia, inter quæ mortuorum reſurrectio connumeranda eſt;
quæ verò poſsibilia tenentur, quæ noſtris rationibus ſunt explo-
rata, pro certis habere, non fidei eſt, ſed Philoſophiæ. Ubi ergo
ratio mihi deficit, at urget ſacra pagina, ibidem optimo licet pa-
radoxo Tertulliani conſilio me iterum expedio facillimè: *Certum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

eſt, quia impoſſibile eſt. Quòd ſi ergo animæ ſenſitivæ reproductio credenda ſit in mortuorum reſurrectione, nulla mihi difficultas hîc oboritur, dum vel minimum divinæ omnipotentiæ digitum conſidero. Qui enim ex lapidibus Abrahamo ſemen excitare valet, qui ex nihilo omnia vi verbi ſui condidit, qui idem numero quod periit reſuſcitabit, quid ni idem ex mundana aura, ut vocat
4. Adverſarius, ſenſitivam poſſet revocare animam? At interim, quæ ratio noſtri futura ſit poſt reſurrectionē, non eſt ita planum: hoc ſaltem certum eſt, glorificata fore noſtra corpora, & quod corruptibile occidit, incorruptibile reſurrecturum. Nullâ opus erit nutritione, accretione, ubi nulla erit corporis noſtri abſumptio: ac longè alia erit ratio ſenſuum ac motus, atque ea quæ nunc
5. conceſſa nobis eſt. Tunc oculi noſtri Sole erunt perſpicaciores, & ad extremum quodvis ſine teleſcopiis facilè pertingent. Nec enim animalis erit ea videndi facultas, quâ glorificati oculi noſtri viſuri ſunt; ſed ſpiritualis: quâ non anguſtiores tunc fore viſus limites credibile eſt, quàm quibus nunc exſpatiatur intellectus. Deerit tunc medium naturale in cœlo beatorum, quod ſpecies viſibiles ab objecto ad ſenſum tranſmittat, nec tale lumen aderit, quale nunc medium ritè contemperat, & nihilominùs perfecta
6. erit viſio. In aliis quoque ſenſibus ſimilis erit ratio: ut illic obmuteſcere Philoſophorum placita moderna neceſſe ſit, & Panſophiam magis exquiſitam adhiberi. Supra humanam ſortem ſapere videtur, qui locum illum 1. ad Cor. 15. ubi agit Apoſtolus de *corpore animali* & *ſpirituali*, ſatis ſolidè ſe percepiſſe credit. Quantum de objectis futuræ noſtræ felicitatis, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis venerunt*, eloquentiſſimus ille Apoſtolorum, cui crepuſcula cœli videre datum eſt, manifeſtum reddidit; tantum de ſubjecto ipſo, *ſpirituali* illo *cor-*
7. *pore*, aut vix aliquanto plura, ſermone pronunciavit. Modeſtiæ eſt ſuam hîc inſcitiam agnoſcere; ac pietatis eſt hîc profiteri tamen fidem. Præclarum modeſtiæ ac pietatis indicium, ac veræ fidei chriſtianæ monumentum eſt, quod in agone mortis conſtitutus curioſis ſciolisque mortalium animis conſtituit præclarus illæ Theologiæ Interpres, & orthodoxæ Religionis columen ac antiſtites, LUDOVICUS DE DIEU, p.m. Amicus noſter intimè deſideratus, noſtri in vita ſua amantiſſimus, qui cùm ſibi moribundo

bundo locum Apoſtoli prædictum à filio prælegendum curâſſet, CONT. VIII.
eum ſibi nondum intellectum querebatur; at jam propè eſſe, quo ejus ſenſus ab ipſo Deo demonſtraretur : ut in Oratione funebri Reverendi ac celeberrimi illius Viri refert Nobiliſſ. ac Rev. D. Polyander. Erubeſcant verò hîc nimis arrogantia illa mortalium 8.
pectora, quæ rationis ſuæ decempedâ quidvis in Theologia metiri inſtituunt, & ad ſui ingenii trutinam quælibet expendere conantur. Imprimis autem erubeſcat iniquus ille mens Adverſarius : in quem unum fortè quadrat exactiſsimè illud Meiſneri in Proæm. Phil. Sobr. pag. 5. & 17. *Reformatos* (non veros inquam ego, ſed putatitios quoſdam, ac quandoque verè Hypocritas, qui interim meliori illo titulo gaudere cupiunt,) *tribuere Philoſophiæ Magiſterium in Theologiam, eoſdemque principiis rationis fidem expugnare.* Equidem, nil dico pro Meiſnero; ſed unâ cum Ad- 9.
verſario meo ex Coroll. 2. diſp. 2. Loci de Creatione, *inanem* hoc ipſo Meiſnerum aſſero, veréque *calumniari*, ac *Reformatis* veris *inſignem facere injuriam* pronuncio : At interim hoc ipſo argumento de hoc noſtro Theologo, an verè *Reformatorum* numero accenſendus ſit, dubito, quem hac ſaltem parte impræſentiarum erroneum ac inanem *Deformatorem* pronunciare non erubeſco, dum inani ratione difficultatem prætendit divinæ operationi, quam nulla ratio humana comprehendit. Sed quid tan- 10.
dē difficultatis ſit ex illa altera animæ mortuæ, ut ait Adverſarius, reproductione, ſi qua opus ſit, non ex nihilo, ſed ex ſua in quam migravit mundanæ auræ materia ? *Hîc oritur nodus vindice dignus*, inquit, *non minùs quàm eſt ille circa carnis reſurrectionem, de* ἀνθρωποφαγίᾳ & ἀλληλοφαγίᾳ, *ſeu hominum ab aliis animalibus & ab hominibus devoratione, quæ videtur obicem ponere ejuſdem carnis reproductioni: videlicet, quomodò non Animæ iſtius mortuæ reproductioni obicem ponat mortalium Animarū* μετεμψύχωσις, *tranſeunte in Animæ mundanæ matrice in materiā Animæ Animâ.* Equidem ut 11.
fidei objectū, quod non aſſequamur ratione, in mortuorum reſurrectione inveniamus, non opus eſt ad ἀνθρωποφαγίαν & ἀλληλοφαγίαν confugere. Quis enim ratione comprehendet, reſuſcitatum iri hoc noſtrum corpus idem numero, quod in terram antè tranſmutabitur, ex quo denuò varię plantę ſuccreſcent, quę viciſſim in brutorum hominumq; cedent nutrimentum? quis cogitatione modum

CONT. VIII. concipiet, quo interim ſanctè credimus cineres noſtros diſperſos paſſim, ac diſſipatos, recollectum iri? quo certiſſimâ ſanctiſſimâque nobis fide indubitatum fecimus, poſt tot per varia corpora peregrinationes, poſt tot tantaſque per elementa, per mineralia, per plantas, per animantia, ut nunc taceam humana corpora, tranſmigrationes, ad proprias iterum formas divinæ vocis
12. imperio reducendos. Quod impoſſibile ratio judicat, hoc certiſſimum ſola fides ſuadet, ſola fides id indubitatum reddit. Magna verò impietas hæc eſt, fidem dubiam habere, ubi non ad amuſſim cuncta quadrant rationi. Quando ad omnipotentiam Dei recurrimus, protinus velut attonita conquieſcit omnis humana ratio. Ipſe Deus, Deus, inquam, qui ex nihilo omnia condidit, qui quod periit idem numero reproducit, omnipotente voce ſuâ elementares haſce reliquias, per innumera formarum genera diſperſas, ut cui tandem corpori debeantur oblitæ videri poſſint, ad ſuum quaſque individuum, ad ſuam quaſque figuram
13. noviſſimo die evocabit. Qui nodum illum circa carnis reſurrectionem vindice dignum cenſet, ab humano cerebro pendente, is ſanè fidem abnegavit, nec ullo unquam vindice ſe expediet. Nodus omnis, Gordio difficilior, in ſacrario divini verbi ſuſpenſus, qui judicio humano ſolvi nequit, fidei gladio ſecandus eſt, ſine quo lora propriis implexibus ſeſe obtegentia nemo unquam expediet, nec deſideratis vaſti illius regni latifundiis un-
14. quam potietur. Sed minor ſanè nobis difficultas eſt, in *animæ iſtius mortuæ*, ut vocat Adverſarius, *reproductione*: quæ tamen quâ ratione futura ſit, non opus eſt hoc loco pluribus excutere, vel ex Philoſophia exquiſitiùs eruere, dum illa differentia inter corpus *animale*, quod nunc eſt, & *ſpirituale*, quod olim reſurget, nondum eſt aperta. Huic tamen reproductioni obicem haudquaquam ponit (quamvis varios hîc quoq; non ignorem in humana ratione nodos,) ulla animarum μετεμψύχωσις, quæ nulla reverâ eſt, ſi eam formarum naturalium admittamus rationem, quàm aliquando expoſuimus in Diſſert. de Eſſentiam & Orig. formarum naturalium. Quicquid dici poterit de reproductione formarum carnis, oſsis, cæterarumque partium noſtri corporis, quin & formarum elementarium, quæ ſenſitivæ animæ ſubſtratæ ſunt, idem reproductoni quoque ſenſitivæ animæ accommodabitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

tur. Penitus autem inepta, omniq; ſenſu ac ratione carentia verba ſunt, quibus *tranſire in Animæ mundanæ matricem in materiam Animæ Anima* dicitur. Sed dum extra oleas ſat diu oberratum eſt, ad rem ipſam tandem ſe accingit Adverſarius.

Contactus IX.

AD *Controverſæ ergo quæſtionis determinationem* dicit: *Non eſſe* 1.
abſque neceſſitate multiplicanda entia, maximè ſi per multipli-
cationem entium non ſolvantur nodi ἄλυτοι ſeu inſolubiles, ſed cumu-
lentur & in Philoſophia & in Theologia: & ubi aperitur hæreſi non
uni latibulum, contra receptam ſententiam. De qua neceſſitate jam
reliqua eſt ad Scripturas ſacras diſquiſitio, præmiſſa obiter reſpon-
ſione, &c. Equidem Philoſophiæ non eſt, multóque minùs veræ 2.
Theologiæ, ſi quis effutiat quicquid in buccam incidit, aut in
chartam conjiciat quicquid inanis cerebri cogitatio effinxit: tum
rationibus, tum evidentibus S. Scripturæ teſtimoniis probanda
ſunt, quæ aſſeruntur in *Philoſophico-Theologicis* diſſertationibus.
At longiſsimè hactenus à ratione, longiſſimè à Scriptura S. di-
greſſus fuit noſter Adverſarius. *Non eſſe abſque neceſsitate multi-* 3.
plicanda entia Tyronibus quoque ipſis in Philoſophia notum
eſt: atque hoc unicum eſt quod ſapiat Philoſophiam in tota hac
Philoſophico-Theologica Theologo-Philoſophaſtri noſtri di-
ſputatione: At Philoſophi ſanè erat declarare & oſtendere nullam
in homine neceſsitatem eſſe ſenſitivæ animæ ſubordinatæ ratio-
nali, ac adverſas difficultates amovere: cujus equidem neceſsita-
tem nos ex ipſamet Philoſophia demonſtravimus Diſſert. de
Animæ Hum. Subſt. ubi inſuper ſine ipſa ſenſitiva anima potiùs
entia & entium affectiones multiplicari, aperuimus. *Solvi* autem 4.
tali ratione *nodos* alioqui *inſolubiles in Philoſophia,* (ac in ipſamet
fortaſſe etiam Theologia, vid. diſſert. de Anim. Hum. Orig. 3.
coroll. 2.) nullas verò cumulari, itidem ſat ſolidè & apertè com-
monſtravimus; ac ſanè nullos *cumulari nodos in Theologia,* niſi ex
ineptis *Conjecturis*, ac perverſis Adverſarii noſtri ratiocinatiun-
culis, quibus ipſe *non uni hæreſi latibulum aperire* conatus eſt im-
probo ac deteſtando auſu, hactenus meridianâ luce clariùs oſten-
dimus. Nihil verò *contra receptam ſententiam* à nobis eſſe pro- 5.
ditum in Philoſophicis, nec novi quid confictum eſſe, ſed expo-

ſitum

 ſitum fuiſſe antiquiſsimum ac omni ævo receptiſsimum Philoſophiæ dogma, quilibet agnoſcet, qui Philoſophiæ ſacra penitiùs aliquanto perluſtravit, quàm ille qui ſe nobis Adverſarium hîc præſtat. An verò interim contra ſaniorem Theologiam noſtris Philoſophicis quid inferatur, æquioribus ac magis ſanæ mentis
6. Judicibus perpendendum relinquemus ex præmiſsis. Sed *de neceſsitate*, abſque qua non eſſe entia multiplicanda conſtat, jam porrò *reliquam ad Scripturas ſacras diſquiſitionem* conſtituit noſter Cenſor. Bone Deus! quàm ſolida hæc diſquiſitio erit Theologica, neceſsitatis rerum minimè Theologicarum. Nullam neceſsitatem infert vel urget divina Pagina plurimarum corporis humani partium: de quarum tamen uſu ac neceſsitate pluribus libris diſſeruit Galenus: at Cenſori noſtro ex accuratiore *ad Scripturas ſacras diſquiſitione* nullus earundem uſus erit, nulla penitus neceſsitas. Quaſi verò, vel eodem jure, de neceſsitate quoque
7. organorum mechanicorum, vel corporum brutorum animantium, diſquiſitio ad ſacras Scripturas ſit inſtituenda. Apage cum tuis nugis, nugaciſsime Virorum, nec tuis ineptiis Scripturam ſacram prætende, neque protervis tuis contentionibus divinum verbum immiſce. Hæ gemmæ longè nobiliores ſunt, quam ut nugarum quovis ſterquilinio debeant conſpurcari. Sed mox ipſa tamen S. Scripturæ loca luſtrabimus, dum interim nos detinet *præmittenda obiter reſponſio, de neceſſitate, quæ prætexitur, philoſophica*, ut ait noſter, *ut ſcilicet homo generet hominem, quod non fiat, ſi nulla ſit in homine anima præter rationalem: quia aut ſtatuendus eſt tradux animæ rationalis, ut ipſa quoque educatur ex poteſtate materiæ: aut, ut homo hominem generet, materialis quædam forma homini tribuenda eſt, quæ reipsâ diverſa ſit ab ani-*
8. *ma rationali.* Reſpicit difficultatem à nobis motam in fine Diſp. 6. part. 2. Theatr. Nat. Univ. ac ſolutam ibid Diſp. 7. At aliâ ratione ſolutam, quàm qualem hîc affingit Adverſarius. Sed quid ad noſtra idem? *Reſpondemus*, inquit, *ſiquidem cum animæ rationalis traduce conciliari nequeat natura ejus immortalis, quod nobis etiam placet, ſe ipſam refellit argumentatio iſta, quia ex hypotheſi neque homo generabit hominem, ſed tantùm corpus animatum iſthac forma materiali, quæ reipsâ diverſa ſit ab anima rationali, abſque qua*
9. *animal humanum non eſt homo.* Sed quâ ratione ſe ipſam refellat

iſthæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

iſthæc cavillatio, apertè oſtendimus Diſſert. de Animæ Hum. Subſtantia. Hoc ſolummodò adjiciendum reſtat impræſentiarum, mirabile viri ingenium eſſe, qui, cùm paſsim Theologica, & omnem rationem humanam excedentia, ad rationis trutinam expendi urgeat, in ipſis Philoſophicis, ubi rationi locus eſt, planè, quaſi rationis impos, conticeſsit. Egregiè nempe hîc exponit Adverſarius, *quâ ratione homo generet hominem?* Nempe faciliùs eſt aliena cavillis excipere, quàm ex propria ratione veritatem prodere, ac propriam ſententiam quamcunque rationibus ſtabilire.
Quòd ſi modus à nobis expoſitus repudiandus ſit, ac abſurditatis 10.
queat argui, alius exponendus eſt à noſtro Catone, qui abſurditate nullâ implicetur. Sed huic rei ipſe quidem impar erit, qui idcirco, cùm ratio nulla in promptu eſſet, hortabatur aliquando, ut pro quæſtione prædicta ſolvenda, ex traduce potius rationalem animam derivarem. At cùm non modò ex Philoſophia illud falſum arguerem, ſed in ipſa quoque Theologia periculoſum oſtenderem, aut ſaltem ſententiis Theologorum orthodoxorum repugnans; ſubjungebat, fuiſſe in illa ſententia Rev. ac Clariſſ. Virum D. D. Walæum: quod quidem an verum ſit, haud libuit hactenus inveſtigare. Id ſaltem certum habeo, ex antè recitatis, ne 11.
ipſi quidem Adverſario noſtro ſatis tutum nunc videri, quod noſtro comparare conabatur animo. Quòd ſi ergo noſtris rationibus in meliorem mentem ſit adductus, nobis utique ad referendam gratiam hactenus obſtrictus eſt: ſi verò perſuaſione ſuâ nos in errores abducere conatus fuerit, id quidem indoli illius condonamus, qui eidem graviora olim condonavimus. Sed ad Scripturæ loca tandem, impellente ipſo Adverſario, accedamus.

Contactus X.

V*Indicandus*, inquit, *ante omnia locus illuſtris* 1. *Theſſ.* 5. 23. 1.
καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ τηρηθείη: *Et integer veſter Spiritus, & anima, & corpus, inculpate in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſerventur. Cenſetur autem*, inquit, *illi parallelum, quod Hebr. 4. v. 12. Paulus habet* μερισμὸν ψυχῆς τε καὶ πνεύματος *diviſionem Animaque & Spiritus. Vindicatur autem locus uterque à*

CONT. X. *Thoma, nec non Calvino, Beza, Piſcatore, aliiſque, iſtac reſponſio-*
ne: Non notari diverſas animas, ſed unius animæ duas potentias &
facultates: Spiritu mentem, quâ ſapimus & intelligimus; animâ
voluntatem atque affectus. Hæc ipſa Scripturæ loca ſunt, ad quæ
2. Diſputatio à *Philoſopho-Theologo* adornata eſt, & à quibus ea-
dem *Textualis* fuit inſcripta. Nempe à nobis olim illa loca pro
ſententia Ariſtotelis de duplici hominis gradu declaranda fuêre
citata in Theatr. Nat. Univ. part. 2. diſp. 7. §. 17. velut etiam
3. quod eſt ad Galat. 5. verſ. 16. 17. & 1. ad Cor. 2. verſ. 14.
15. Sed cùm in ſequiorem partem hæc arripi viderem à Colle-
ga meo, (qui, ut magis pungeret, eidem Reſpondenti, qui an-
tea ſub noſtro præſidio diſputationem 6. ejuſdem part. Theatr.
Nat. ubi de ſenſitiva Anima in homine ſubordinata rationali, ſu-
ſtinuerat, hanc ſuam Textualem ventilandam impoſuit,) ut evi-
tarem offendicula, ac ſimul modeſtiam meam probarem, cita-
tum illum Paragr. 17. paulò aliter, eodem tamen quo antè ſenſu,
expoſui, (ut nunc in Theatr. Nat. extat,) antequam D. D. Pro-
feſſoribus Leidenſibus, illas meas Exercitationes inſcripſi vel ob-
4. tuli. Imprimis autem pio animo (ut novam cum Collega con-
tentionis anſam reſcinderem,) eò libentiùs hanc mutationem in-
ſtitui, quòd tunc Collegam ipſum pœnitere facti videretur ex
indignatione Nobiliſſ. & Ampliſſ. D. D. Curatoris Wijnbergii,
qui inſtitutum mei Adverſarii ſuâ ſponte obſervans, meque ultro
gratioſâ compellatione complectens, Collegam Collegæ inſul-
tare, & hæreſibus conſcientiam impugnare, nullâ collatione vel
adhortatione præmiſſâ, indigniſsimè ferebat. Unde paulò pòſt
Theologus coram me ipſo, (qui certè minimè illa curabã, & cum
interdicto coërcere Collegam inſtitueret Curator, ipſe ne id fie-
ret, ſeriò at fruſtra rogabam) cùm agnoſceret meam modeſtiam &
candorem, multâ excuſatione uſus eſt; & ne mihi litem ullam
moviſſe videretur, Tilenum alioſque Theologos, ſententiæ meæ
de ſenſitiva Anima in homine Patronos, mihi ſubminiſtrabat; ut
nempe ſub tantorum Virorum Autoritate omne crimen evita-
rem. Notate hoc iterum, Candidi Lectores, & candorem utriuſq;
5. animadvertite ac diſſernitote. Sed ad rem. Equidẽ Scripturæ loca,
quæ non ſuâ ſponte nobis cedunt, in noſtra vota magno conatu
trahere non eſt animus: nimis enim impia illa vis eſt, quę divinę ve-
ritati

ritati infertur. At piaculum interim certè non eſt, in loco aliquo CONT. X.
Scripturæ, qui capita Religionis non attingit, ab alio diſſentire:
Hoc nempe ipſi quoque Adverſario noſtro familiare eſt, ut in hoc
ipſo itidem negotio mox innoteſcet. Sed nec opus eſt probare 6.
Philoſophica quævis per Theologiam; quin imò hoc tentare vel-
le, temerarium exiſtimamus: cùm Scriptura longè alium in finem
divinitus ſit inſpirata. Conſenſum tamen cùm Philoſophia ma-
nifeſtum & expreſſum ſi queamus invenire ac eruere è ſacra pa-
gina, id nobis eò magis gratum eſſe ſolet, quò plus autoritatis ha-
bet, ac firmiora fidei momenta efficit Scriptura, quàm certitudi-
nis quandoque infert ratio humana. Quòd ſi Conſenſus tamen 7.
non ita planè paſſim eruatur, haud inde protinus arguitur diſſen-
ſus. Nec enim diſſentire Apoſtolos ac Prophetas dicimus, quòd
non dicant idem omnes, aut quòd non prodant ſinguli quod eſt
ab uno proditum: Sed ſatis eſſe credimus, quòd invicem non
contradicant. Quòd ſi ergo ille *locus illuſtris* 1. *Theſſ.* 5. 23. creda-
tur verè alio ſenſu explicandus, quàm ut diverſas in uno homine
ſubſtantias diſcernat, haud magnoperè cuiquam reluctabimur. 8.
Theologis nimirum ſuam Spartam hîc relinquimus; ac eo ſolo
acquieſcimus, quòd nec opinioni noſtræ quicquam ex divina
veritate reluctetur: quin imò gloriamur eo nomine, quòd ſaltem
probabiliter ſecundùm noſtram mentem ſumi poſſe, non modò
præſens ille locus, ſed & nonnulla alia, quibuſdam videantur.
Velut ille item, qui prædicto *parallelus cenſetur. Hebr.* 4. *verſ.* 12. 9.
ubi *ſermo Dei vivus & efficax, ac penetrantior quovis gladio an-
cipiti, pertingere* dicitur *ad diviſionem* ANIMÆ *ſimul &* SPI-
RITUS: qui certè locus in noſtram ſententiam à præclaris viris
exponitur: Unde & in Annotatiunculis marginialibus ad novum
teſtamentum ex majoribus ipſius Bezæ Annotationibus & ali-
unde excerptis, *Anima* explicatur *in qua reſident affectus*; *Spi-
ritus, pars illa nobiliſſima quæ mens dicitur*, quam Beza τὸ ἡγεμονικὸν
hoc loco vocat; ac Piſcator ad Theſſ. 5. 23. *eam animæ partem
quâ ſapimus atque intelligimus*: (ubi cum idem per *animam* in-
telligit *voluntatem & affectus*, verè voluntatis nomine τὰ θελή-
ματα τῆς σαρκὸς *voluntatem carnis*, ſeu ipſum *appetitum ſenſiti-
vum* innuit, à quo diſtinguit Apoſtolus Epheſ. 2. 3. τὰ θελήματα
τῶν διανοιῶν.) Certè qui *partes animæ* humanæ diſtinguit, ille per 0.

CONT. X. animam non intelligit id quod omnino ſimpliciſſimum eſt, ac prorſum partibus caret, quod animam rationalem appellamus; ſed in una anima duas diverſas ſubſtantias conſtituere neceſſe habet: quarum illa quæ *Anima* ſpeciatim nominatur, per communionem particeps rationis, affectuum ſedes eſt, materiæ immerſa; quæ verò *Spiritus* dicitur, per ſe rationis particeps, principatum tenet, ac imperium obtinet, vinculis corporeis haud alliga-
11. ta. Similiter, cùm ad Epheſ. 2. v. 3. in iis qui *carnis* cupiditatibus aguntur diſtinguit Apoſtolus inter τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς, καὶ τῶν διανοιῶν; ſecundùm prædictas annotationes marginales ad N. T. *carnis nomine primo loco totum hominem intelligit*, nimirum irregenitum, *quem in duas partes dividit, carnem, eam nempe partem quam ἄλογον vocant Philoſophi; & cogitationem, quod τὸ λογικὸν vocant*: Seu, ut ipſe Beza exponit: *σάρκα eodem nomine atque genus ipſum, vocat partem animi quam ἄλογον nuncupant Philoſophi; διάνοιαν verò τὸ λογικόν*: aut potius hoc poſteriore effecta τοῦ λογικοῦ indigitat, quamobrem etiam διανοίας dixit numero multitudinis, (q. d. *cogitationum* ſeu *ratiocinationum*, quæ ſunt effecta mentis immanentia, *inclinationes*,) ut etiam alibi διαλογισμοὺς
12. Rom. 1. 21. Hæc equidem & ſimilia alia in Sacris, ſi fortè in noſtram ſententiam accipienda non ſint, quod mihi tamen admodùm fit veriſimile; profectò ſententiam noſtram ſaltem non deſtruunt, nec eidem refragantur. Et ſanè, quâ ratione loco illo Hebr. 4. 12. per *Animam* & *Spiritum unius animæ duæ potentiæ & facultates* intelligi queant, nondum video: cùm ſine aperta contradictione μερισμὸς *diviſio* utriuſque *in partes* dici nequeat. Vel enim potentiæ ac facultates animæ, ut in anima ſunt, non differunt ab animæ eſſentia, vel ſunt qualitates immediatè ac neceſſariò ab eſſentia animæ profluentes: utrum dicas, haud magis in partes dividi poſſunt, ac ſeparari ab invicem, quàm
13. riſibilitas ab humanitate. Secundùm noſtram verò expoſitionem *Spiritus* ſeu mens ab *Anima* etiam in homine eſt ſeparabilis: cúmque, ut Triſmegiſtus loquitur, *anima ſine mente neque quid dicere, neque quid facere queat*; *mens* tamen *ſæpe evolat ex anima*, & profundiùs meditatur, profundiùs de Deo ac rebus divinis cogitat, eóque pertingit quò ſenſus non aſſurgunt: Ad talem verò cogitationem erigit ipſam mentem imprimis *Dei ſermo*, ubi myſteria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

myſteria nobis exponuntur, quæ nulla ratio aſſequitur; hic verè Spiritum ab Anima evocat ac divellit, & ad ipſum Deum piis meditationibus adducit propiùs. Sic ergo verè *vivus & efficax eſt* 14.
Dei ſermo, qui piis ac profundiſſimis meditationibus vivificat credentes, ut hujus beneficio verè in nobis percipiamus, quod per umbram expertus fuit ille, ſapientiâ Hebræorum, Chaldæorum, ac Ægyptiorum imbutus Plato, lib. 1. de div. ſap. Ægypt. cap. 4. ubi, *Ego* inquit, *ſæpius animo contemplans, relicto corpore viſus ſum perfrui ſummo bono, cum voluptate incredibili: quare hæſi quodammodò attonitus, agnoſcens me eſſe partem quandam ſuperioris Mundi, atque adeptum ſentiens vitæ immortalitatem ſub luce maxima, quæ neque oratione exprimi poteſt, neque auribus percipi, neque cogitatione comprehendi.* Hæc illa vis divini verbi eſt, quæ Spiri- 15.
tum ſeu mentem ab Anima quodammodò avulſam abducit ad illa rerum faſtigia, quò nulla ratio aſſurgit, quò nulla cogitatio humana poteſt pertingere. Quòd ſi fortè noſtris hiſce piis in Scripturæ loca meditationibus non acquieſcendum videatur, nulli certè præjudicatum quicquam volumus, nec ullius meliorem expoſitionem rejicimus: quæ ſi vel diſpliceret, haud majori injuriâ à nobis afficeretur *Calvinus*, *Beza*, *Piſcator*, (quos citat Adverſarius,) quàm quâ afficiuntur iidem à noſtro Adverſario, qui eorum expoſitionem reſpuens, ſibi ipſe potior videtur, ac ſuæ indulgere mavult opinioni. Sed fortè potior ratio eſt, quâ huic unico 16.
impunè diſſentire liceat ab aliis ſummis viris: nempe, perpetuum Dictatorem, aut eum ſanè qui *Primatum* tenet, legibus ſalutum eſſe oportet. Hunc ergo autoritas Calvini, Bezæ, ac Piſcatoris, non tangit vel movet, quæ nobis quidem legem poſuiſſe debebat: Ipſaque illa reſponſio, quâ *vindicabatur locus uterque à Thoma, nec non prædictis magnis viris, aliiſque*, rejicitur ab hoc digniſſimo Cenſore; quippe ſummæ majeſtatis eſt, ac penes unicum Principem eſſe debet, de ſummis negotiis diſcernere. Facto igitur irrito maximorum Virorum judicio, vindicandum ſibi locum utrumque ſervat ab impietate illa quam notavit antè. Quid ergo tandem ſentiendum erit? Age, Princeps auguſte, ac primarie Doctor Theologe, oraculum ab ore tuo audiamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

Contactus XI.

1. NObis,inquit,*ſuper loco* 1.*Theſſ*.5. 23.*ſolidior videtur reſponſio Gennadii Maſſil.cap*.20. *quam ſequi videtur Andr.Hyperius in Commentariis, quam etiam Thomas annotavit:* Nempe talis ea eſt : *Qui ab Apoſtolo cum anima & corpore inducitur Spiritus, gratiam Spiritus S. eſſe intelligimus, quam orat Apoſtolus ut integra perſeveret in nobis, ne noſtro vitio aut minuatur aut fugetur à nobis.* Modeſtiæ equidem hoc qualemcunq; ſpeciem gerit, quòd ad ullius ſaltem exemplum ſe componat, nec ſuum cerebrum omnibus qui ſunt in Univerſo, qui fuerunt, ac futuri ſunt, præfigat normam. At rariora interim præclariora cenſet: ne cum vulgo
2. Theologorum, ut exiſtimat, quid habeat commune. Fortaſſis ergo unicus ille in obſcuriore Antiquitate Gennadius, omnibus præeminens, veritatem aſſecutus eſt, quam tot celeberrimi ac ſummi viri, ſub ipſo Solis ſplendore, non agnoverunt; quam non niſi unus aliquis Hyperius ex umbra proſpiciens, vidiſſe viſus eſt. Sed quid rationis pro illa reſponſione affert noſter ? *Perſuadet nobis,* inquit, *expoſitionem illam quod anteceſſit verſu* 19. τὸ πνεῦμα μὴ
3. σβέννυτε, *Spiritum ne exſtinguite.* Solida equidem ratio pro ſolidore reſponſo: Gratia Spiritus S. nomine *Spiritus* indigitatur 1. Theſſ. 5. 19. Ergo Spiritus ille, qui unâ cum Anima & corpore alibi, ac ſaltem mox Hebr. 4. 12. ab ipſo etiam Adverſario noſtro ſine controverſia, alio ſenſu accipi, & ad ipſum hominem attinere ſtatuitur, aliquot verſibus pòſt, pro gratia Spiritus S. haberi debet.
4. Ipſe textus profectò planè eam explicationem reſpuere videtur. Quid enim intendit Apoſtolus ? Longo ſermone antè hortatus pios ut ad bona opera ſe feriò accingant, eademque feriò exerceant, mala evitent, poſtquam longum catalogum bonorum agendorum, ac malorum evitandorum, recitaverat. (inter quę *Spiritum ne exſtinguite; prophetias ne pro nihilo habete*, &c. ut uno tandem verbo omnia ſimul exprimeret, *Ab omne ſpecie mali*, inquit, *abſtinete:* Quæ omnia cùm propriis viribus præſtare non queamus, à Deo ſanctificari debemus, & quidem ſecundùm interiora & exteriora quævis: Quare ſubjungit : αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς, ϗ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, ϗ ἡ ψυχὴ, ϗ τὸ σῶμα ἀμέμπτως

 CONT. XII.

πλως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ τηρηθείη. *Ipſe autem Deus pacis vos ſanctificet omnino totos*, ne ſcilicet ulla mali ſpecies in vobis oboriatur, ratione ullius partis vel internæ vel externæ; in quem eundem finem inquit porrò, *& tota portio veſtra, ſeu universum id quod eſtis, ſervetur inculpatè in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti:* id autem totum quod ſumus homines per partes declarat & exponit, nempe *ſpiritus, & anima, & corpus.* Et 5.
certè, quando precatur Apoſtolus ut Deus ipſe nos *ſanctificet*, eodem vocabulo orat ut gratia Spiritus ſancti nobis adſit; quæ ut integra perſeveret in nobis, ne noſtro vitio imminuatur aut fugetur à nobis, hoc inſuper addit ac votis à Deo contendit, ut univerſa noſtra ſubſtantia, quicquid ſumus intus & extus, ab eodem Deo ſanctificante, & gratiam Spiritus ſui ſancti nobis contribuente, ſervetur. Sed fruatur ſuper eo loco Scripturæ ſuo ſenſu Adverſarius noſter, quis enim auſit tanto Viro, ac *primario Profeſſori Theologico* errorem imputare? Videamus alterum.

Contactus XII.

M*Alumus quoque*, inquit, *ut Paulus Hebr. 4. 12. quamvis lo-* 1.
quutus de hominis Anima, tamen Spiritus & Animæ diſcretione non diſcreverit Mentem à voluntate, ſed utriuſq; & mentis & voluntatis facultatem promam à conda, ſeu id quod εἰσπορεύεται εἰς τὴν καρδίαν *in cor ingreditur, ab eo quod* ἔσωθεν ἐκ τῆς καρδίας ἐκπορεύεται *intimè ex corde egreditur. Matth. 7. v. 19. 21. atque illud*
vocârit ψυχὴν *animam, hoc* πνεῦμα *ſpiritum.* Egregiè ſanè in expo- 2.
ſitione loci, quam controverſam ipſe facit, & in qua arundinis inſtar à ventis agitatæ, ipſe mirum in modum huc illuc per affectus concitatus, nobis difficultatem movet: Ac egregiam, ſi Deo placet, expoſitioni ſuæ hîc denuò rationem addit. *Malumus*, inquit, *ut Paulus* &c. *Mavult* Dictator, & ad nutum ejus protinus ita res habere debet ut *vult.* Profectò tyrannicum eſt in politicis, *Si volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas:* in Theologicis verò ex
arbitrio ſuo velle, nimis periculoſum eſt. Rectè tamen hoc notare 3.
videtur, *Spiritus & Animæ diſcretione non diſcerni mentem à voluntate* propriè dicta, (quam reſponſionem antè tribuebat Calvino, Bezæ, Piſcatori,) quippe voluntas ipſa mentis ſeu rationalis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

CONT. XII. animæ facultas eſt, adeóque ut in mente eſt, ipſa mentis eſt eſſentia: at interim ignorantia hęc eſt, quâ non agnoverit ex Sacris item propriè θελήματα τῆς σαρκὸς: adeóq; *voluntatem* aliquam *carnalem*, quàm nos vocamus *appetitum ſenſitivum*, ſeu ipſam ſenſitivam
4. animam, à qua *affectus* proficiſcuntur. Sed quid tandem reſponſionis ſolidioris ipſæ affert? *Mavult ut Paulus Spiritus & Animæ diſcretione diſcreverit utriuſque & mentis & voluntatis facultatem promam à conda.* Ipſe quid velit clariùs exponat neceſſe eſt, nec enim Oedipus hîc mentem ejus divinare poſſet: ſat interim ἀπαιδεύτως loquitur Philoſophaſter, qui *voluntatis* neſcio quam *facultatem* dicit, ignorans voluntatem eſſe ipſam animæ facultatem, quæ non ad aliam facultatem, ſed ad functiones, & effecta
6. ſua, τὰ θελήματα, refertur. Sed fortè clariùs tandem animi ſenſus effert: vult *Spiritus & Animæ diſcretione diſcerni id quod* εἰσπορεύεται εἰς τὴν καρδίαν *in cor ingreditur, ab eo quod* ἔσωθεν ἐκ τῆς καρδίας ἐκπορεύεται, *intimè ex corde egreditur. Matth. 7. v. 19. 21. atque illud vocârit* ψυχὴν *animam, hoc* πνεῦμα *Spiritum.* Hoc ergo eſt *diſcerni utriuſque & mentis & voluntatis facultatem promam à conda.* Mira ſana propriæ mentis explicatio; ac admiranda penitus Scripturæ loci expoſitio: cui quidnam ex cit. loc. Matth. probabilitatis affingat, non invenio; oculatiores me ipſo, ſi libuerit, id ex-
7. pendant. Vereor autem ne nimiùm ſublimis evadat noſter ille Phœnix, qui omnes ſupereminens, ſibi ſolus & unicus, ab omnibus ultro deſeratur. Sed nec ſuffragia tandem aliorum quoque huic invidemus, dum proprio eum frui ſenſu ſuper eo Scripturæ loco lubentiſſimè permittimus: bono quidem, quantum capio mentem, ac pietati conſentaneo, niſi vitioſi affectus dominarentur intus; ſed an ſatis bene interim ac convenienter ex hoc Scripturæ loco elicito, cordatioribus relinquo perpendendum. Haud enim ita nobis ſubtiles ſpiritus, qui ad ſublimitatem tantam evehantur.

Contactus XIII.

1. ITa verò tandem perbellè *animadverſâ Scripturarum Analogiâ, de cætero* porrò diſquiſitionem inſtituere ſpergit, ubi *offerunt ſe pro recepta,* (quam vocat,) *ſententia munienda obſervationes ſequentes.*

I°. *Etiamſi*

I°. *Etiamſi quandoq; voces* רוח πνεῦμα *Spiritus notant eſſentiam* CONT. XIII.
animæ rationalis ſpiritualem, à corpore ſeparabilem, ut Pſalm. 31.6. *Eccl.* 12.7. *Zach.* 12.1. *Luc.* 2.35. *Hebr.* 12.9.23. 1. *Cor.* 6.20. & 7.34. & *alibi. Tamen non eſt dicata in Scripturis vox Hebræa aut Græca ad Antropologiam ſignificationi vel eſſentiæ vel facultatis in homine eminentioris, quàm quæ vocibus etiam* נפש, ψυχὴ, *Anima, exprimi conſuevit: Quod evidens eſt, ubi urgetur Cultus ſpiritualis & Charitatis Deo ac proximo debitæ perfectio; vel enim ſola* ψυχῆς *animæ voce Scriptura defungitur, dicens* ἐκ ψυχῆς *ex anima Eph.* 6.6. *Col.* 3.23. *vel cumulans etiam plura vocabula ad omnem emphaſin, expreſsâ voce* נפש ψυχὴ *anima, vocem* רוח πνεῦμα *Spiritus, ut ſynonymam negligit, dicens, Ex toto corde, ex tota anima, ex tota Intelligentia, ex tota cogitatione, ex omnibus viribus, Deut.* 4.29. *ſſ.* 6.5. *ſſ.* 10.12. *ſſ.* 11.13. *ſſ.* 13.3. *ſſ.* 30.2. 6.10. *Et gaudium ſpirituale expreſſit Paulus verbo à* ψυχὴ *derivato* εὐψυχεῖν *Phil.* 2.19. *Et in ſpirituali certamine pro cauſa Chriſti, teſtatur ſe commilitonem* ἰσόψυχον *pari animâ præditum, ibidem, verſ.* 20. *Et jubet perſtantes in uno Spiritu, hoc eſt, munitos unius Spiritus S. præſidio,* μιᾷ ψυχῇ συναθλεῖν *decertare unâ animâ,* cap. 1. 21.

Equidem haud ita dicatam eſſe in Scripturis vocem Hebræam 2.
aut Græcam, quæ Latinè *Spiritus* ſonat, ad Anthropologiam ſignificationi eſſentiæ in homine eminentioris, ideſt, animæ rationalis, ut non etiam denotet eſſentias inferiores, quinimò brutorum etiam animas ſeu formas, ut Pſalm. 104. v. 29. haud ignoramus, nec aſſeruimus id unquam; ſed contrarium potiùs apertè teſtati ſumus Theatr. Nat. Univ. part. 2. Diſp. 5. § 16. antequam in nos inſurgeret Philoſopho-Theologus. Nec verò ita propriè ac determinatè id quod eminentius in homine eſt vocatur *Spiritus*, ut non etiam aliâ appellatione inſigniatur: cùm nempe *rationalis anima, mens, intellectus, ratio*, quin & *Anima* ſimpliciter dicatur. Hoc volumus tantùm, hoc innuimus, quan- 3.
do in homine *Spiritus* ab *Anima* diſtinguitur, ac ut diverſa hæc ambo conjunguntur, voce quidem *Spiritus* intelligi humanæ animæ partem eminentiorem, quæ imperat; voce *Animæ* inferiorem, quæ paret, & veluti dicto parentis audiens eſt. Dicam cum Calvino ex Inſt. lib. 1. cap. 15. § 2. *Hominem conſtare Animâ & corpore extra controverſiam eſſe debet: atque Animæ nomine eſſen-*

CONT. XIII. *tiam immortalem, certam tamen, intelligo, quæ nobilior ejus pars*
eſt. Interdum Spiritus vocatur. Etſi enim, dum ſimul junguntur
hæc nomina ſignificatione inter ſe differunt; ubi tamen ſeorſim poni-
4. *tur Spiritus, tantundem valet atque Anima.* Quando vero locis
omnibus ex Deut. cit. ſolius *Animæ* fit mentio, per *Animam* in-
telligit Scriptura S. id omne, unde facultates quæcunque pro-
fluunt, vid. Diſſert. de Anim. Hum. Subſt. § 13. vel ſaltem illud
omne quod à natura ſtrictè dicta, quæ circa nutritionem, & ea
quæ huc ſpectant, verſatur, diſtinctum eſt: ibid. § 11. cujus nimi-
rum ſedes potiſſima *Cor* eſt, unde & Animam, materialem nem-
pe illam, in corde quodammodò radicatam dicimus, quâ me-
5. diante Mens corpori conſociatur. Pulcherrimè autem Salvator
noſter Matt. 22.37. inter *Animam* & *Spiritum* diſtinguit, quan-
do diligendum Dominum Deum docet ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, ἐν ὅλῃ τῇ
ψυχῇ, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ, ubi præter τὴν καρδίαν *cor*, quod animæ
ſedem appellavimus, ipſam quoque ψυχὴν *animam* exprimit, in
qua ſunt affectus, à qua verò τὴν διάνοιαν *rationem*, (quæ Marc.
12.33. σύνεσις dicitur *intelligentia*, ſeu illa animæ pars in qua pru-
dentia ineſt,) ſive *cogitationem*, h. e. *mentem* ipſam, quam *Spiri-*
6. *tum* κατ' ἐξοχὴν vocamus, diſtinguit. Cùm autem *vires* adduntur
Marc. 12. v. 30.33. ſignificatur non in theoria dilectionem con-
ſiſtere; ſed in vera praxi, ac univerſo conatu. Quòd verò *ſpirituale*
gaudium in homine *exprimatur verbo* à ψυχῇ *derivato* εὐψυχεῖν;
itemque *in ſpirituali certamine pro cauſa Chriſti deſideretur com-*
7. *milito* ἰσόψυχος, &c, id haud alienū eſt à noſtra ſententia. Nem-
pe, cùm ſpirituale gaudium, ac omnis pro cauſa Chriſti conatus,
originaliter ab anima rationali ſeu *ſpiritu* hominis proficiſcatur,
indeque ad facultates inferiores influat, ut omnis omnino affe-
ctus conſpiret in idem, haud immeritò τῆς ψυχῆς appellatio in-
fertur: non latiori tantùm illâ ſignificatione, quâ univerſa ani-
mæ humanæ ſubſtantia, ſuperior nempe & inferior ejus pars,
ψυχὴ appellari conſuevit; ſed etiam magis ſtrictâ, quæ inferiores
facultates reſpiciat: quoniam efficax non eſt cogitatio mentis ſo-
la, niſi facultates quoque materiales ſeu affectus unà conſpirent,
8. ac appetitus ſenſitivus non reluctetur rationali. Quin & ipſa ra-
tionalis Anima, reverâ *Anima* quoque dicitur, ac τῆς ψυχῆς vo-
cabulo indigitari ſolet, (ut Diſſert. de Anim. Hum. Subſt. § 9. ex-
poſuimus,)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

poſuimus,) licet appellatione vulgari, ac minùs propriâ, ſi etymologiæ habeatur ratio: quæ quidem jam antè à nobis conceſſa, & autoritati bus illuſtrata ſunt. Interea tamen non repugnat, eandem rationalem animam, quando τῇ ψυχῇ *Animæ* propriè dictæ confertur, diſtinctionis causâ vocari πνεῦμα *Spiritum* : ut hoc etiam ſenſu, (nempe alteri quem Adverſarius exponit, non reclamo,) unius Spiritus S. præſidio muniti omnes, nimirum fideles, jubeantur Phil. 1. 27. perſtare ἐν ἑνί πνεύματι, καὶ μιᾷ ψυχῇ (ſic enim vertit Arabs, ברוח וחדה ובנפש והדה) *in uno ſpiritu & in una anima, concertantes per fidem Evangelii.* CONT. XIV.

Contactus, XIV.

EX dictis verò facilè diluitur Obſervatio I I. Quòd nempe, *Neglectâ etiam voce Spiritus, Chriſtus Animam nominat, deſignare* 1.
volens partem hominis nobiliſſimam ac pretioſiſſimam, quæ viva ſuperſtes manet, nec occidi poteſt corpore occiſo, Matth. 10. 28. Quippe hanc eandem nos ipſi etiam *rationalem Animam*, adeóq; *Animum* certè appellamus, velut Ariſtoteles quoq; indifferenter νοῦν, & ψυχὴν νοητικὴν appellat. Talem nempe dicimus *animam, quæ totius Mundi lucro præponderat, nec non vitæ animali, adeóque ejus jacturâ redimenda eſt. Marc.* 8. 35. 36. *Quo poſteriori loco,* inquit Adverſarius, *eodem quidem animæ* ψυχῆς *nomine nominatur & anima redimenda, & vita redemptione animæ impendenda: ſed vario ſchemate dictionis. Vita enim animalis,* inquit, *impropriâ locutione, Scripturis familiari, Anima dicitur, ut ortum quid ex animæ cum corpore unione.* Quin imò potiùs, ψυχὴ propriè Græ- 2.
cis, velut נפש Arabibus & Hebræis, *facultatẽ vitalem* animalibus propriam, ſeu potiſſimã ejus functionem, quæ reſpiratione exercetur, ſignificat, quod adeò verum eſt, ut cùm illa facultas, in corde radicata, ſine calore nequeat eſſe, cúmq; ipſe calor ſpirituoſo ſanguine conſervetur, ipſe etiã ſanguis impropriâ locutione, Scripturis familiari, τῆς ψυχῆς Animæ nomine indigitari ſoleat: de qua re videre licet Diſp. noſtram 5. part. 2. Theatr. Nat. Univ. § 16. 17. Hoc ergo ſolo omnis Adverſarii noſtri Diſceptatio inanis redditur, quòd eo loco Marci ſatis luculenter appareat, vocabulum *Animæ* non ſemper unâ eâdemq; ſignificatione accipi; ſed modò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

CONT, XV. propriè pro facultate vitali, quæ eſt ipſa materialis animæ eſſen-
tia, ſeu animalis forma, in homine quidem ſubordinata rationali
animæ; modò impropriâ locutione, Scripturis admodùm fami-
3. liari, pro ipſa anima rationali ſumatur. Sed inſtat Adverſarius:
Huic animæ, inquit, rationali, *corpus vivificanti*, (quomodo verè
demum rationalis anima vivificet corpus humanum, expoſuimus
Theatr. Nat. Univ. part. 2. diſp. 6. § 20.) *ſi dicata eſſet appellatio
ſpiritus, hîc illam vel maximè flagitâſſet Chriſti oratio, ad cauſam
ab effecto diſtinguendam.* Quaſi verò tanta fuerit neceſsitas diver-
ſorum vocabulorum, ut ex ſenſu ipſo diſtinctio illa non potuerit
innoteſcere. Unde nunc, quæſo, diſtinctionem illam ex uno eo-
demq; vocabulo, modò pro cauſa, modò pro effectu accipiendo,
4. didicit noſter Adverſarius? Certè, ſi vocabulorum diverſitas illius
diſtinctionis cauſâ adeò neceſſaria fuiſſet, longè, meo judicio, ſi-
gnificatiùs, ac captui vulgari accommodatiùs, *vitæ* propriè dictæ,
quæ animæ & corporis unionem ſequitur, & *animæ*, quæ vitæ cau-
ſa eſt, appellatione uſus eſſet; quàm *ſpiritus*, & *animæ*; ut ille pro
rationali anima, hæc pro *vita* metonymicè tamen fuiſſet acci-
pienda, ad cauſam ab effecto diſtinguendam.

Contactus XV.

1. OBſervationem III. ſubjungit, quæ hæc eſt: *Accedit quod ſive
mox à corpore ſeparanda, ſive jam ſeparata anima rationalis,
non minùs vocetur* נפש *ψυχὴ anima, quàm* רוח *πνεῦμα Spiritus.
1. Reg. 17. 21. 22. Apoc. 6. 9. & 20. 4.* Sed quid inde quod non
ipſi quoque fateamur? Et quid tandem inſuper? *Et in Chriſto* in-
quit, *πνεῦμα ſpiritus vocatur etiam inferior, ex hypotheſi, anima in
corpore, ſanctis iræ & doloris affectibus turbata, fremens & ingemiſ-
cens, Marc.* 8. 22. (verſ. eſt. 12.) Joh. 11. 33. & 13. 21. Neque
illud mirum, cùm ſanctus ille doloris & iræ affectus in Salvatore
noſtro, *Spiritum* ipſum, ſeu rationalem animam, trahat in con-
ſenſum, ſeu potiùs ad dictamen Spiritus procedat: nec enim ulla
lucta inter *ſpiritum* & *animam* in Chriſto fingi poteſt aut debet;
ſed ad utramque partem ſpectat, quod ſenſitivæ accidit animæ.
2. Hinc verò *obiter notandum, neque appellatione τῆς ψυχῆς Ani-
mæ, ad inferiorem à corpore inſeparabilem, vel animam vel animæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

facultatem, adſtringi poſſe Chriſti Agoniam, Marc. 14. 34. *Matth.* 26. 38. Nimirum, compatiente *Spiritu* affectibus; at eos tamen excitos moderante, ſine omni luctâ. Interim peſsimè hallucinatur Adverſarius, qui Marc. 8. 12. ubi ἀναστενάξας πνεύματι *quum altè ſeu vehementer ingenuiſſet ſpiritu*, hunc Spiritum pro Anima accipit. Spiritum ſanè quoque reſpirando ducimus, ſed hic anima rationalis non eſt, ut nec ſenſitiva.

Contactus XVI.

OBſ. IV. Adverſarius, *Non eſſe negligendum, quòd de æterna hominis perditione aut ſalute loquens Scriptura, ferè neglectâ voce Spiritus, loqui amet vel de perditione Animæ Matt.* 10. 28. 16. 26. *Marc.* 8. 36. *Rom.* 2. 9. *Jac.* 5. 20. *&c. vel de ſalute & redemptione animarum, Hebr.* 6. 19. 10. 39. *Luc.* 9. 56. 1. *Petr.* 1. 9. *&* 4. 19. *adeóque quamvis Deum nuncupet Deum Spirituum univerſæ carnis, Num.* 16. 22. *&* 27. 16. *& Patrem Spirituum Hebr.* 12. 9. *tamen neglecto Spirituum nomine Chriſtum nuncupat Paſtorem & Epiſcopum animarum* 1. *Petr.* 2. 25. Levis profectò hæc ratio contra nos eſt: quin potiùs ſolidiſsimum pro nobis argumentum, quo apparet, *Animas* rationales, quarum Paſtor & Epiſcopus eſt ipſe Salvator, alibi κατ' ἐξοχὴν appellari *Spiritus*.

XVII.

MAjori fortè examine dignum, quod V. notat: *Haud temerè factum, quòd ſicut Emblema monſtroſum in natura, hominis mendacis & fraudulenti, qui modò aït, modò negat, eſt Homo bilinguis: ſic Apoſtolo Jacobo eſt Hypocritæ Emblema, quaſi Monſtrum in natura* ἀνὴρ δίψυχος *Homo Bi-animis, ſeu habens duas animas*, **een Twee-zielich menſch**. Hem verò monſtrum ratiocinationis, quod vivam devoret ſenſitivam animam humanam? Rectè equidem *hominis mendacis & fraudulenti, qui modò aït modò negat, Emblema monſtroſum eſt Homo Bilinguis*: non quod talis homo geminam linguam propriè habeat; ſed quod una eademque lingua à ſe ipſa diſſentiat, dum verba verbis repugnant: nempe, quæ una eſt & indiviſa in ſe, eadem ge- 1.

CONT. XVII. mina eſt, ac à ſe ipſa diviſa, per contraria ac pugnantia eloquia. Si-
2. militer una eademque anima in homine aliter ſibi conſcia, aliter verò ſermone, vultu, geſtu, vel aliâ ratione ſe efferens in publicum, *Hypocritam* conſtituit, *hominem* nempe δίψυχον *Bi-animem*, cujus interiora exterioribus non reſpondent: tales nempe ſunt, qui pietatem ac religionem ſimulant, at impiam interim ac ſceleratam mentem gerunt, à religione integra ac candore animi longè diſtantes; falſiloqui, qui conſcientiam prætendunt, at interim ſunt κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν, *quorum conſcientia cauterio eſt inſignita*, ut loquitur Apoſt. 1. Tim. 4. 2. Qui pacis & tranquillitatis ſtudium ſimulant; at minimè interim pacis ſtudioſi ſunt, contentionibus fovendis aptiſſimi ac ſtudioſiſſimi: Quibus *mel in ore, fel in corde*: dum *blando ore favent*; *at cladem corde volutant*: Qui externo modeſtiæ prætextu ſunt induti; at interim intus ſummè arrogantes. Hiſce ac ſimilibus inquit Apoſtolus Ja-
3. cobus 4. 8. *purificate corda duplices animo*. Tales quoque ſunt, qui duplicem in verbis ſenſum gerunt, vertumni; & qui contra conſcientiam ſiniſtrè aliorum verba interpretantur; qui in omnes formas ac colores ſe vertunt, chamæleontis inſtar, ut ſpeciem ſuis machinationibus addant, dum interim fallaciam internam fraudibus tegunt. De hiſce idem Apoſt. 1. 8. *Vir duplex animo incon-*
4. *ſtans eſt in omnibus viis ſuis.* Verè tales δίψυχοι *duplices animo* ſunt, licet vel ſimpliciſſimam animam in uno corpore geſtare cupiant videri. Nempe, ut rectè fatetur Adverſarius, *eâ voce expreſſit Iacobus Hebræum illud* לב ולב *Cor & Cor. Pſalm.* 12. 3. *& Chron.* (1. Chron.) 12. 33. *quod ſimiliter ut monſtrum hominis pingit Hypocritam*: **Een dobbel-hertigh menſch**. *Corde* nimirum *duplices* dicuntur, non qui duo corda in uno corpore gerunt; ſed qui cor unum habentes, vafri ſunt, fallaces, ficti: quibus id Satyrici continuè cor alterum addit, animæque veræ fucatam, animam adjicit;

——— Sancta Laverna,
Da mihi fallere; da ſanctumque piumque videri:
Noctem peccatis & fraudibus objicere nubem.

At gemina illa anima, quæ homini naturaliter ineſt, in unam aptiſſimè conſpirat, ſi ſubordinata non repugnet ſuperiori; nec ipſa ſuperior aliter intus ſit affecta, aliter extrinſecus ſe fingat.

Cont.

Contactus XIIX.

OBſ. VI. porrò talis eſt: *Munit quoque jam dicta, Quòd Scri-*
ptura homines recenſens, tot numerat Animas quot homines. 1.
*Gen.*46.*Ex.*12.4.*&* 16.16.1.*Chron.* 5.21.*Act.*7.14.*&c. Et quòd*
nonniſi in ſingulari loquitur de uniuscujuſque Spiritu, qui in morte
*Deo redditur, & de Anima poſt mortem ſuperſtite, Pſ.*31.6. *Matth.*
10.28. *Eccl.* 12.7. *Denique quòd animæ epitheton facit* יחידה *U-*
nica, ſeu juxta LXX μονογενὴς *Unigenita, juxta Aquilam* μοναχὴ
Solitaria ſeu ſingularis; juxta Symmachum μονότης *Unitas. Pſalm.*
21.21. *&* 35.17. Ad quæ omnia hoc unicum repoſuiſſe ſatis eſt, 2.
unam in unoquoque homine eſſe rationalem animam, ſeu *ſpiri-*
tum, qui in morte Deo redditur. Nec enim quando *Spiritum* in
unoquoque homine ab *Anima* diſtinguimus, plures *ſpiritus* dici-
mus, eo ſenſu, quo Deus nuncupatur *Deus ſpirituum* univerſæ
carnis, Num. 16.22. & 27.16. aut *Pater ſpirituum*, Hebr. 12.9. *ſed*
in ſingulari loquimur de uniuscujuſque ſpiritu, ut fit, Pſ. 31.6. Eccl.
12. 7. qui ipſe eſt rationalis *anima poſt mortem ſuperſtes*, de qua
loquitur Scriptura, ſimiliter atque nos, in ſingulari. Matt. 10. 28.
Quamvis enim latiori interim ſignificatione plures dentur in uno 3.
homine *ſpiritus*, quod apud ſaniores extra omnem controverſiam
eſt, nempe *vitales, animales*, ipſeq; *inſitus*: qui tamen ſpiritus, ne
quidem immateriales ſubſtantiæ ſunt: quin & ipſa ſenſitiva anima
ſpiritus dici queat, quatenus in ſe ſpectata immaterialis eſt ſub-
ſtantia, quę tamen materialis dicitur, tum aliis de cauſis, tum quia à
materia non poteſt ſeparari, ut in ſe ac per ſe propriam habeat ſub-
ſiſtentiã: Hoſce tamen ſpiritus omnes, nobilitate eſſentiæ longiſſi- 4.
mè excedit ille noſter *Spiritus* unicus, qui in morte Deo redditur,
qui ideo κατ' ἐξοχὴν *Spiritus* in ſingulari appellatur. Interim nec il-
lud emphaſi caret, *quod Scriptura homines recẽſens tot numeret A-*
nimas, quot homines: nimirũ *Animas* potiùs vocat, quàm *Spiritus*,
vel *Mentes*, quod Anima relationẽ innuat ad corpus: nec Spiritus
vel Mens propriè ac convenienter Anima vel Animus dicatur,
niſi quatenus cum corpore conjunctus eſt: cùm ergo numerat
Animas Scriptura, manifeſtè *Perſonas* innuit. Ipſius autem ratio- 5.
nalis *animæ Epitheton habetur* יחידה *unica* ſeu *ſingularis*, quòd
ſingulis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

CONT. XIX. ſingulis hominibus ita propria exiſtat, ut ne poſt mortem qui-
dem ſingularitatem amittat, nec tenues evaneſcat in auras; ſed
indolem ſuam ac ingenium vivaciter teneat, in ſe ac per ſe ſub-
ſiſtentiam retinens: potiori ergo jure *unica* dicitur rationalis a-
nima, quàm uniuſcujuſque corpus *unicum* quoq; appellari ſolet,
quod interim vel etiam dum eo utimur variè deteritur, ac tan-
dem quoad totum interit. Quamvis Pſalm. 21. (ſeu ut alii diſtin-
6. guunt 22.) verſ. 21. pro eo quod in textu Hebræo legitur
מיד כלב יחידתי *à manu canis unicam meam*, vertat Arabs In-
terpres *Min jedi-lkelbati-lleti ihhtevvaſchetni*, Id eſt, *à manu
canis quæ invaſit me.*

Contactus, XIX.

1. Sed parum roboris ineſſe premiſſis hiſce argumentis, ſeu parum
rationis adeſſe jam expoſitis Obſervationibus, tandem ani-
madvertit procul dubio ipſe noſter Adverſarius, qui, cùm irritum
hactenus conatum ſentiat, ſuam Logicam ope Rhetorices ſoli-
diorem reddere tandem inſtituit. Sepoſitis ergo præcedentibus
rationibus, cùm nihil obtinere queat: *Neque quicquam flagita-
mus*, inquit, Obſ. VII[a]. *præter judicium Logicum & Rhetoricum,
ut ex collatis inter ſe locis Eph. 4. 4. & 1. Cor. 12. 6.— 27. le-
gatur hoc quaſi Solis radiis Scriptum : Eſſe in uno corpore myſtico
Eccleſiæ Unum Spiritum, qui illud quaſi animat & vivificat, in-
fluens in ſingula ejus membra, omnia & ſingula, quantumvis va-
ria, ſingulis membris appropriata* ἐνεργήματα: *ſimiliter ut unius cor-
poris naturalis organici unica eſt anima. Adeò ut primo de corpore
naturali, ejuſque anima unica, in protaſi; deinde de corpore de-
mum myſtico, ejuſque Spiritu ſanctificante unico, in apodoſi alle-
goriæ accipienda ſint verba Apoſtoli* ἓν σῶμα ϗ ἓν πνεῦμα *Unum cor-
2. pus, unus Spiritus.* Heus, bone Lector, ne fortè ſequiùs quid opi-
neris, non fuit in Adverſario noſtro culpa, quòd nihil obtinue-
rit: quippe nihil ipſe flagitavit hactenus: *Neque quicquam flagi-
tamus* porrò inquit, *præter judicium Logicum & Rhetoricum*:
Nunc ergo tandem meliores ingenii ſui nervos intendet, cùm
hactenus judicio ἀλόγῳ ac Grammatico ſit uſus. Rectiùs fortaſſe
nunc ſe *logico judicio* pollere ſeu *rationalem* eſſe domonſtrare co-
nabitur:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

nabitur: At præſtitiſſet interim tot *ἄλογα judicia* ſeu penitus *irrationalia* Philoſophum prætermiſiſſe; ac meliori, quod fortaſſis nunc videbimus, per Rhetoricam munito, quieviſſe, *quo ex collatis inter ſe locis*, quæ nunc citat Adverſarius, *legatur hoc quaſi Solis radiis ſcriptum*, quod mox evidentiſsimum exponemus: *Eſſe in uno corpore myſtico Eccleſiæ unum Spiritum, qui illud quaſi animat & vivificat, influens in ſingula ejus membra, omnia & ſingula quantumvis varia ſingulis membris appropriata ἐνεργήματα perficiens; ſimiliter ut unius corporis naturalis organici unica eſt anima* ſpecifica. Optima certè comparatio, quæ rem ipſam verè exprimit; cujus ratio quaſi Solis radiis ſic illuſtrabitur elegantiùs. Veluti in uno eodemque corpore humano variæ partes variis formis inſtructæ, unâ animâ principatum tenente diriguntur; ita varia membra, varii homines in corpore myſtico, cætu fidelium, qui ſinguli propriis animabus ac ſpiritibus conſtant & animantur, uno Spiritu Dei ſimul omnes vivificantur. Et quemadmodum in uno corpore humano ſenſitiva anima ſubordinata eſt rationali, ut quaſi dicto parentis audiens ſit; ita in corpore illo myſtico rationalis anima ſubdita eſt ſpiritui divino: adeóque ut in uno corpore humano unus ſpiritus, ſeu una rationalis anima, in ſingulas partes influens, eaſdem omnes animat ac vivificat, influxu ſuo perficiens ſingulis membris appropriata ἐνεργήματα, quamvis variæ partes varias facultates ſibi proprias obtineant; ita unus Spiritus ſ. in ſingulis Eccleſiæ membris ipſa ἐνεργήματα perficit, eadem univerſa quaſi animans & vivificans, quamvis ſingula interim Eccleſiæ membra propriis animabus ac ſpiritibus ſint inſtructa. Atque ita verè *de corpore humano ejuſque anima rationali unica in protaſi; de corpore verò myſtico, ejuſque ſpiritu ſanctificante unico in apodoſi Allegoriæ accipienda ſunt verba Apoſtoli* 6.
ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, Unum corpus, unus ſpiritus.

Contactus XX.

IUdicio huic Logico Octavam tandem & ultimam Obſervationem ſubnectit Theologo-Philoſophus, quæ hæc eſt: *Cum* 1.
uno autem corpore unam animam rationalem, non tantùm ratione perſonali in individuis efficere perſonas ſingulas; ſed in naturam u-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

CONT. XXI. *nam coaleſcere unione naturali, in ſpecie humana ab individuis abſtracta, demonſtramus ex Jacobo, qui charactere dominii in omnes animantium naturas, quo illæ domantur, ab aliis diſcernit φύσιν ἀνθρωπίνην, naturam humanam, Jac. 3. 7. Pendet ergo naturæ humanæ conſtitutio in ſpecie ſua naturali ab anima rationali, abſque qua brutis dominari non poſſet.*

2. Equidem vereor ut hæc diſſertatio ſatis Logica aut Philoſophica haberi queat à Cordatioribus: Concluſioni tamen haudquaquam refragamur, ſed cum applauſu calculum quoque noſtrum ſubjicimus. Ignorantiam verò nimis craſſam, vel ἀσοφίαν Philoſophi noſtri, quam antea notavimus in iis quæ de *unione naturali* ac *unione perſonali* profert, mirari iterum neceſſe habemus; at futilem λογομαχίαν pluribus expedire ſupervacaneum ducimus. Alibi ſæpius de multiplici ſignificatu τῆς φύσεως *naturæ* diximus.

3. Hoc *unum* interim ſilentio præterire non poſſumus, non eſſe ſatis *Logicum judicium*, quo *ſpeciei humanæ ab individuis abſtractæ* quippiam tribuatur, ab eſſentia individuorum dependens, quod non individuis ipſis poſſe attribui videatur. Nempe, corporis & animæ rationalis unionem in ſpecie humana, ab individuis abſtracta, *naturalem* vocat Adverſarius, quam in individuis, non niſi *perſonalem* agnoſcit. Certè, niſi ipſa *unio perſonalis*, quæ in individuis efficit perſonas ſingulas, *naturalis* item dicenda ſit non erit in ſpecie humana ab individuis abſtracta ulla *naturalis unio* animæ humanæ cum corpore: ipſa quippe abſtractio mentalis, quâ ſpecies conſtituitur, ſpeciei nihil adjicit; ſed differentias ſolùm individuantes tollit. Sed cum prioribus illis judiciis ἀλόγοις quibus nihil flagitare viſus fuit Adverſarius, hoc quoque in eundem faſciculum committemus.

Contactus XXI.

1. VNica tandem reſtat Adverſario diluenda à nobis difficultas, cui ipſi primùm occaſionem dedimus Thetr. Nat. Univ. part. 2. diſp. 6. § 9. 10. Nimirum, *Mens humana* diximus ibid. *etiam eo tempore cùm materiæ ac rebus caducis immerſa eſt, liberè & abſque materiæ auxilio de immaterialibus, ſempiternis & divinis poteſt cogitare, & abſque omni organo corporeo varias exercere operationes.*

operationes. Quod ibid. exemplis declarans ſubjungo: *Si itaque* CONT. XXI.
talia mens humana contra omnium ſenſuum dictamen, abſque omni organo corporeo operatur, utique non agit ea tanquam forma corporis; forma enim, quatenus forma eſt, nihil agit per ſe; ſed eſt principium & cauſa operandi ejus cui dat ſpecificam eſſentiam. Ex hiſce 2.
procul dubio hanc noſtram ſententiam agnovit Adverſarius, humanam mentem, ſeu rationalem animam, utut materiæ immerſa ſit, ſeu in corporis ergaſtulo contineatur, ac forma quidem hominis, quâ homo eſt, exiſtat, non ita tamen immerſam eſſe, ut materiæ ſit illigata, ſeu forma corporis ſtrictè dici queat: ſed dum forma hominis eſt, habere ſuas item operationes, ab
organis corporeis haud dependentes Contra quam ſententiam 3.
noſtram inſurgit in hunc modum: *Influere autem rationalem animam in corpus organicum* ἐνεργήματα *ſeu operationes ſuas, non tantùm illas quæ videri poſſent exerceri mediante animâ ſenſitivâ; ſed etiam rationales, quibus Deo agglutinanda eſt: demonſtrat ex naturali argumento* λόγος *ſeu ratiocinatio ſermocinatione expreſſa per Linguæ organon Jac. 3. Et ſupernaturale argumentum idem perſuadet: Quòd ad cultum rationalem Deo ſiſti non poſſunt hoſtia viva ſancta ac Deo accepta, corporis membra, Rom. 12.1. & Rom. 6.13. ſi vitam ſuam in corpus non influit*
neque illud animat rationalis anima. Nempè, ut clariùs ex mente 4.
Adverſarii loquamur, corporis membra, ſeu corpus organicum informari animâ rationali neceſſe eſt, ac eſſe hanc illius ἐντελέχειαν, ſi quidem nullæ, ne quidem rationales illæ operationes, ſine organo corporeo, (quod vult Adverſarius,) exerceantur: ac ipſe quidem cultus rationalis, quo Deo ſiſtuntur hoſtia viva, ſancta, Deoque accepta corporis membra, inſtitui nequit, niſi ipſa materiam anima rationalis informet, adeóque facultates ejus ſint pe-
nitus organicæ. Inhorreſco propemodùm cùm hanc Adverſarii 5.
noſtri ratiocinationem pio animo perpendo. Quò non abripit, (ô bone Deus!) mortalium animos improba contradicendi libido! Quàm longè hæc diſtant à ſynceritate Religionis orthodoxæ! Quid, quæſo, eveniet animulæ tuæ Philoſopho-Theologe, quando diem tuum obibis, ſi ita neceſſariò, ſecundùm operationes quoque rationales ab organis corporeis dependet? An cum corpore ipſa quoque interibit? an quieſcet ipſa quoque ad extremum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

CONT. XXI. uſque diem, donec unâ cum corpore reſuſcitetur? Hæccine fides
tua chriſtiana eſt? Apage monſtrum Chriſtiani hominis, qui boni
Theologi larvam geſtas; intus fidem veram abnegâſti. Intereſt
profectò Eccleſiæ purioris, ut in rapaces ejuſmodi lupos, ſub pelle
ovina deliteſcentes, qui ſpem meliorem animis noſtris eripiunt,
6. animadvertant tandem pii fidique Paſtores. Longè alia profectò
Calvini mens fuit, longè magis orthodoxa ſententia, quando
Inſt. lib. 1. c. 5. § 5. reprehendit eos, *qui præpoſteris argutiis deditì,
frigidum illud Ariſtotelis dictum* (quo facultates animæ, rationa-
lis etiam, ſeu mentis, organicas pronunciare cenſetur) *libenter ob-
liquo flexu traherent, tam ad immortalitatem animæ abolendam,
quàm ad eripiendum Deo jus ſuum. Nam, quia organicæ*, inquit,
*ſunt animæ facultates, hoc prætextu alligant eam corpori, ut ſine eo
non ſubſiſtat. Atqui longè abeſt*, inquit, *quin potentiæ animæ in fun-*
7. *ctionibus, qui corpori ſerviunt, incluſæ ſint.* Uſque adeò Argutatori
noſtro diſplicet hæc Calvini ſententia, quâ rationali animæ, in u-
nam quidem ſubſiſtentiã cum corpore unitæ, tribuitur peculiaris
ſubſiſtentia, quâ ſine corpore etiã ſubſiſtat, ut hanc apertè damnet,
& deteſtandæ cujuſdam Apollinaris, Neſtorei, & neſcio cujus non
turpiſſimæ hæreſeos ſuſpectam reddere conetur: vid. Apol. Art. 1.
dum interim turpiſſimâ hæreſi ſe ipſum involvit, immortalitatem
8. rationalis animæ evertens. Tantùm abeſt profectò, ut rationalis
anima *forma* vel ἐντελέχεια *corporis organici* queat pronunciari,
quin potiùs *periculoſa* illa definitio dicatur à Danæo loc. com.
part. 3. lib. 1. cap. 10. quippe *quæ alligat animam corpori, quod de
anima hominis verè dici non poteſt.* Unde & Calvinus Inſt. lib. 1.
cap. 15. §. 6. *Animæ definitionem à Philoſophis petere ſtultum eſt*,
inquit, (nempe ſiquidem illa definitio Ariſtotelica rationali quo-
que animæ attribuenda credatur,) *quoniam nemo fere, excepto*
9. *Platone, ſubſtantiam immortalem ſolidè aſſeruit.* Sed nec ipſe Ari-
ſtoteles reverâ eam definitionem rationali animæ accommodari
voluit, ut antehac à nobis eſt oſtenſum. Nempe, *penitus incorpo-
reus, nullique corpori hærens, ac ne corporeo quidem organo utens
Ariſtoteli intellectus*, ut Bernardinus Teleſius de rer. nat. lib. 8.
cap. 18. de eodem teſtatur. Similiter atque Burgerſd. Metaph.
lib. 2. cap. 16. § 1. *animæ rationalis operationes, puta intelligere, &*
10. *velle, non pendere à corpore*, docet. Quod idem variis argumentis
oſtendit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

oſtendit, & exemplis declarat Calvinus Inſtit. lib. 1. cap. 5. § 5. & cap. 15. § 2. *Neque enim ſpiritualis pœnæ metu afficitur corpus,* inquit, *ſed in ſolam animam cadit. Deum inviſibilem & Angelos intelligentia concipimus, quod minimè in corpus competit. Recta, juſta, & honeſta, quæ ſenſus corporeos latent, apprehendimus.* &c. (de qua re pluribus à nobis actum Diſſert. de Anim. Human. Immortal.) Hæc ergo ἐνεργήματα, ſeu haſce operationes, atque id ge- 11.
nus multò plures, rationalis anima in corpus organicum non influit, (ut cum balbutiente minùs latinè balbutiamus:) Attamen influit quoque rationalis anima in corpus organicum, quatenus principatum tenet, ac materiali animæ ita præſtituta eſt, ut in unam perſonam cum corpore animato conjungatur. Verè e- 12.
nim vitam rationalem influit anima rationalis in totum hominem, (ſi cum Adverſario hac phraſi liceat uti,) ac ita totum hominem animat, ut vitam humanam vivamus. Hoc nempe addimus ex Calvino Inſt. lib. 1. cap. 15. § 6. *quamvis propriè loco non comprehendatur* anima rationalis *corpori tamen inditam illic quaſi in domicilio habitare: non tantùm ut omnes ejus partes animet, & organa reddat apta & utilia ſuis actionibus; ſed etiam ut principatum in regenda hominis vita teneat: nec ſolùm quoad officia terrenæ vitæ; ſed ut ad Deum colendum ſimul excitet.* Sic apparet quomodo ratiocinatio ſermocinatione exprimatur, per linguæ organum, Jac. 3. Sic ad *cultum rationalem* Deo ſiſtimus hoſtiam vivam, ſanctam, ac Deo acceptam, corporis membra Rom. 12.1. & 6. 13. Et facultates materiales, ſenſitivas, immateriali ac intellectivâ facultate, quæ ipſa rationalis animæ ſubſtantia eſt, materiæ haudquaquam immerſa, regimus ac coërcemus: Deoque creatori utramque noſtri partem, tum quæ rationalis eſt, tum quæ eſt rationis expers, conſecramus.

SPONGIÆ EXPRESSIO.

SIc ergo illuſtrem Quæſtionem à ſordibus expedivimus, ac nitorem & elegantiam rei nobiliori reſtituimus, fortaſſe odioſam novo Philoſophaſtrorum vulgo, Theologo noſtro, ſi qui alii ſunt, ſimilium, *qui* (dicam cum Scalig. ex Exerc. 249. ſ. 3.) *in ſuperficie atque ſupinitate, quam ipſi vocant ſimplicitatem, intellectionum contemplationis noſtræ* Philoſophicæ *finem poſuerunt. Itaq; curioſos nos vocant; cùm ipſi hoc etiam, quod bene dicunt, amant neſcire*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ſeſe, quare, aut quomodo dicant. Aſinis ſimiles ſunt, qui triticum, ad molas ferunt. Recti namque officii ſui ignorant finem. Quod ſi hæc ipſa indagatio vel cauſarum, vel modorum loquendi, atque explicandi ea quæ rectè cum illis nos quoque ſentimus, neutiquam nos vel tantillum avertunt à ſyncera ſimplicique pietate, quid illi nobis invident auctarium hoc Spiritus divini: quod ille, cui libuerit, impertit è ſuis? Omnino in Theologia, ac rebus Theologicis, quâ talibus, ſimplicitatem S. Scripturæ probamus; & omnem curioſam indagationem quæ extra Scripturam eſt, damnamus ac rejicimus: In Philoſophia verò *admittendas eſſe id genus Quæſtiones, & à Sapientibus,* ſeu verè Philoſophis, *ſolvendas cenſemus: non, quod iſti ruſtici faciunt,* (qui omnem humanitatem exuunt, & ex veritatis philoſophicæ indagine conſcientias impugnant, ac impietatis inſimulant,) *ſophiſticæ damnatas perplexitatis* (quod ipſi rerum acumina non capiant,) *repudiandas*; aut, quod horrendum dictu, eò quòd extra Scripturam ſint, cui interim minimè refragantur, anathemate proſcribendas. Rectiùs tandem ſuæ famæ conſuluerit Theologus noſter, ſi quando Philoſophaſtri titulum depoſuerit; & unicam ſibi normam in rebus Theologiam attinentibus propoſuerit ſacram Paginam. Eſt certè vero Theologo ſatis, ſi vel nihil extra Scripturam didicerit, ſolis Scripturæ niti autoritatibus. At qui extra Scripturam quid definit, quâ Theologus, is à vera Theologia deficit: dumque ratione interim ſatis ſolidâ eſt deſtitutus, inanis Philoſophaſter evadit. Vt autem ad veram Theologiam revertatur noſter, hoc Melanthonis monito, ex Præfat. Loc. Theol. poſt ſpretum Calvinum alioſque, in ordinem redigendus eſt. *Doctrina Eccleſiæ non ex demonſtrationibus ſumitur, ſed ex dictis, quæ Deus certis & illuſtribus teſtimoniis tradidit generi humano, per quæ immenſa bonitate ſe & ſuam voluntatem patefecit. Ac ut in Philoſophia quæruntur certa, & diſcernuntur ab incertis, & cauſæ certitudinis ſunt, Experientia univerſalis, Principia, & Demonſtrationes: ita in doctrina Eccleſiæ certitudinis cauſa eſt revelatio Dei.* Sic idem in fine Loc. de Peccat. verè theologicum conſilium ſubminiſtrat, quod utinam ſibi tandem commendatum habeat, noſter Theologo-Philoſophus. *Ne feramus,* inquit, *λογομαχίας & Cavillationes verborum, ſed res neceſſarias in Prophetica & Apoſtolica Scriptura, & teſtimoniis certis Scriptorum veterum traditas retineamus: quas ſi alii meliùs explicant libenter ipſorum ſermone utamur. Non enim de verbis pugnamus; ſed res neceſſarias exponimus.* Mirum profectò alicui, qui ſacro ſanctam Scripturæ S. ſimplicitatem vel ignorat, vel non obſervat, videri poteſt, tantos Viros Philoſophos, ac illuſtria illa Dei organa, Melanthonem, Calvinum, alioſque, tantâ ſimplicitate Sacra tractare, ut Relligio omnino ſit hiſce miſcere philoſophicos ſuos conceptus; aut ingenii ſubtiliores meditationes, quæ claris & evidentibus Scripturæ teſtimoniis minùs clarè & evidenter nituntur, divinæ veritati implicare. In Theologia profectò unicè attendunt, quid Spiritus S. loquatur, non quid Philoſophorum rationes urgeant: quæ paſſim myſteria Fidei non attingunt. Nempe hanc veram pietatis viam ſectati ſunt, primi illi Reformatores, ut bifido verbi divini gladio nodos rationi humanæ indiſſolubiles ſolverent: & per ſola Scripturæ teſtimonia Fidei dogmata ad pietatem ædificandam inſtillarent. Quantum verò ab illis mutati

ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

ſunt inanes illi Philoſophaſtri, qui dum Philoſophico-Theologicis Diſputationibus ſe ipſos macerant, nec Theologiam ſuæ integritati ac ſoliditati relinquunt, nec ipſam Philoſophiam ſolidam, quæ neutiquam Theologiæ refragatur, intelligunt. Certè hoc adjicere non erubeſco: Quicquid extra Scripturam S. ſeu ubi nulla manifeſta & evidentia Scripturæ teſtimonia fidem faciunt, in piis Deoque conſecratis animis, ad firmandum Theologiæ robur, aut refellendos circa eam errores, à Theologo-Philoſophaſtris affertur uſquam, id non à Spiritu S. eſt, ſed à perverſo ipſorum ingenio, vel à Diabolo, qui eâ ratione tenebras luci miſcet, & à veritatis tramite in avia mortalium cogitationes abducit: Huic verus Theologus ſolo Scripturarum robore reſiſtit: nec extra arenam ſacro-ſanctam longiùs in aciem procedit. Fallax ille Spiritus eſt, ubi quis extra Scripturam Religionis arma capeſſit. Væ autem illi Theologo, quem ipſe extra veram Theologiam abducit, cui pro ſacris armis humani ingenii machinas ſubſtituit. Præſtat ſanè Theologi munus & officium abdicare, & prætextum ſacrum exuere, quàm conari extra Scripturam hæreſes arguere, vel heterodoxias in Theologia cavillando profligare. Vnum tibi ſuperadditum habeto, Philoſopho-Theologe: Niſi deinceps felicior fueris Philoſophiæ rationibus, pro ſententiis Philoſophorum, in quos inſurrexiſti, refutandis, quàm Scripturæ S. teſtimoniis rem tetigiſti, vel hæreſium latibula aperuiſti, væ tibi miſero Cavillatori, inanis certè factus es Theologo-Philoſophaſter.

FINIS.

LECTORI S.

Cum hujuſce noſtræ Exercitationis ultima penè folia prælum haberet, novas ad ea, quæ de Formarum Naturalium Origine, Creatione *ac* Conſervatione *rerum, &* Humanæ Animæ Subſtantia, *ultimò repoſuimus, Inſtantias, & pro motis à nobis difficultatibus ſolvendis rationes, tum prolixè tum eruditiſsimè diductas, accepi à Clariſs. & Amiciſsimo Viro, D. Santeno: Ad quas ut hîc Reſponſum ſubjungam impræſentiarum, nec curæ noſtræ variæ, quibus hoc tempore occupatiſsimi diſtringimur, nec copia materiæ ſuppeditatæ, quæ penè integrum tractatum requirit, nec ipſa, imprimis, Typographiæ ratio, largiuntur. Cùm aliquando commodior dabitur occaſio, reliqua item quæ ſanè ventilationem mereri videntur, ex fontibus jam antè conſtitutis diluere inſtituam. Quod licet ipſe fortè non arduum eſſe exiſtimem, dum tamen illud nondum molior, nihil equidem cupio eviciſſe, niſi quod ſublimiora Doctiorum judicia ultro adjudicabunt ipſi cauſæ ac rationibus jam antè allatis: at interim aliis, qui quidvis in hæreſes abripere proclives ſunt, nihil hac meâ modeſtiâ ac ſtudio veritatis remiſiſſe cupio videri, niſi quod ſolidioribus rationibus ipſimet evicerint: moderatis verò ſapientiæ cultoribus omnibus,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]

bus id unum ſatis fore ſentio, dediſſe ſaltem anſam pro re Philoſophica in Meditationibus ſublimioribus. Interea, quæ hîc monui, haudquaquam diſsimulare, ut ſinceri veritatis ſtudii, ita certè candoris noſtri intereſſe duximus : tum ne præclaro Viro & Amico, unà nobiſcum de rebus pulcherrimis ac contemplatu digniſsimis amicè diſquirenti , protinus in hoc veſtibulo hæſiſſe aqua videatur ; tum ne quid arrogantiæ prææmaturæ in nobis imputetur. Vna veritatis inquirenda nobis cura eſt: cujus ſanè causâ judiciis Virorum doctiorum noſtra hæc ſubmittimus. Nec laboramus potiùs ut aliis perſuadeamus ea quæ poſuimus, niſi fortè præter rem quid accidat, quàm ut erudiamur ipſi. Nunquam, dum mortalis ero, quicquam ita à me ſolidè diductum opinabor, quod ab aliis me ipſo doctioribus non poſsit corrigi, vel clariùs & evidentiùs exponi. Interea, nil unquam, quod vel hæreſin vel heterodoxiam in Theologia ſapiat Cordatioribus, fuiſſe à me unquam poſitum, tuebor contra pervicaces inimicos. Vnum hîc, ex ultimis Objectionibus Amici noſtri, ne mens illius ſequiùs alicubi arripiatur, adjungendum duxi. Monet ipſe, ubi dixit, (Object. quartis, § 9.) à me, & vulgo Theologorum, *Conſervationem dici continuam Creationem, manum à mente aberrâſſe : quippe voluiſſe dicere,* vulgò à Theologis, *profitetur. Hoc, ne cuiquam lapſus calami ſit offendiculo, & ut in caſu ſimili, aut ſi fortaſſe, cùm & ipſi ſimus homines, ſit quicquam inconſultiùs vel duriùs à nobis dictum, ubi meliorem profitemur mentis ſenſum, æquiori quidvis admittatur animo, publicè moneri neceſſarium exiſtimavimus. Vale, Candide Lector, ac conatibus noſtris fave: & quæ Religionis ac conſcientiæ causâ, pro injuria iniquiorum retundenda diximus alicubi acerbiùs, indignè & contra omnem æquitatem paſsi contumeliam, ea iniquè multoties ab inimico laceſſitæ animæ, (quam certè condonationi atque reconciliationi, ſalvâ honeſtate, gero paratiſsimam,) indicia & querelas agnoſce.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
234 K 9 [1]